UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56320

Visual Library

Th. 33

H. V
26.

= 3116

EXEDRÆ ECCLESIASTICÆ SIVE CONCIONVM MORALIVM

In Dominicas totius anni

AUCTORE

P. IOANNE SCHRÖTTER
Societatis IESU. T. P.

Cum Indice Concionum & Argumentorum.

TOMI I. PARS ALTERA.

Collegij Soctis Jesu Paderborne
Ao 1686.



COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Apud WILHELMUM & FRANCISCUM METTERNICH Bibliopp.
An der hohe Schmit. ANNO M. DC. LXXXVIII.
Cum Privilegio Sacra Cæsar. Majest.



Perilluſtri ac Reverendiſſimo Domino

D. ZACHARIÆ IOANNI SZOLC

Cathedralis Eccleſiæ Varmienſis Prælato Cuſtodi, & Diœceſeos ejuſdem Adminiſtratori in Spiritualibus, Domino ac Patrono ſuo Obſervandiſſimo.

QUem humilem hactenus tui Cultorem nunquam non exporrecta fronte, feſtivoque obtutu ſuſcipere dignatus es; eundem impræſentiarum agri Dominici Colonum gratioſè admitte Perilluſtris ac Reverendiſſime Domine. Evangelicam ſementem ſterili quantumvis paginæ concreditam ad opimam meſſem nuſpiam felicius provehendam auguratus ſum, quam ubi certo fœcunditatis omine Gentilitii tui Splendoris influxus in ſe derivaſſet. Orientem vix Lunam tuam Varmia adoraverat; dum novo ubertatis beneficio in Floridam abiit Inſulam, tot cœlo tranſmittens cornucopias, quot in Vinea, & agro Dominico, magnum hoc Luminare ad maturitatem excoxit manipulos. Vernat etiamnum, quod ſub Aſtro tam benigno adolevit, pulcherrimum Religionis,

ac

ac Iustitiæ florilegium ; nec aliam, nisi pietatis messem cœlo Prussia transcribit, quum Gentilitiis tuis Astris bono Ecclesiæ invigilantibus, sola vitiorum zizania sterilescunt. Ita sororia siderum patria cœpit Varmia audire, quod æmulas cœlo faces domi nutriat ; quæ suos terris cum largissimè influxus dispensent, ipsa frumentum Electorum fructu plus quam centuplici reportet.

Astrolabiis vestris hic toto cælo exerratis Astronomi, in Luna mundum esse, homineſque in ea degere hallucinantes ; nisi vestra Theoremata Gentilitia Luna Reverendissimæ Dominationis firmaveritis. Non enim hæc cornua explicat, ut feriat, sed aperit sinum, laxatque brachia, ut universam Ermelandiam complectatur. Laxat illis primario, qui adblandientis fortunæ radios, & fatuos honorum ignes, tanquam phœnomena infelicitatis aspernati ad caliginem adamatæ paupertatis sese receperunt. Et eapropter crediderim Tuæ Lunæ unà cum cruce bina fœderata esse sidera, quod Ordines sub Christo Bajulante, & Crucifixo militantes potissimum, tanquam sidera suspicias ; ab iisdemque Te ornari arbitreris, dum gratiosa in utrosque influis benevolentia. Erro sidus tuum, in formam navigii composuisti, cujus alnus Crux sit, cujus Helena sidera, nunquam non ob oculos posita, JESUS & MARIA ; quorum auspiciis longè securius, quam sub commentitio Castore & Polluce portum occupes æternitatis. Quomodo enim secundissimis gratiarum Favoniis illam non provehat Archi-Thalassus orbis, cum suis nonnisi insignibus intueatur conspicuam? Quomodo item prosperrimè non dirigat cursum illius stella maris, quam perinde ac

Cynosuram

Cynosuram respicit unicam, cujus pedibus Lunam tuam ceu cymbulam supplantasti, cujus vertici sidera tua inocolasti? Syrtes aut charybdes Argo illa reformidare nequit, quæ tam secundis provehitur sideribus.

Nihilominus in vestram manibus pedibusque eo sententiam Domini mei Astronomi, quod Pallida Luna pluat, Rubicunda flet, Alba serenet. Quum enim in pallorem Luna Varmiensis curis, laboribus, itineribus decoloratur, sudoribus perquam copiosis tanquam imbribus perpluitur. Sibi deficit, ne muneri suo deficiat; malâ sæpe valetudine Principi assistit, ne minus exactè peractum munus displiceat. Rubicunda flat, quum zelo divini honoris succensa affatu veluti afflatu entheo proximum ad meliora promovere nititur. Profectò amplius satagit in amplificando Dei cultu, quam alii in bonis caducis coacervandis desudent. Alba serenat, quando caligine paupertatis obrutis veré argentea exoritur, serenitatemque indigentiæ ipsorum invehit.

At verò execror Grammaticos, quod nescio quanam ethymologia sideratum à Lunæ sidere nuncupent Lunaticum. Suspicerent illi utinam Gentilitiam Tuam Lunam, & jam meliore Calepino Sidus Sapientiæ & Prudentiæ indigitarent; non tam Phœben quam Phœbum humanæ divinæque sapientiæ splendidissimum proclamarent; nec aliud in binis sideribus Tuis, præter Urim & Thumim, Doctrinam & Veritatem admirarentur. His enim illustrius effulges quam olim summus Hebræorum Antistes in admirabili operosæ vestis, gemmarumque cultu, dum ab omnibus in consiliis oculus, in decretis oraculum reputaris.

Verum Lunæ ingenium ſidus tuum exuit Perilluſtris, ac Reverendiſſime Domine, dũ citra vocabulũ cœtera omnia cum ſole obtinet communia, novo naturæ prodigio non mutuata luce, aut adſcititiis fulgoribus, ſed propria virtute emanatis, in plenilunio virtutis nunquam non emicat. Ex quo enim in Ceris Tuis Gentilitiis illuxit, dedicit agnatã lucis ſuæ viciſſitudinem; noctiſq; excubias negligit; ubi vicaria Eminentiſſimi Principis poteſtate, ita diem in patria Orthodoxum propagat; ne in ſplendoribus Sanctorum ullum unquam occaſum proſpiciat.

Iſta ego Prodroma ad te Perilluſtris ac Reverendiſſime Domine ſidera ſecutus; amplitudinis, ac benevolentiæ tuæ atria ingredior; ut dicata honori tuo Exedra Eccleſiaſtica lucem, immortalitatemque à Patroni ſidere recipiat, & pro patrocinio unà eandem rependat. Obſcurus enim voluminis hujus ſtilus, dum à ſereniſſima ſideris tui luce claritatem mutuat, nuſpiam elucebit, quin eandem in Patronum ſit reverberaturus. Ubi ubi hæc Exedra mea collocabitur, ibidem illi incumbes; & quandiu ſuperſtitem eſſe contigerit, tandiu perennabis in eadem, pluribus in locis, terriſque replicatus, & morĩ neſcius. Quocirca Perilluſtris, ac Reverendiſſime Domine tenuitati meæ auſpicatiſſimum Lunæ Tuæ influxum dignanter impertire, de cujus plenitudine ut omnes accipiant, certatim confluunt. Tum verò ubertim me accepiſſe exiſtimabo, dum me, fratreſque meos in numero ſervorum tuorum recenſere dignaberis, cujus ego non tam calamo, quam affectu me profiteor devotiſſimum. Brunſbergæ 1. Decemb. 1687.

Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ

Deditiſſimus

IOANNES SCHRöTTER S.I.

INDEX

INDEX

CONCIONUM ET ARGUMENTORUM.

TOMI. I. PARTIS II.

CONCIO I. IN DOMINICA I. ADVENTUS. Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna & Majestate. *Luc.* 21. *Argument.* Gladius Domini. pag. 1.

II. IN DOMIN. II. ADVENTUS Tues, qui venturus es? *Matth.* 11. *Argum.* Inquisitio in perversos instituitur Christianos. 10.

III. IN DOMIN. III. ADVENTUS. Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem. *Ioan.* 1. *Arg.* Legato mnca. 17

IV. IN DOMIN. IV. ADVENT. Parate viam Domini. *Luc.* 3. *Arg.* Lectulus floridus hospiti venturo adornandus. 25

V. IN DOMIN. INFRA NATIVITATEM. Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. *Luc.* 2. *Arg.* Regimen Christi. 32

VI. IN DOMIN. I. POST EPIPHAN. Quærebant eum inter cognatos & notos. *Luc.* 2. *Arg.* Educatio. 40

VII. IN DOMIN. II. POST EPIPHAN. Vinum non habent. *Ioan.* 2. *Arg.* Auspicium secundissimarum Nuptiarum. 49

VIII. IN DOMIN. III. POST EPIPHAN. Domine si vis, potes me mundare. *Matth.* 8. *Arg.* Pharmacopolium Oecumenicum. 58

IX. IN DOMIN. IV. POST EPIPHAN. Ecce motus magnus factus est in mari. *Matth.* 8. 24. *Arg.* Sortes jaciuntur in authorem tempestatis. 67

X. IN DOMIN. V. POST EPIPHAN. Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, undeergo habet zizania? *Matth.* 13. *Arg.* Campi politici zizaniis horridi lustrantur. 76

XI. IN DOMIN. VI. POST EPIPHAN. Fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. *Matth.* 13. *Arg.* Nidus tutissimus. 85.

XII. IN DOMIN. SEPTUAGESIMÆ. Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis. *Matth.* 20. *Arg.* Merces operum cumulatissima. 94

XIII. IN DOMIN. SEXAGESIMÆ. Quod autem cecidit in tertam bonam hi sunt, qui in cordo bono & optimo audientes Verbum retinent & ferunt fructum in patientia. *Luc.* 8. *Arg.* Anatomia boni cordis. 104

XIV. IN DOMIN. QUINQUAGESIMÆ. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. *Luc.* 18. *v.* 13. *Arg.* Calix Babylonicus exhibitus. 114

XV. IN DOMIN. I. QUADRAGESIMÆ. Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. *Matth.* 4. *Arg.* Panoplia Spiritualis. 123

XVI. IN DOMIN. II. QUADRAG. Apparuerunt ei Moyses & Elias, loquentes cum Jesu. *Matth.* 12. *Arg.* Comitia Thearchica. 132

XVII. IN DOMIN. III. QUADRAG. Tunc vadit, & assumit alios septem Spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi. *Luc.* 11. 26. *Arg.* Epilepsia peccatoris morborum omnium pernitiosissima. 141

XVIII. IN DOMIN. IV. QUADRAG. Unde ememus panes? *Ioann.* 6. *Arg.* Ars artium multiplicandi panem. 150

XIX. IN DOMIN. PASSIONIS. Nonne benedicimus nos, quia samaritanus es, & dœmonium habes. *Ioan.* 8. *Arg.* Dominica Passionis dies Parasceves. 158

XX. IN DOMIN. PALMARUM. Dicite Filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. *Matth.* 21. *Arg.* Ingressus triumphalis Christo adornatur. 167

XXI. IN DOMIN. IN ALBIS. Cum fores essent clausæ ubi erant Discipuli congregati, stetit Jesus in medio eorum & dixit eis: Pax vobis. *Ioann.* 20. *Arg.* Pax inconcussa. 175

XXII. IN DOMIN. II. POST PASCHA. Lupus rapit, & dispergit oves. *Ioann.* 10. *Arg.* Insectatio luporum. 183

XXIII. IN DOMIN. III. POST PASCHA. Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. *Ioann.* 16. *Arg.* Pondus gaudii mundani ac luctus. 192

XXIV. IN DOMIN. IV. POST PASCHA. Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis. *Ioann.* 16. *Arg.* Ne in scopulum incidas perditionis, ad scopum contende. 200

XXV. IN DOMIN. V. POST PASCHA. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Ioann.* 16. *Arg.* Orator cœlestis. 210

XXVI. IN DOMIN. VI. POST PASCHA. Cum autem venerit Paracletus quem mittam vobis Spiritum veritatis, ille testimonium perhibebit de me. *Ioann.* 15. *Arg.* Apparatus ad suscipiendum Spiritum S. 220

XXVII. IN FESTIVITATE PENTECOSTES. Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. *Ioann.* 23. *Arg.* Nuptiæ Spiritus S. honoratæ. 227

XXVIII. IN FERIAM. II. PENTECOSTES. Sic Deus dilexit mundum. *Ioan* 3. *Arg.* Nuptiæ Spiritus S. Seraphicæ. 236

XXIX. IN FERIAM. III. PENTECOSTES. Ego veni ut vitam habeant & abundantius

dantius habeant. *Ioann.* 10. *Arg.* Nuptiæ Spiritus S. constantes in fide. 244

XXX. IN DOMIN. I. POST. PENTECOST. seu, SACRATISSIMÆ TRINITATIS. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. *Matth.* 28. *Arg.* Patria SS. Triados. 252

XXXI. IN DOMIN. II. POST PENTEC. Cœperunt se singuli excusare *Luc.* 14. *v.* 18. *Arg.* Invitatio ad convivium. 262

XXXII. IN DOMINICA III. POST PENTECOST. Quis ex vobis habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam. *Luc.* 15. *Arg.* Ovis errabunda reducta. 270

XXXIII. IN DOMIN. IV. POST PENT. Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in Verbo autem tuo laxabo rete. *Luc.* 5. *Arg.* Retia actionum nostrarum excutiuntur. 279

XXXIV. IN DOMIN. V. POST. PENTECOST. Qui irascitur fratri suo reus erit judicio. *Matth.* 5. *Arg.* Canis servire doctus. 288

XXXV. IN DOMIN. VI. POST PENTECOST. Et manducaverunt, & saturati sunt. *Matth.* 8. *v.* 8. *Arg.* Panis salutaris. 300

XXXVI. IN DOMIN. VII. POST PENTECOST. Veniunt ad vos in vestimentis ovium. *Matth.* 7. *v.* 15. *Arg.* Vestitus lupi redarguitur. 309

XXXVII. IN DOMIN. VIII. POST PENTECOST. Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset. *Luc.* 16. *Arg.* Icon prudentiæ 319

XXXVIII. IN DOMIN. IX. POST PENT. Videns Civitatem flevit super eam. *Luc.* 19. *Arg.* Civitas deplorata, 328

XXXIX. IN DOMIN. X. POST PENT. Non sum sicut cæteri hominum. *Luc.* 18. *Arg.* Speculum probatissimum. 337

XL. IN DOMIN. XI. POST PENT. Suspiciens in cælum ingemuit. *Mar.* 7. *Arg.* Spinæ auribus, sera ori apponitur. 346

XLI. IN DOMIN. XII. POST PENT. Quis est meus proximus. *Luc.* 10. *Arg.* Resolvitur proposita quæstio. 354

XLII. IN DOMIN. XIII. POST PENTEC. Occurrerunt ei decem viri leprosi. *Luc.* 19. 12. *Arg.* Tribunal leprosorum. 361

XLIII. IN DOMIN. XIV. POST PENTEC. Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Matth.* 7. *Arg.* Primum Mobile intentionum nostrarum. 371

XLIV. IN DOMIN. XV. POST PENTEC. Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. *Luc* 1. *Arg.* Testamentum defuncti Inimitici. 380

XLV. IN DOMIN. XVI. POST PENTEC. Si licet sabbato curare? *Luc.* 14. *Arg.* Sabbathum Domini sanctificandum. 387

XLVI. IN DOMIN XVII. POST PENTEC. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Matth.* 22. *Arg.* Canon divini Amoris. 396.

XLVII. IN DOMIN. XVIII. POST PENTEC. Transfretavit. *Matth.* 9. *Arg.* Anchora salutis jacitur. 406

XLVIII. IN DOMIN. XIX. POST PENTECOST. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. *Matth.* 22. *Arg* Apologia miseri. 415.

XLIX. IN DOMIN. XX. POST PENTEC.
Incipiebat enim mori. *Ioann.* 4. *Arg.* Criſes infirmitatum diſcutiuntur. 423

L. IN DOMIN. XXI. POST PENTEC.
Iratus Dominus tradidit eum tortoribus. *Matth.* 18. *Arg.* Quam æqua eſt ira Dominica, tam iniqua ſervilis. 435

LI. IN DOMIN. XXII. POST PENTEC.
Reddite quæ ſunt Dei Deo. *Matth.* 22. *Argum.* Computus debitorum. 442

LII. IN DOMIN. XXIII. POST PENTEC.
Filia mea modo defuncta eſt. *Luc.* 7. *Arg.* Philoſophia Apoſtolica. 453

LIII. IN DOMIN. XXIV. POST PENTEC.
Parebit ſignum Filii hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli. *Matth.* 24. *Arg.* Aſpectus Judicis impiis gehenna ignis. 462

CON-

CONCIO I.

IN DOMINICA I. ADVENTUS

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nub. cum potestate magna & majestate- Luc. 21.

ARGUMENTUM.

GLADIUS DOMINI.

SOlennissimũ est summatibus hujus mundi, eum assumere apparatum, quem negotio, quod præ manibus habent competere arbitrantur. Aud. Sic si forte Mars classicô suô ad campum illos evocet, thoraci ferreô, galeâ æreâ, pectorali æneô loricantur. Si Diana cornu ad venationem animet, vestitum viridem, utpote fallendis belluis appositum assumunt. Si die festivô, nuptiali, genethliacô comparendum est, ad omnem elegantiam, splendoremque se componunt. Si demum inter plebem latendum; vulgari, ac crassiore lacernâ utuntur.

Quod apud Summates more cõparatum est, idipsum apud cœli, terrarumque Principem, Christum Deum receptum. Novit ille perbelle fabulæ aptare scenam, & personæ assumptæ inducere amictum.

Voluit in primo suo adventu (quem in præsenti sacrosanctè recolimus) latere in mundo, inque similitudinem carnis peccati cõparere; & ecce formã servitã genuinè assumpsit; ut qui eũ intimè noverant, viderentur ignorare. Unde & dixerunt: *Non est species ei, neque decor, desideravimus eum, despectum, & novissimum virorum unde nec reputavimus eum.* Isa. 53.2.

Venturus deinde in districto Judicij die, & ecce iteratò assumet habitum sibi congruentem. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & majestate.* Et ne alienam hanc quispiam interpretatur, ait alibi. *Cum venerit Filius hominis in Majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* Matth. 25 Sibi propriam, debitam-

tamque explicaturus est majestatem, non aliunde traductam.

Verum quænam illa? An Resurrectionis gloria? aut gloriosæ Ascensionis triumphus, aut Thabonis fulgores, aut eminentior ad dexteram Patris confessus?

S. Apostolus Paulus adhortans Romanos ad observantiam debitam Judicibus, aliisque potestatibus deferendam, illorum majestatem in gladio reponit: *Vis non timere Potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris time, non enim sine causa gladium portat.* Decempeda Majestatis Judiciariæ terrenæ in Gladio reposita est; quantum hic sese extendit, tantum & Majestas ipsius. Idipsum ego adstruo de Majestate Domini Dei Judicis nostri, utut illa sese exerant in alijs; attamen imprimis in elimati gladij acie suum reverberat fulgorem. Quônam autem illô? Discutiamus idipsum.

Rom. 13. v. 2. 3.

Narratio.

II. Joannes Bohemus de gentilium ritu in Asia perhibet Principem, cum primum acceptô diademate Rex inauguraretur, dicere solitum: *Oris mei sermo de cætero Gladius meus erit.* Hic decretô suô cladem inferet impijs, hic imperiô suô proteget justos, ac fideles.

Ioban. Boh

Gladius Domini quid signet

Quod hi Principes jactare soliti; id evidenti oculorum testimoniô deprehendit diviniore afflatus lumine Apocalypticus Angelus S. Joannes in Christo Domino, & Judice nostro. Nam ut ille scribit: *De ore gladius ex utraque parte acutus exibat.* Gladius hic ex communiore Interpretum sensu, est sententia condemnationis, quæ Christus impio in die judicii dirissimè, attrocissimeque feriet. Hic est Gladius, quô dividet Oves ab Hœdis. Hic est Gladius, cujus unius rotatu, impios adiget in gehennam. Hic est gladius, qui imprimis crudelem ipsius exasperabit Majestatem.

Apoc. 1. 16. Rup. Beda Lyss. Ribera. h. l.

§ I

Gladij divini acies acutissima.

III. De hoc Gladio cum alibi frequentissimè tûplanissimè; loquitur apud Exechielē Dominus: *Ecce ego ad te, ut ejiciã gladium meum de vagina sua, & occidam in te justum, & impium.* Quid auditis Aud. Ergone hactenus semper in novacula conducta rasit Dominus scelera? Ergone hactenus non suo desæviit gladiô? aut reconditô in theca ferrô animadvertit? Numquid non tam acie, quam streperô vaginæ fragore hactenus credendus est plexuisse peccatores? Necdum ergo ferrum strinxit, qui gladio flammeo atque rotatili Adamum cum tota progenie è paradyso expulit, inque infelix hoc, & calamitosum relegavit exilium, ad quotidianas lachrymas, perpetuos labores, dolorosas vicissitudines, ad morbos, mortisque triste regnum condemnavit? Nondum ferrum strinxit, qui explicatis cœli cataractis totum mundum inundavit, & cataclysmo universali cooperuit? Nondum ferrum strinxit, qui Ægyptum tot, tamque prodigiosis modis flagellavit, & tandem Pharaonem cum suo exercitu undis pelagi offocavit? Nondum ferrum strinxit qui super Pentapolim horrendam illam flammarum pluviam immisit? Qui totam Beniamini tribum in acie romplicæ pepulit? Qui inuna nocte perfidi, ac Blasphemi Sennacherib exercitum quinque supra centum actuagin-

Iudicii rigor. Zech. 11. 3.

ta

ta millia constantem incineravit? Qui Amorrhæos Duce Josua ad internecionem delevit, qui Amalecitas per Saulem funditus de terra sustulit; qui ex ipsis Israelitis jam ad viginti tria millia hominum ob idolomaniam trucidari præcepit; jam ob fornicationem cum filiabus Moab, alia viginti quatuor millia Phineâ vindicante interemit; jam denique totam gentem sub Tito, & Vespasiano ob cœdem Filio Dei illatam, aut per varia tormenta enecuit, aut in dispersionem coegit? Itane etiamnum exhauriuntur regiones pestilentiâ, fame, bello, gladio Domini necdum educto? Ita planè. *Et ejiciam meum de vagina. Nunc*, ait Job, *non infert furorem suum, nec ulciscitur valde.* Nunc in pœnis infligendis moderatus est Dominus, non exhibet iracundiæ suæ acerbitatem, summumq? justitiæ suæ rigorem. Si punivit Ægyptum, punivit virga ad correptionem, & digito suo, non tota manu. *Digitus Dei est iste.* Si animadvertit in Judæos, coercuit proterviam, ac malitiam ipsorum funiculis, non scorpionibus; cœcidit ut Pater, & prope ut dormiens. Si in alias Gentes furorem suum effudit, guttatim propemodum stillavit: *Stilla super affricum stilla*, ait, *supra Meridiem.* At verò in extremo judicii die tota manu sua feriet, *plaga inimicis percutiet impios castigatione crudeli.* Tunc excitabitur *tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino*; Tunc effundet omnem iram suam; Tunc ejiciet gladium suum de vagina, & semota exhibitæ hactenus dementiæ interpositione desævier.

Exod.32.28.

Num.25.9.

Iob.35.15.

In Iudicio extremo DEus totis viribus punicet.

Ezech.20. 46.

Ier.30.v.14. Psal.77. 65

Gladius Domini acutus & limitatus

IV. Ne hyperbolicè loqui videar, eũdem Prophetam ibidem interpretantem terrorem hujus Gladij audiamus, vel potius ipsum Dominum eundem compellantem. Ait enim: *Et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis.* Prodi in medium, lugubres emitte gemitus, ejulatus ede terrificos, totoque corpore, cũctis mẽbris cõtremisie, & amarissimas profunde lachrymas. Si fortè accesserint rationem quæsituri, respondebis: *Pro auditu*, verbi quod habes ad dicendum.

Ezech. v.6.

Quod autem est hoc verbum, quod tam tremendum operatur effectum? Quid potest verbum illud enuntiare quod audisti, quod te tantopere perterreat, dejiciat, affligat, taliaque eliciat suspiria? *Gladius, Gladius exacutus est. & limatus.* Hoc est verbum tremendum, quod accepit à Domino: *Gladius, Gladius exacutus est & limatus.* q. d, scito te Deum paratum habere gladium, & hunc quidem elimatum, & expolitum, atque adeo acutum; ut penetret ad divisionem spiritus, ac corporis, compagum quoque ac medullarum.

Ibid.

Heb.4.v.12.

V. Gladium hunc stringet non tam manu, quã labiô oris sui. Ex eo enim illũ vibrabit, configetque impium; quando dicet. Me jã tandẽ intuere, me recognosce impie fulminantem, quem in vita detrectasti audire vocantem. *Quid debui tibi facere, & non feci?* Ego te suscitavi de pulvere? ego tibi vitam indulsi, ego tibi succurrebam eum abundantia, aderam cum diligentia, circumdabam misericordiâ. Propter te descendi de cœlo, assumpsi attritam humanitatis tuæ lacernam, inque ea sudavi & alsi, Ecce in hoc Gethsemani jugo, te à sempiternis vindicaturus laboribus, sanguineis sortem tuam lachrimis deflevi, hic proditus & vinculis constrictus sum, te et

Christi invectiva in impios

Avernalibus erepturus cataſtis. Ex hoc locoperinde ac latronum quiſpiam in urbem tractus, coramque judicibus iniquiſſimè traductus, ne tu in meo ſuccumberes tribunali, juſta Nemeſi de te exigente pœnas Ab iiſdem crudeliſſimè conciſus, deſputus ad extremum trabalibus clavis in monte proximo Calvariæ in ſtipitem fixus ſum. Teſtis hujus Pilatus, qui manus quidem lavit, ſed ſcelus non eluit, teſtis. Annas, Caiphas, Herodes, qui nihil cauſæ in me invenerunt; teſtis eſt Cœlum quod obſcuratum eſt; tellus, quæ inſolitis agitata motibus; petræ, quæ ob compaſſionem fiſſæ ſunt; teſtes hæ ipſæ in manibus meis cicatrices, quibus vos inaratos eſſe volui. *Quid ultra tibi debui facere, & non feci*, vel quam pœnam recuſavi, quam in gratiam tui non pertuli?

Quid tu verò proditor in gratiarum actionem aliud feciſti, quam ut blaſphemares nomen meum, me denuo contriſtares, ac crucifigeres? Quid aliud? quam, ut quantum erat in te, illicitis tuis deſideriis, voluptatibus, exceſſibus, novis affligeres tormentis, exulcerares dolotibus, ſanguinem meum protereres? Quid multa? deſpexiſti omne conſilium meum, increpationes meas neglexiſti, pulſantem ad cordis oſtia repuliſti, loquentem arcanis amicitiæ modis audire derrectaſti, conantem te quibuſvis gratiæ, ac dulcedinis illiciis attrahere exploſiſti, ſceleribusque tuis indies irritare perrexiſti. Reddam ergo nunc ultionem vobis hoſtibus meis, & quia ſecundum tot flagitia, tantamque ingratitudinem ad pœnitentiæ pharmacopolium vos recipere renuiſtis, ſempiternis vos trado expiandos ſuppliciis.

Hæc quia ego lingua debili, id eſt plumbeo gladio profero, non vulnerant, nec penetrant intima præcordiorum, penetrabunt autem cum ipſemet Iudex vivorum, ac mortuorum, ut fulgur, gladium ſuum exacuerit; penetrabunt longe profundius quam falarica. Saguntionum, aut, pilæ Romanorum aut Sariſſæ Macedonum, aut amatonum ſecures, aut Thracum rompheæ; penetrabunt tam altè, ut vel ſolo ſono ſancti ipſi percellantur, vix non exanimentur.

VI Quantus erat Job, quam fortis, ac conſtans in perſecutionibus, quam invictus in adverſis? & tamen eligit in ſepulchro perſtare abdicata omni reſurrectionis pompa cum vermibus, quàm adeſſe tanti fulminis tonitruo? *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, donec pertranſeat furor tuus Domine* Ita ille, qui tulit animo infracto non unum à Sathana ictum intentatum, expalleſcit! Ita ille, qui alloquentem ſe Deum in turbine audivit intrepidus! Ita ille, qui habebat in ſinu ſuo repoſitam Iuſtitiæ ſpeique margaritam. Mavult non reſurgere, quam aſſidere gladio fulguranti. Timet enſem ſibi amicũ, quin Sathanam exploſit ecœdentem ſe ulcere peſſimo. Mavult emori, quam videre gladium de ore Domini procedentem. Nos verò, prô pudor exhorreſcimus fulgur, quod vapor eſt, & hunc gladium ſuſque deque pendimus!

Iob. expavescit judicium Iob. 14. 13.

VII S. Ioannes dilectiſſimus Domini Beniaminus obiter duntaxat hunc gladium conſpexit, & illico corruit in ter-

quam terribilis sanctis. Apoc. 1. 17. Ibid.

terram tanquam exanimis. Et *cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus.* Quo fulmine perstrictus? *De ore eius gladius ex utraque parte acutus exibat.* Ergo non infixus, sed visus tantum Domini Gladius Apostolum ita conterruit, ut corruerit semianimis? Et putatis sævienti impios illusuros? Erat Ioannes, ut dixi, amantissimus Domini, erat filius tonitrui, erat lilio carnis loricatus, cordisque virginitas securum reddebat à vulnere, & tamen viso gladio Domini intermoritur? Is terreretur, qui olim navim pro Christo dimiserat, qui & recubuit supra pectus Domini in cœna, qui tum & exulabat pro fide, & ex amore rapiebatur ad divina. Procumbit exanimatus, quamvis angelis stiparetur, à severitate visi gladij conterritus. Quis rogo tum Gladij capulus? Num serpens aciem adstringebat; Quin ex ore Domini, Unde favus mella distillat, Gladius emicabat, labijs Christi, quæ testimonio sponsæ lilia sunt, affixus. Adde tum imprimis, quum gladium è labiorum lilieto proferebat Servator septem sidera in manu gestasse. *Habebat in dextera sua stellas septem; & de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat.* Itane sideribus vallatur ensis, & tamen percellit Joannem, & exultantem, & pudicum, non cædendo, sed emicando. Quid quæso aget in epulantem, & adulterum, quando ruentibus è cœlo astris, non tam gladius erit, quam fulgur? Emicabat tam gladius è vultu, qui lucebat, ut sol in virtute sua; at in die ultionis corripietur ad cædem sole non dante lumen suum, & tamen quasi retusum fastidit, quamvis non cruenter, sed devoret perscelestos, eumque in fulmen exacuat,

VIII. Quid moror inter homines, tam terribilis erit hic Gladius, ut vel angelos percellat: *Tabescet omnis militia cœlorum.* Quâ de causa? *Quoniam inebriatus est in cœlo Gladius meus.* Communi phrasi sacræ scripturæ, vocantur angeli ro bustissimi Dei milites, equitatus cœlestis, exercitus potentissimi. Hos intuens Jacob Patriarcha exclamavit: *Castra Dei sunt hæc.* Et ab ijs indigitatur, Deus exercituum Dominus: *Deus sabaoth.* Totus hic cœlestis equitatus contremiscet, emarcescet, obstupescet, ita cunctis destituetur viribus, quemadmodum corpus sine anima quod corruit, & corrumpitur, *Tabescet militia cœlorum.* At num quid in eos instituetur judicium? Num in illos supremus ille judex furores suos effundet? An non illi sunt, qui perpetuò eidem famulantur, ejusque divinissima perfruuntur præsentia? An non illi sunt, qui nunquam eundem irritarunt, nec in uno quidem atomo illius transgressi mandatum: *Facientes verbum illius.* Quid igitur formidant? Tanta nimirum futura Majestas hujus gladii, tam terribilis intuitus Judicis in peccatores, ut illos ipsos, qui nulla peccati fuligine inquinantur, tremore concutiat, tanquam exanimes. Quid ergo faciet virga deserti, ubi concutitur Cedrus Paradisi; Quid faciet Agnus, ubi Aries tremit? Si justus vix salvabitur, impius ubi parebit.

Dies judicii terribilis ipsis Angelis Isa. 4. v. 4.

Gen. 32. 2.

IX. At infra terrorem est, quod dico. Ipse, stupescite quod dico, judex expalleret ab ipso illo Gladio, si posset. Accumbens ille mensæ in ultima cœna cum discipulis suis, intulit mentionem nefandæ proditionis ab uno ipsorum patrandæ: *Unus vestrum me traditurus est.* Et hoc dicto illico fulmen damnationis in eundem detorsit: *Vae homini illi per*

Christus percellitur fulmine damnationis in Iudam Matth. 26. v. 21. Marci 14. v. 21. Ioan. 13 v. 22.

quem Filius hominis tradetur. Moxque intra seipsum commotus, ac concitatus est: *Et cum hoc dixisset turbatus est spiritu.* Quis hic timor? unde tanta turbatio? edic nobis piissime Jesu. Numquid perhorrescit mortem, quam Judas tibi machinatur? Id cogitare nefas, cum paulo ante intensissimum pro nobis patiendi desiderium manifestaverit, Num quid justa indignatione in ipsum proditorem commoveris? Non credo, siquidem eum, & amice tractas, & blande paulo post reducem excipis. Quid itaque causæ?

Respondet pro Domino S. Cyrillus id evenisse ex solo auditu sententiæ in Judam prolatæ: *Non potuit caro Christi Proditoris sententiam audire, quin aliquantisper exhorruerit.* Alterata est, & commota humanitas Christi, ex sola audita sententia damnationis in Judam prolata. Quod si itaque sancti Dei, si Superni Spiritus; si caro Christi sanctissima id fulmen damnationis tantopere inhorrescunt; qui tremores non invalescent in ipsis fulminatis? Typus illorum extitit Esau Deo suo semper exosus. Hic ubi excidisse se sensit familiæ principatu mirandum in modum infremuit, efferbuit, exarsit: *Irrugiit clamore magno & consternatus ait: Benedic etiam mihi Pater mi.* Et tamen etsi fraudabatur patrimonio, non orbus erat patre; etsi benedictione privaretur, non tamen maledictione percellebatur, nec sulphuri destinebatur, sed perfundebatur rore cœli, mulcebatur deliciis caligantis parentis, victuruque erat sui gloria teli. *Vives in Gladio.* Quid amabo aliis fiet impiis, quam invisi Deo Patri, exosi fratribus SS. Dei, non Gladio vivent sed gladio ex utravis parte acuto confodientur? Quid fiet cum non rore cœli inspergentur, sed gehennæ pice discruciabuntur, cum exuti regno, insuti culleo jactabuntur fluctibus non æquoris sed inferorum? cum non inferent cibum, sed ipsi erunt vermium esca? *Vives in gladio.* O calamitatem deplorandam! ô luctum inexplicabilem! sed jam ad ipsum nos ictum reflectamus.

S. Cyril. lib. 6. in Io.

§ II.

Gladius Domini dividet.

Scanderbegi galaus

X. Famatissimus est Georgii Castriotti Scanderbegi Ducis Epirotarum Gladius; quo loricatum recutitum unico ictu in partes dissuit. Verum hic nimium hebes est intuitu istius, qui & corpus ab anima, & animam ab æterna beatitate, seu ab ipso Deo dividet.

Ducet hunc Gladium quando dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* O Gladii ictum atrocissimum! ô voces supra omnia fulmina horribiles! ô tonitru nullo antehac auditum sæculo!

In Tartaria tanti fragoris jactantur esse tonitrua, ut homines exanimet. At fragoris hujus ictus tantus est, ut vel animas ipsas, nisi immortales forent, interimeret. Milites in horto audientes ejusdem Iudicis, tum tanquam rei patientis, vocem: *Ego sum*, recedentes retro resupinati sunt. *Ceciderunt in terram.* Si tum ubi Christus quærebatur judicandus, duobus amicabilibus verbis, sexcentos milites prostravit in terram, leoninam præseferentes generositatem; quomodo impii non corruent, vel in ipsa Tartara, pronuntiante in eos Omnipotente tremendam hanc sententiam? Si fici arbor ab eo maledicta illico exaruit

Ioan. 18.6

exaruit, quomodo non tabescens fulminati? *Arescentibus hominibus præ timore,* Si Adam expalluit ad vocem Dei vocantis! absconditque se sub arbore; quomodo ad vocem fulminantis, vel sub ipsa terra asylum quæsituri non sunt maledicti. Quo enim animo excepturi sunt illius vocem, illius Gladij ictum, *discedite à me,* Domino Deo vestro, Creatore, Mediatore, ac Largitore bonorum omnium? *Discedite* à facie mea, in quam gestiunt Angeli aspicere, à vultu, solo sui intuitu beatificante; ab omni amore, ac beneficiis meis, quibus estis indignissimi, ab hæreditate, & regno dilectis meis præparato, *Discedite* à tutela matris meæ sanctissimæ, à SS. Angelorum custodum vestrorum patrocinio, à Communione SS. omnium. *Discedite* jam tempus Gratiæ, ac Misericordiæ evolutum; jam cataractæ cœlestium influentiarum occlusæ, jam intercessiones, ac veniæ locus omnis interceptus. *Discedite à me maledicti* in omnibus bonis externis, & internis; corporis & animæ; in sensibus & potentiis, pro quibus ego incassum maledictum effectus sum, ut vos benedictionibus adimplerem, & renuistis. *Discedite à me maledicti in ignem.* Quod non curavit oleum misericordiæ, curet flamma vindictæ. Posui ante vos in vita ignem, & aquam & eligistis potius ardere luxuria, inflammari irâ, vindictâ, odio, nutrire fomitem concupiscentiarum, nec unquam extinguere; ergo ignē possidere paratūdiabolo & angelis ejus. Et ne vobis ullū superfit spei solatiū; *Discedite à me maledicti in ignem* &c. quemadmodum vestra voluntas in malo fuit pervicax &, irrevocabilis; ita hoc decretum meum sit adamantinum, atque inconcussum. Ut semper arsisset in vobis flamma vitiorum; ita nunquam extinguetur ignis tormentorum vestrorum. Quamdiu ero Deus, & merces magna nimis Electis meis, tamdiu ero Tyrannus vobis hostibus meis *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

Iudicis sententia

XI. Eheu quæ tunc mens futura impiorum? quæ lachrymæ? qui singultus, quæ lamenta? Tnne, tunc imprimis in illa verba, in persona ipsorum à Jobo prolata, prorumpent: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras.* Maledictus Pater, qui me genuit; maledicta mater, quæ me lactavit uberibus, maledicti socij, qui me seduxerunt, maledictæ creaturæ, quæ mihi fūt ancillatæ. *Pereat dies in qua natus sum.* *Iob.3.2*

Ibi in altero veluti choro audientur threni illi sideratorum, à Salomone consignati: *Ergo erravimus a via veritatis. & justitiæ lumen non fulsit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Eheu quomodo delusi sumus? Quomodo nos ipsos in sibilum exposuimus, qui divina eloquia, & sanctos Dei risu nostro obruimus? Quomodo aversi sumus, & declinavimus à semitis justitiæ, in viam perditionis, & caliginis. Heu nos miseros, miseros, æternum miseros. *Sap.5.6.*

Ibi tertio quasi in choro exululabunt: *Montes cadite super nos, & colles operite nos.* Si periere toxica, quibus dispereamus! si exhausta pelagi profunda, quibus obruamur! nullæ si belluæ in necem nostram efferatæ: *Montes cadite super nos* Et quoniam nec idipsum à surdis Alpibus impetramus, vos bestiæ infernales, tu crinita Cerastis Megæra, *Luc.23.v.3*

tu

tu dirarum potens Alecto, tu Thesiphonedentibus atrox apprehende sceleſtum caput, & Erebo merge, Eheu maledictum millies, & millies! Eheu maledictum in ſempiternum! Eheu maledictum in maledictione. Ita gemet, & nullus erit, qui miſereatur! vociferabuntur, & nullus exaudiet; lamentabuntur, & nullus compungetur, plagent, & irriguent cum Eſau ob ſublatam hæreditatem, & benedictionem, & nullus commovebitur ad compaſſionem.

Iudicium extremum timendum Mat h. 10. v. 28. 29.

XII Eapropter cautos nos eſſe cupiens Dominus, ſerio adhortatur: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſthæc non habent amplius, quid faciant! ſed potius timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.* Ne, inquit, vos moveat Tyrannorum immanium furor, expromentium omne genus crudelitatis, ad corpus excarnificandum. Non vos exterreant rotæ, cruces, unci ferrei, equulei, ſcorpiones, lampades, & craticulæ ſuccenſæ, Nolite timere eos, quorum furor limitibus hujus vitæ circumſcribitur, & poſſunt quidem Deo permittente corpus exquiſitiſſimis divexare ſuppliciis, animâque ſpoliare; ipſam autem animam, ubi emigraverit, attingere nequeunt. Ille, ille formidandus eſt, qui non corpus duntaxat, ſed animam perdere poteſt in gehennam. Ille metuendus eſt, qui nullis precibus, aut lachrymis à ſua flectetur ſententia, qui deductis empyrei cataractis jam igneum fudit imbrem in Pentapolim, jam totius mundi molem cataclyſmo involvit; qui Gigantes, centimanosque Briareos ſpiritu oris ſui exanimat, qui nutu offocat potentes à ſæculo, qui poſtquam corpus, pro arbitratu ſuo trucidaverit, poteſt quoque animam ſempiterno addicere incendio. *Ita dico vobis hanc timete.*

§ III.

Gladius Domini reſcindit vitia

Iudicii timor. Vitæ Pædagogus

XIII Et ut timeatis, atque à ſemitis malitiæ declinetis, eundem ſæpenumero ob oculos ſtatuite. Nihil erit tam irradicatum, quod eodem non extirpabitis; nihil tam noxium, quod illo non reſcindetis; nihil tam arduum, quod eo ſtimulante non ſuperetis.

Iudæorum Principum unus, Tumana nomine, incuſatus coram Vaſco Nugnez cujuſpiam aut ſeditionis, aut infidelitatis, & eam ob rem in illius adductus judicium; cum ſe defendere, ac reſpondere cogeretur, nihil aliud attulit, quam quod ratio ſuadebat. Etenim poſitâ manu ſupra vaginam gladij Nugnez lachrimis perfuſus ait: Poteſtisne vos credere, mihi vel in mentem venire potuiſſe, ut vos irritarem, qui gladium portatis, quo me per dimidium diffindere poteſtis. Ita barbarus homo, qui nunquam eloquentiæ flumina deguſtaverat, nullo alio argumento efficaciore uti ſe poſſe, ad ſuam tuendam innocentiam, ratus, quam intuitum gladij ferrei, ſiquidem illi ligneis confligebant, Vaſcus autem chalybeo. Ad eundem modum, ſi nobis ob oculos poſuerimus Gladium Domini non ferreum, ſed fulmineum; pari dilemmate inferemus: Poſſumne ego delinquere in conſpectu Dei mei, qui cùm plectere voluerit habet poteſtatem mittere in gehennam?

XIV. Demoſthenes eloquentiæ atticæ antiſtes contraxerat aſſuetudinem minus *Plut.*

nus decentem Oratori, elevandi unum in perorando humerum, à qua ut desueſceret, gladium ſuſpendit, & ſub eo id quod dicturus erat Athenienſibus, peroravit. Hac ratione & humeros continere didicit, & habitum dicendi condignum contraxit. Idem revera nobis eveniet, ſi humeris noſtris, & menti Gladium diſtricti judicij ſuppoſuerimus, quidquid abſonum, & indignum eſt homini Chriſtiano reſcindemus.

Damocles ſapit ſub gladio

XV. Verſabatur in aula Dionyſij Siculi Tyranni alios inter amicos Damocles quiſpiam, cujus ut animum ad invidiam uſque pellectabant illius deliciæ; ſic eaſdem deprædicare, feliciſſimumque deblaterare Tyrannum non verecundabatur. Is igitur oſtenſurus, quantis illæ deliciæ conſperſæ eſſent amaritudinibus, converſus ad eundem Aſſentatorem, placetne, inquit, experiri hæc gaudia, hisce frui voluptatibus? Quidni reponit Damocles, ſi vel diem in ijs traducere poſſem, in maximis gratijs reponerem. Bene habet, replicat Tyrannus, craſtinâ luce potiêre, & experiêre. Mandat interea Gladium acutiſſimum in crine equi deſuper menſam, ac thronum, cui hoſpes inſeſſurus erat, appendi; illumque baſilicè invitare. Adeſt ille feſtivus, & alacer; alia, atque alia fercula, regia magnificentia digniſſima inferuntur, modulatur circumquaque chorus; at ille ſuſpenſus apparatu tragico, defixuſque in Gladium ſibi incumbentem, nec aures ad modulos erigere, nec cibos ori admovere, nec manum ad paropſidem extendere præſumebat. Ita præciderat illi omnem guſtum voluptats, ſolus intuitus Gladij imminentis i abſtemiumque reddidit ferrum oculis libatum. O quantò efficacius infrænaret concupiſcentias noſtras, reſecaretque illecebras qualque Gladius flammeus ſupremi judicis, ſi modo menti ob verſaretur? ſi ille per ludibrium appenſus tantopere amaricavit omnem voluptatem, quantò auctius iſte in furore vindictæ extenſus. ſi quivis alter in manu principis terreni potens eſt ad coercendos ſceleſtos; quantò potius iſte in ore tremendi Judicis avocabit à vitijs. Largire id Judex æquiſſime, & etiamnum miſericordiſſime, ut hac romphæâ diſtricti judicij tui icti ſapiamus, & à tui offenſa cavantes, cum cæteris ſanctis tuis audire mereamur:

Venite benedicti Patris mei, pſſidete præparatum vobis regnum, à conſtitutione mundi. Fiat. fiat.

CONCIO II.

IN DOMINICA II. ADVENTVS

Tu es, qui venturus est? Matth. II.

ARGVMENTVM.

Inquisitio in perversos instituitur.

Christianos.

Inquisitio in perverversos Christianos

QUæstio proposita satis superque eventilata, decisa, & acceptata est. A. Credimus unà omnes evoluta esse Dominici Adventus tempora, tot votis desideratum decidisse Rorem, millenis vaticinatum oraculis venisse Messiam. Assentimur firmiter eum verum, naturalem Dei filium, ante sæcula genitum patrique consubstantialem. Recipimus itidem fide indubia in generis humani Assertorem, piorum Remuneratorem, impiorum Vindicem, Iudicemque æquissimum. Supervacaneum itaque est hodiernam à S. Ioanne Præcursore institutam replicare quæstionem: *Tune es, qui venturus est?* Pro hujus enim veritate stamus, millies vitam fundere parati.

Gravius præcordiis meis insidet dubium, quidnam nonnulli nostratium Pseudo-politicorum responsuri essent, si eadem quæstio, non tantopere de Christo Domino, quam de ipsius membris; nec tam de persona, quàm de professione, seu religione ipsorum moveretur. Tunees, qui venturus est in cœlum? Immo tune es Christianus, an potius Anti-Christianus? Tune Orthodoxus, an verius Orcodoxus? Nonne fallis nos, ac temetipsum, specioso que titulo utrique imponis? Nam *non omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ, neque qui secundum semen Abrahæ, ii sunt filii.* Nec omnes, qui in Christo renati sunt, ii adoleverunt in Christo. Tune es ergo verus fidelis, verus Christianus, an alium exspectamus? *Rom. 9. v. 6.*

Ne in cassum movisse quæstionem videar, imitabor S. Joannem Præcursorem Domini, & mittam duos ex discipulis, non tam illius, quam ipsiusmet Christi, & quidem Petrum, ac Joannem Evangelistam, Inquisitionis Tribunal in frigidiores quospiam hujus urbis incolas, (tanquam de fide mihi quadantenus suspectos) administraturos. Vos auribus, animisque adeste.

§ I.

§. I

Quæstio à S. Petro instituitur.

II. Ptimatum, quem ubivis obtinet, etiam hic habeat Apostolorum Coryphæus, Definitor Conciliorum, judiciorumque omnium, & quæstionem auspicetur: sistite vos personati Christiani, & respondete.

Christianus unde dignoscatur

Gratia, inquit, *vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi IEsu Domini nostri, per quem maxima, & pretiosa promissa nobis donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* q. d. Quemadmodum vobis omnem plenitudinem gratiæ, pacisque medullitus apprecor; ita vobis compertum esse concupio supernis vos ditatos charismatibus, quatenus audiendo, meditando, legendo proficiatis in amore Christi; & actiones cogitationesque vestræ actionibus Christi filii Dei omnino cõcolores evadant. Chistianismus enim est imitatio divinæ naturæ, ab omni malitia, ac vitio alienæ. Christianismus est conjunctio cum Christo, & professio ipsius vitæ. Quemadmodum Christus est justitia, Puritas, Veritas, sanctitas ipsa: ita ad ipsius vitæ normam, sanctitatisque amussim vitam suam componat Christianus est necesse, sitq; Apputus ab omni minimùm graviore criminum labe. Proinde frustra nomen Christi sortitur, qui Christum minimè imitatur. Otiosa est disciplinæ illius professio, ubi deficit actionis ipsius expressio.

2. Petri. 1. v. 2, 4.

Cornelium seu suTrop

III. Jam obsecro te, mi frater, fa-

re unde te queam dignoscere Christianum, seu Christi sectatotem? An ex vestitu? an oculis? an habitu? an membris omnibus?

Ex vestitu dicerem; sed habitus, & tonsura non faciunt Monachum, vel Christianum. Non qui cæsariem alit Nazaræus est, nec qui radit illico religiosus: sub prima publicati Evangelii tempora tametsi Christiani pari cum Ethnicis abolla uterentur; aliunde tamen internoscebantur, discrimen, quod in veste nullum erat, morum faciente præstantiâ. In te autem, quum cuncta luxu fluctuent sybaritico, discinctusque huc illuc obambules, unde te queam discernere? Certè Christum non tam induisse, quam exuisse videris.

Tonsura non facit Christianum

IV. Unde ergo te queam agnoscere? An ex oculis? Si Christi oculos arbitremur, ii sunt puriſſimi, simpliciſſimi, columbini: *Oculi tui columbarum, qui lacte sunt loti.* Tui autem aut voracis cujusspiam accipitris ad rapiendum intenti, aut feralis bubonis, offendentes ad lucem, & per viam lucis tenebras in cor diffundentes. Festucam in oculo proximi observant, & trabem in proprio non vident; terrena ac transitoria, non verò cœlestia, ac perennantia contemplantur.

Cant. 4. v. 1

V. Unde ergo te queam dignoscere? An forte ex manibus? *Manus Christi tornatile, aureæ, plenæ hyacinthis*: id est succulentæ, politæ, perfectæ, plenæ gratiarum? ex quibus dimanant opera gratiosa, omni ex parte perfectissima, absolutissimaque, quæ assiduum tese versabant, volvebantque ad varia misericordiæ opera, jam suscitando mortuos, jam illuminando exoculatos,

Cant 5. v.

jam multiplicando alimenta, jam lympham mutando in lyæum; jam panem, & vinum in epulum eucharisticum. Aureæ illæ extiterant cùm ob charitatem, tum ob Divinitatem in omnibus cooperantem. Quidquid enim exterius operabatur, intus in divinitatis pulchritudine disponebatur.

Tuæ autem quænam illæ? An non plenæ sanguine, rapinâ, iniquitate? An non de ijs jure dici queat, quod olim de manibus Jacobi ab Isaaco parente dictum: *Vox quidem vox Iacob, manus autem, manus sunt Esau?* nimirum feræ, crudeles, in rapinam extentæ, ad cædem armatæ, ad feriandum complicatæ? *Gen.27.v. 22*

VI. Unde ergo te queam dignoscere? An ex incessu? At quantum distat ortus ab occidente; quantum cœlum à terra, tantum viæ tuæ à vijs Christi: *Viæ enim illius viæ pulchræ, & semitæ illius pacificæ.* *Prov.3.v. 17* tuæ autem plenæ rixarum, ac dissensionum. Illius viæ in assumpta mortalitate durissimæ; tuæ lapidibus ad delicias usque complanatæ. Illius ducunt per spinas, & tribulos; tuæ per viridaria & rosas. Illius per angustam portam, tuæ per latissimam; illius in Jerusalem cœlestem, tuæ in Jericho.

VII. Unde ergo te queam agnoscere? An ex cæteris membris? Christi Domini habitus corporis erat volumen quodpiam divinum, motus & actiones literæ, in quibus legebatur ipsius modestia, suavitas, pietas, patientia, charitas, immo & Divinitas. Unde *illi* quantumvis blasphemi paulò ante Apellæ, intuentes in pulpito crucis hoc volumen expansum, *revertebantur percutientes pectora sua, & dicebant: Vere filius Dei erat iste.* *Luc.23.v.24* Non sunt hæc notæ, puræ, singulariſque humanitatis; sed perquam expressi characteres Divinitatis.

Tuum autem corpus, & membra quid sunt aliud, præterquam Plauti Asinaria, quam Epicuri syntagmata, quam syllabus vitiorum? Dum enim elatâ cervice, libratis humeris, gradu basilico, spuriâ, ac ementitâ majestate ingrederis, alterinsque Hierarchiæ hominem profiteris, quis non legat fastum, & insolentis animi arrogantiam? Quando micas oculis, strides dentibus, tonas manibus, totoque vultu Furias circumagitas, quis non conjiciat impotentis animi vim, effusamque bilem? Quum item uno quandoque flexu te in orbem torqueas, pedes in fugam lubrices, corpus tremulâ agitatione vibres, quis te vanitatis non redarguat? *Homo apostata,* ait Sapiens, *vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* *Prov.6.v.12* Licet vocem silentio premat, tamen membris, & articulis loquitur; licet papyro, sepiâque destituatur, tamen gestibus, & actionibus in ipsa cutis suæ membrana exarat perversos suos mores, ut cuivis pronum sit eos relegere, & dicere: Verè filius nequam, filius tenebrarum est homo iste.

Ita

Christiani nominis abusus

Ita undecunque te volo cognoscere, invenio te à contrariis publicari. Invenio, quod nec in incessu, nec amictu, nec ex membris, & multo minus ex virtutibus aliis te possim discernere Christianum. Invenio quod in hoc duntaxat sis Christo similis, quod imaginem ejus reddas è contrario. Invenio te non tam fidelem, quam infidelem; non tam Christianum, quàm Anti-Christianum; non tam confitentem Christum, quàm omnibus membris, arteriisque inficiantem. Nam etsi oretenus profitearis te nosse eum, facto tamen ipso improbas, & ejuras.

Videte an non evidenter evincat, & nomine Christiano non paucos decernat indignos hic Apostolus? At mitiora forsitan vobis ab alio discipulo, & arbitro pollicemini. Bene habet Audiatur.

§ II

Quæstio à S. Ioanne urgetur.

1. Ioan. 5. v. 7. 8.

VIII. Tres, inquit ille, *sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, & aqua, & sanguis.* Hi testes conformiter probant Christum esse Filium Dei. Pater æternus, quando ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Filius item, quà vitæ suo exemplo, qua prodigiis inauditis, qua ore proprio contestatus est, *Ego & Pater unum sumus.* Spiritus S. quando in columbæ specie super eum descendisse visus est.

Testimonii vitæ quis conferat

Testantur itidem tres in terra de eodem, nimirum, spiritus, id est aura, siquidem mare, & venti obediverunt illi: sanguis tot sanctorum Martyrum, & Innocentum pro eo effusus; Aqua quæ de latere ejus profluxit, quaque nos in sacro baptismate abluit.

Jam vero neutiquam à te exigo testimonium è cœlo, ne dicas supra me est, quis potest illud conscendere? Peto à te testimonia de terra, id est Aquæ, sanguinis, & spiritus. Hæc nisi te Christianum esse comprobent, incassum Christiano gloriaris titulo.

Testimonium bonum dat Baptismus

IX. Imprimis sacer latex testari debet te fœdus in eo cum Domino tuo initum sacrosanctè custodivisse, nec vestem candidam, ullo unquam graviore minimùm scelere conspurcasse. Idcirco enim niveam in eo vestem accepisti, quatenus eam illibatam perferres ante tribunal Domini Dei nostri. Ideo non in præsentia duntaxat hominum, sed Angelorum renuntiasti diabolo, & operibus ejus; mundo, & luxuriæ ejus, quo Christo Deo soli deservires. Hæc vox tua scripta est, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. Si fallis, hæc linteamina te incusabunt, convincentque, cum Majestas venerit judicantis; demersura impios in abyssum putei sulphure exæstuantis. Hæc te immaculatum velabant de fonte surgentem, hæc te

te acrius perſequentur, nutrientque vermem intima depaſcentem. E tenim induit maledictionem ſicut veſtimentum, quiſquis perfide violat Baptiſmatis, fideique ſacramentum.

Item paſſio

X. Teſtari debet ſubinde ſanguis, id eſt cruces, dolores, cruciatus amore Chriſti patienter tolerati. *Qui vult venire poſt me, ait ipſe. abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* parum prodeſt ſequi, ſi non contingat conſequi. Parum commodat ſequi ad fractionem panis, niſi itidem ad ſumendum calicem Paſſionis. *Vaſa figuli probat fornax, homines autem juſtos tentatio tribulationis.* Æquè vaſa, ac homines pulſu tribulationis tentantur, quemnam tinnitum reddant. Tacebant ore egregii Chriſti pugiles, quum equuleo inſuerentur, ferreis ſuperinjecti cratibus uſtularentur, in cataſta diſtraherentur, dilaniarentur à Leonibus; conciderentur à lictoribus, à militibus millena morte conficerentur. Tacebant illi, verum enim verò ipſe ſanguis, vulnera, & oſſa ſedibus ſuis expulſa-, diſtenti nervi, membra confoſſa, corpora ſuſpenſa eloquentiſſimæ voces, potentiſſimaque hortamenta erant, quibus teſtatum faecrent, quam carus illis Deus eſset, cuius amore acerbiſſima quævis, morſque ipſa in pretio eſſet.

Eccli. 27. v. 6.

Item ſpiritus opera

XI. Teſtari tertio debet ſpiritus operibus ſanctis, ex amore & intentione optima factis. Etenim ex fructibus arbor, & homo peræquè diſcernitur. Fructus *autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, caſtitas;*

Gal. 5. v. 22.

ex quidus fidem tuam probare adſtringeris.

Poſtulantibus Iudæis, quatenus citra ullas ambages, ac ænigmata Chriſtus ediceret, quis eſſet: *ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam.* Non alio uſus eſt teſtimonio, præterquam operum: *Si mihi non vultis credere, operibus credite. Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Ita perrarò, & citra orationis ambitum, ſeſe palam Chriſtum Deum eſſe conteſtatus eſt, operibus, ſeu fructibus ſemper. Efficacius enim eſt ſpiritus, quam linguæ teſtimonium; tantoque à ſuſpicione remotius, quanto minus verborum phaleris exornatum.

Ioan. 10. v 38.

Ioan. 5. v. 16

XII. Subſimili ex cauſa in hodierno Evangelio veniunt dubiæ fidei diſcipuli à Ioanne miſſi ad Dominum, poſtulantes categoricum reſponſum, an ipſe ſit verus, promiſſus Patribus Meſſias. *Tune es, qui venturus es, an alium exſpectamus?* Et ecce Dominus nec verbulo prolato convertitur ad cœcos, claudos, leproſos, paupercs; illis viſum, his greſſum, aliis mundities confert. Tum primum acſi irrefragabili ſuam divinitatem probaſſet argumento, ait ad eos: *Renuntiate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis;* cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur. Veritas enim inſignius patet operibus heroicis, ac evidentibus explanata, quam verbis duntaxat prolata. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra.*

XIII. Iam nunc age, *Chriſtiani Chriſtologi* fare, frigidiſſime Chriſtologe, quod

Christiani Christologi.

quodnam mihi in argumentum tuæ religionis exhibes martyrium? An Aquam advocas? Hæc utique contra te perorat, teque millies fœdifragum factum enuntiat. Abrenuntiasse te subinde Deo tuo; & Orco, mundo, ac pompis ejus, quas ejuraveras adhæsisse, frequentius sathanâ dictatore, quam Christo Altissimi Consiliario usum esse.

Quid item dicet sanguis. Numquid testabitur is, te usque ad sanguinem, immo usque ad sudorem tentationibus restitisse? Nonne plus doles tuum, unâ raucæ plebeculæ voculâ, læsum honorem; quam pro te fusum Christi sanguinem? Nonne sanguis tibi per venas micat, salitq; ex lætitiæ intemperantia? Nonne ad vultum retrahitur ex iracundia? Nonne ad cor contrahitur ex impatientia? Nonne crucem, quamvis levissimam, aversatus es? Nonne lata tibi via magis cordi erat, quam arcta? Fatere, an non ex Tripode?

Quid tandem proferet spiritus? Quid? Quod ignoraveris, quæ sunt spiritus Dei, aut quis fructus illius, quod totus in decerpendis, venandisque carnis illecebris distentus fueris, in proferendis autem fructibus spiritus omnino sterilis. Unde ergo, aut quo teste te agnoscam Christianum? *Detegeris & deprehenderis o Christiane, dum aliud agis, aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem.* Deprehenderis esse vas signatum Christianis characteribus, sed vacuum omni liquore gratiæ; deprehenderis esse fax, seu lampas sine oleo; deprehenderis esse Christologus non Christianus: etsi enim Christum ore profiteris, totâ vitâ, & operibus altum exululantibus inficiaris.

Aug. l. 4. de symb. c. 1.

XIV. Vir magnus in Ecclesia raptus per visionem ad tremendum Dei judicium, non est agnitus pro Christiano, sed Ciceromano; eo quod impensius deditus esset lectioni ipsius, & paululum à Christiana simplicitate in scribendo alienus. Et tamen florebat ille tum quâ doctrinâ, quâ sanctimoniâ vitæ tanquam lilium inter spinas. Quâ ratione itaque merebitur nomenclatu râ Christiani donari, qui impensius imitari conatus fuerit Alexandrum, aut Euclionem quempiam, quam Christum? Quomodo ille, qui frequentius Tacitum volvit, ad rationem status effingendam, quam Evangelium; qui firmius de peccati illecebra, de vindicta, de mundo cogitat, quam cœlum, aut virtutem quampiam revocet?

S. Hier. Ep. 22 ad Eustoch. S. Hieronymus Ciceronianus potius quam Christianus

XV. Audiviin sacra mea Apocalypsi Anti Christum certo charactere sibi devotos initiaturum; *si quis acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei.* Character autem is non alter futurus est judicio multorum, quam N. C. id est, Nego Christum, & hoc signo exterius testatum reddent, sese Christi obnuntiasse; & Anti-Christo nomen dedisse, tametsi fortè permanserint in corde Christiani. Vah & ego non exautorem

Christiani perversi character Apoc. 14.

ex

ex albo militum Christi, qui quidem labiis Christum enuntiant, corde autem, actionibusque suis tanta contentione ejurant, ut & cœli, & inferorum voces obtundant. Clamet licet Pater aut Frater ex Erebi cataſtis: Revertere, revertere, perversa est via tua, nō percipiūt. Clamēt alii amici, ac Patroni desuper: *Miserere animæ tuæ placens Deo*, rugitu furoris ipsorum vox illa obtunditur. Clamet ipse Christus in conclavi adumbratus: Absiste, absiste tandem exulcerare vulnera mea, fodicare pectus meum, spinis peccatorum tuorum transfigere tempora mea, satis sit, litatum semel esse vivorem meum, cur itera-to me in crucem cogis, & exulceras vulnera mea? Verum & hæ preces offocantur, auribus ad sathanam mundumque obversis, atque à Deo aversis. Deseritur Christus non adurgente per carnificinam tyranno, quod tamen scelus gravissimum est, sed Orco duntaxat blandiente, atque ad delicias volaticas invitante, quod infandum est. Hoccine ergo est credere? hoccine est christi legem profiteri? hoccine est Christianum esse? Nimirum apud illos, quibus Anti-Christus pro Christo est, *quorum Deus venter est & gloria in confusione ipsorum.*

Eccli 30. v. 24.

Phil. 3. v. 19

Nominis reatus & adulterium.

Liquet itaque vosmetipsos fallere, & sub sipario Christianæ professionis infidelitatem ipsam circumferre. Liquet esse vanos Christologos, non Christianos. Liquet ex moribus, ex vita, ex testibus omnibus, sectatores potius esse Anti-Christi, quam Christi.

XVI Quos ego quicunque ii sunt, cum magno illo orbis triumphatore arguo, & adhortor: *Aut mores mutate, aut nomen.* Turpe est mendacium efferre pronuntiatione, turpius actione: Turpe est profiteri ore Christum, & opere in ipso præseferre ejus adversarium. Damnosum, & crimen immane, est nomen inane. *Aut nomen muta, aut mores.* In ipsis Averni suppliciis nomen inane futurum est vobis tormentum immane. Hoc enim nunquam non carnifex aderit, omnique gladio ancipiti profundius sauciabit.

Ne vero nomen mutare cogamini, mores corrigite, & adnitimini, quod estis professione, actione non nomine duntaxat circumferre, quatenus nomen congruat actioni, ne deinceps sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit deifica professio, & illicita actio; ne locutionem simuletis columbinam, & mentem geratis caninam, ne professionem monstretis ovinam, & ferocitatem nutriatis lupinam. *Aut nomen muta, aut mores.*

Christi imitatio.

XVII Arripite consilium Christi dilectæ suæ concreditum. Ea dilecto inquirendo insistens, nec à vigilibus agnita, objurgata verbis acerbioribus, multata verberibus, affecta vulneribus, proprio denique exuta palliolo: *Custodes murorum percusserunt me, tulerunt pallium meum.* Huic malo in futurum prospecturus sponsus blandè eam consolatus ait: *Pone me ut signaculum super cor tuum, & ut signaculum super brachium tuum.* q. d. Si deinceps dilecta haberi, æstimari, ac suspici ab aliis inardescis, ita mo-

Cant. 5. v. 7.

Cant. 8. 6.

mores meos, vitamque cordi, ac brachiis imprime, quatenus eorum similitudinem in te, id est cogitationibus, actionibusque exprimas; ut qui te conspexerit, me vidisse arbitretur. Pone me item ut signaculum in fronte tua, ut semper confitearis; in corde, ut semper diligas, in brachio, ut omnia opereris ad imitationem actionum mearum. Hac ratione mihi assimilaberis, & mea ab omnibus agnosceris.

Author & amator hujus Sponsæ Amator noster est, idemque nobis in ipsa suggerit consilium; quatenus ipsum supra præcordia, brachiaque ponamus, ne deinceps nomen inane circumferamus; ut omnia cum ipso, per ipsum, & in ipso operemur. Cum ipso nimirum cooperando gratiæ ipsius, per ipsum omnia offerendo in laudem, ac gloriam omnipotentis Dei; in ipso, ut quasi Personam ipsius assumpsisse videamur, operaque non tam humana, quam Theandrica exercere.

Hoc enimvero est Christianum esse, non tantum nomine, sed re ipsa Christum profiteri, ac imitari. Hoc est sui nominis esse virum, seu mensuram sui explere cognominis Hoc est gaudere professione, ac Societate Christi JESU, quam nobis in hac per veram, sinceramque imitationem, in altera vita per indissolubilem unionem largiatur, qui cum Patre, & Spiritu S. vivit, & regnat DEus per sæcula. Amen.

CONCIO III.

IN DOMINICA III. ADVENTUS

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Levitas ad Ioannem. Ioan. I.

ARGUMENTUM.

Legatio manca.

ORdinarios Judaicæ gentis nuntios ex Evangelio præsente accepimus, Aud. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes.* Quales isti; Vel quid illis negotii?

Plut. in Catone Appian in Mithrid.

Fortuito accidit, ut Senatus Romanus Legatos quospiam in Bythiniam destinaret, & quidem omnes ægritudini cuipiam, aut defectui obnoxios. Unus ex ipsis podagra conflictabatur, alter capite laborabat, tertius forsitan pleuritide excruciabatur. Marcus Cato perpensa hac Legatione, non sine Splene, & sarcasmo intulit: Legatio nec caput, nec cor, nec pedes habet.

At non fortuito, sed ex mera Iudæorum malevolentia evenit, ut supparem retexerint Legationem ad Ioannem, *Miserunt Iudæi* &c. Certè S. Augustinus vocat eam stultam; S. Hieronymus trepidam, ac timidam indigitat; S. Chrysostomus claudam, & imperfectam appellat. Si stulta, & sideratа, caput non habet; si timida, excors est; si clauda, pedibus destituitur.

Admitto sensum SS. Patrum, & ostendam Legationem hanc, & Electionem S. Ioannis nec Caput, nec Cor, nec pedes habuisse; concludendo in hoc doctrinas quà Theologicas quà morales.

Solve polluti labii reatum
Sancte Ioannes.

§. I.

Legatio Acephala.

In legatis requiritur Prudentia.

II. Non ita columnas capitella, ac bases venustant, non tholi, ac colophones basilicas exornant; ut provehit Caduceatoris majestatem Caput, seu Prudentia. *Si aliquid tum ratio Legatorum debet habere caput*, scribit Isidorus Pelusiota. Si illos honestat genus, si comitatus, si divitiarum splendor, tum imprimis sapientia, ac prudentia.

Isid. lib. 4. Ep. 104.

Deus quos mittat nuntios.

Deus Optimus Maximus, qui inscrutabili Providentia, ac sapientiæ cuncta gubernat, identidem suos ad nos destinat, quà cœlestes, quà terrestes, quà supremi subsellii, quà inferioris Caduceatores. Ex cœlo, & supremò ordine destinat, ipsa Capita, ipsas Intelligentias. Videtis identidem illos effictos in solo capite, omnibus aliis membris privatos, ac mutilos; Quonam mysterio, aut intuitu? Quo nimirum pateat, solas esse Intelligentias, solas mentes; non tam laborare manibus, quam ingenio, sagacitate; prudentia singulari, omniaque sapientissimè exequi.

Angeli cur solo capite adumbrentur

Ex terris subrogat Vates, & Apostolos. Et quales istos? Profecto nonnisi cum capite. Etsi enim nonnunquam Acephali, & rudes ante electionem invenirentur; etsi nec primis labiis politices arcana delibassent; aut passu uno sapientiæ adyta frequentassent; attamen per illam ipsam ad id muneris vocationem imbuebantur omni sapientia, & doctrina, dicente Domino: *Ego dabo vobis os, & sapientiã, cui nõ poterunt resistere, ac contradicere omnes adversarii vestri.* Confidite, eo ipso, quod vos assumam, hoc ipso vos aptos, & idoneos efficiã ministros. Si vires deficiũt vobis, ego sufficiã; si nõ suppetit cõsiliũ, ratio, prudẽtia, ego dispesabo: *Ego dabo vobis os, & sapientiam, Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Luc. 21. 15.

Legatus imprudens exitialis

III. Sub tempus tamen Imperii Regis Balthasaris, Acephalum quempiam de Caduceatoribus suis destinasse ad aulam Babylonicam à Daniele Vate percipio: *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi hominis scribentis contra candelabrum.* Verum exitu infelicissimo. Quippe sine facie apparuit, quia non tulit cõscius divinæ pietatis Angelus

Dan. 5. 5.

lus videri dum furit. Sine vultu, ut hoc pactô ostenderet, se nullô habitô respectu, aut aspectu, cœco quasi modo animadversurum. Sine vultu, ut eô ipsô acephalum exterminium indicaret; & digitum in calamum vertit, ut vel hoc ipsô sævitiam suam exprimeret. *Eadem nocte interfectus est Balthassar Rex Chaldæus.* Nempe ubi sine capite res agitur, secundam capere nequit coronidem. Præcisô capite emoritur corpus; sublata sapientia ac prudentia, emoriuntur consilia. Ubi de capite actum est, de tota summa rei conclamatum est.

Ibid. v. 30.

IV. Videte autem an non sororia sit Legatio hodierna Judæorum. Exigite an non cerebro laboret, aut caput, & intellectum habuerit? Scopus illius erat honorare Joannem, ipsumque in Messiam, si admisisset adoptare; Christum etsi meruisset ipsi postponere, Vocem Verbo præferre. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis ad Ioannem.* Ubi hic ratio? ubi sapientia? ubi prudentia? Nullum ex scripturis de S. Ioanne testimonium legerant; nullum oraculum de eo cœlitus acceperunt, nullum prodigium in omen Divinitatis illius viderant; & tamen illi fasces deferunt, & si admitteret, adorarent.

Iudæorum stultitia in legatione ad Ioannem

Ex adversum Christus & vaticinsii inclaruerat, & prodigiis inauditis Divinitatem suam comprobaverat, & quidquid in sacris literis de eo conscriptum erat, completum viderant? & tamen eidem titulum, & vitulum, nomen & rem ipsam derogabant. *Miserunt ad Ioannem.* Nonne hoc est explosâ cedrô ungere Rhamnum, posthabita veritate, vanitatem ac mendacium amplexari? Verbo vero, ac vivo neglecto, vocem sequi dubiam, ac evanidam?

V. Vah & quoties idipsum attentamus, ac patramus! Quoties despectato, ac desputo Verbo clamante de excelsis, ad vocem convertimur exululantem in desertis! Vocem clamantem in deserto intelligo ex mente Salomonis creaturas universas; de quibus ille: *Et hoc, quod continet omnia scientiam habet vocis.* Si S. Augustinum consulamus, quænam istæ sint voces, dicet: Ipsæ species creaturarum voces sunt quædam, Creatorem laudantium.

Creaturæ voces

Sap. 1. 7.

Voces sunt, ex quibus Sancti Dei manuducuntur, invitanturque ad Dei potentiam, sapientiam, bonitatem deprædicandam. Voces, quibus malevoli abducuntur ad summam ipsius Bonitatem, Pulchritudinem, Majestatem deserendam, ac lacessendam. Voces quæ canoro, & elato sono indicant sapientibus mundi vanitatem; Voces quæ incipientes irritant, ad suam amplexandam inanitatem.

VI. Evenit nobis identidem, quod Samueli juveni, & rerum divinorum etiamnum ignaro. Hunc sopori litantem evocavit Dominus:

Homines facilius convertuntur ad creaturas, quam creatorem

Samuel, Samuel. Ille utpote nescius, à quo ea vox prodiret, cucurrit ad Heli, & ait: *Ecce ego, vocasti enim me*; idque factum secundo & tertio. Nec mirum, puer enim erat, & Dominus se illi nondum manifestaverat. Id multò insolentius, quod nos probè vocem distinguere noverimus; & tamen identidem ad creaturas à Creatore convertimur: magis auriti deprehendimur ad voces nugaces, fallaces, veteratorias excipiendas, quam ad verbum divinum admittendum, & in præcordijs servandum. O quoties, quoties verbum divinum insonat in auribus, ac præcordijs nostris, nec auditur; quoties allabitur ad intima cordis, & repellitur; stationem, ac primatum jam occupantibus vocibus, seu creaturis. Judaizamus nimirum, & Christo flocci habito Joannem præferimus; legationem desideriorum, ac votorum nostrorum, non ad Verbum, sed ad Vocem adornamus.

1. Reg. 3. 4.

Dicite an non hoc sit desipere, & acephalam legationem, seu electionem reddere? Profectò si quid judicij, si quid rationis, ac discretionis in nobis esset, receptui caneremus; nec tam ad Voces, quam ad Verbum intentiones legationum nostrarum dirigeremus; non servis creaturis, sed Domino Dominorum deferemus

VII. Quid verò ex tali legatione, seu electione spei concipere possumus? Id sanè, quod Balthassar Rex ex sola trunca manu nuntia; quod ab homine acephalo; quod à quopiam siderato, & à se alienato, nimirum subversionem, ac ruinam nostram. Quotquot enim secundum concupiscentias suas abeuntes, Deum, ejusque sanctissimas leges post tergum abjiciunt, utriusque protervi contemptores, turpissimi utriusque desertores, manifesto se exponunt periculo, ne & ipsi clament, & non audiantur; à deserto Numine deserantur; & congrua gratia, de suprema Majestate læsa millies rei, destituantur ingrati. *Justè deseritur à Deo, qui Deum deserit*, inquit S. Fulgentius. Æquum est, ut ita se gerat Deus erga nos, postquam illius notitiam adepti sumus, sicut nos gerimus erga illum. Æquum ut sicut ab illo convertimur ad Voces, ad creaturas; ita ille à nobis avertatur, & ad alios sua munera transferat. Æquum ut tandem subtrahat indebitam nobis singularis benevolentiæ gratiam, quando nos Deo nostro debitam obedientiam, dum vivimus, aut sæpius, aut fere semper subtrahimus, uno sed continuato flagitio.

Homo deseritur, qui Deum deserit

S. *Fulgent lib. de Prad c. 33.*

§. II.

Legatio excors

VIII. Investigemus ultra, num hæc legatio corde destituta non fuerit. Est hæc altera dos Legati cordatum, ac magnanimum, seu impertertitum esse.

Legatus sit cordatus

Hac dote, seu notâ perinsignes

gnes itidem esse ambiit, vel reddidit Dominus, quotquot ad id muneris subrogavit.

Gabriel cur missus à Deo.

Elucet id è divini conceptus nuntio, ad B. Virginem destinato. Gabriel is erat, id est fortitudo Dei; ut vel ex nomine constaret cordatum fuisse, & ad ardua quævis tractanda peridoneum. Congruum enim erat, ut ubi ad honorificam salutantis vocem, & inauditi à sæculis mysterii novitatem pudibunda turbaretur Virgo, & suffuso pudore coloraretur in rosas, à magnanimo Ministro erigeretur, & de divini partus, salva integritate, informaretur sacramento.

IX. Elucet ex Testamenti Ituraei Legato, Ieremia Vate, imminente Babylonica captivitate, Dei singulari clementia ad populum Israeliticum misso; quatenus eum ad agendam digne pœnitentiam excitaret; & ipsi jam jam imminentem cervicibus, hostium machæram averterent. Is ut potuit salva obedientia ac reverentia erga Numen supremum humeros tanto oneri subducere nitebatur. Cui Dominus: *Accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.* q. d. Macte animi, & forti esto pectore in omnibus functionibus tibi committendis. Causam subdit: *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram,* id est: Ego hodie te reddo cordatum, atque fortissimum contra quosvis adversarios tuos, ut sis quasi civitas munitissima, & quasi columna ferrea, quæ universa onera sibi imposita infracta sustineat, & quasi murus æneus, qui arietes quosvis, & bellica tormenta citra sui læsionem excipiat, ac repellat. *Ego dedi te in columnam ferream, & in murum*, robore, & ære triplici in pectore eo obvallatum. Expedit enim inconcussum consistere, quo bases concrediti sibi nituntur imperii.

Ierem disponitur ad vaticinandum.

Ier. 1. 17.

Ibid. v. 18.

X. Elucet ex Novo Testamento, id est SS. Apostolis, & Archinuntiis Verbi incorporati. Hos ego lubens concesserò, initio conversionis suæ pusillanimes, & excordes fuisse: idque in tantum, ut vel ad unius ancillæ focariæ vocem arundinis instar agitarentur, vitæquæ suæ Authorem perfide ejurarent. Id enim evenit priusquam officio suo fungerentur, & ad id emitterentur. At verò ubi id obire exorsi, induti virtute ex alto, tunc perinde ac Leones irrueruntin Agnos, & ferrum, ignes, cruces, catastas, tanquam crepundia quæpiam, aut ementita terriculamenta ducebant. Unde & ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam pati.

Apostoli induti v tuca ad prædicand.

XI. Hanc dotem inter alios suspiciebant, ac inquirebant in suis Legatis Romani. Eapropter Catonem seniorem Cor senatus nuncupatum duodecies hoc munere in causis gravissimis, periculosissimisque ornatum

Cato Cor senatus

ab iis legimus. Idcirco Regulus Attilius ob infractum animum à Carthaginiensibus Cordatus initiatus inipsis legationibus, quia hostibus nec quicquam contra Reipublicæ suæ dignitatem indulgere voluit, teterrimè ab iis interemptus est. Ideo alii quique in pretio habiti, & ad legationis munia adoptati.

XII. Hac eadem dote nobiles exoptarem, quotquot nuntios cogitationum suarum destinant ad statum quempiam, aut status rationem eligendam. Ohe quoties Leonem in via somniamus, vix lepore incurrente? Quoties comminiscuntur montes in muribus? Quoties jactum ante lapidem deficimus? Quoties in ascensu minimi collis relubricamus? Meditatur quispiam sanctissimè sese sequestrare à tali vel tali persona; extirpare altum firmatas laxioris vitæ consuetudines; strictioris vitæ institutum amplexari; sed præcordiis ad obices palpitantibus, horrore rigescit, suisque in sordibus contabescit. Concipit alter propositum firmum continentiæ, & voto tamquam muro quopiam æneo se obvallat, sed quia corde deficit, minima; vulpes transilit, obvia syren transcendit. Inducit tertius repudiatis mundi illecebris Christo Domino soli sub labaro crucis deservire; verum in sua membra, ac vires descendendo Pygmeum se reputat ad onus Giganteis humeris formidandum. Unde istud? Nempe ex defectu cordis & animi. Si illud adesset, evinceret omnia, & vel per calcatum pergeret patrem, perque ferrea claustra, & obices eniteretur.

Pusillanimitas arguitur in electione

XIII. Et hoc defectu laborabant Judæi, ideoque non ad Christum Verbum, sed ad Ioannem Vocem Legatos suos direxerant. Audiverant enim illum in monte concionantem, arduamque viam per patientiam, paupertatem, mansuetudinem demonstrantem. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* &c. Audierant forsitan dicentem ad alios: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et dicebant: *Durus est hic sermo, & quis poterit eum audire?* Viderant Christum indies prope in civitate ipsorum, aut intra templi adyta nunquam non Censorem actionum suarum præ oculis versari; & cogitabant, si Christo deferimus, Catonem nobis imponimus. Jam de facto gravissimè nos perstrinxit indigitando sepulchra dealbata, fermentum hypocriseos, plenos rapina, & iniquitate. Quid subinde facturus in potestate, qui tanta præsumpsit in subjectione? Jam in præsenti evocavit Matthæum è telonio, jam ejecit ementes, & vendentes in templo; quid non acturus agnitus, & habitus ut Messias? Ioannes etsi austèrioris sit vitæ, attamen in Eremo, non in templo moratur; rarius nos visitabit, videbitque; suis ille rebus studebit, non nostris se

Judæi Legatos sideratos mittunt

Matth. 5.3. Luc 6.20.

Luc. 9.23.

§ III.

Legatio Claudæ.

se immiscebit. Quid rerum apud nos agatur vix aut ne vix quidem resciet, multò minus in nos animadvertet. Ergo Joannem præstat honorare, illi titulum Messiæ deferre, nobis vitulum reservare. Sed dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ: Loquatur ipse S. Doctor, & suam mentem explanet: *Securos se putabant solitudine Ioannis; ideoque conventionem Christi reformidabant.* Stimulabantur conscientiæ suæ remorsu, & ne fortè Christus præsens unguem poneret in ulcere, maluerunt eligere Joannem Christo posthabito.

S. August. in Ioann.

XIV. Qua in parte fororios sese exhibuere Ephraitis, mittentibus ad Ægyptios, ac Amonitas ad idola ipsorum accersenda, de quibus Oleas: *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* Quemadmodum isti spretô Deô vivô, ac verô prætulerunt, redarguente ipsos conscientia ipsorum, idola; quæ oculos habent & non vident; manus habent, & non palpant: ita isti Christum reformidantes posthabuerunt veritatem, & elegerunt vanitatem. Facti sunt Ephraimitæ, Columbæ seductæ non habentes cor. Nam ut ait Sapiens: *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.* Nemo tam audax, quem rea conscientia non faciat timidissimum. Mens flagitiosa palpitat metu assiduo, & excordem, eviratumque prostituit transgressorem.

Oseæ. 7. 11.

Conscientiæ remorsus

Sap. 17. 10.

XV. Quid dicam de Pedibus? Pedes nostri, affectus nostri sunt; non minus istis anima, quam illis corpus fulcitur, ac progreditur. Claudicat his pedibus, quisquis sinistrô, & pravô ducitur affectu. *Vsquequo*, ait Elias ad omnem Israelem, *claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum. Si autem Baal, sequimini eum.* Non claudicabant illi pedibus corporis, sed animi: Quippe cum Deum colerent, Diis itidem immolabant. Uno pede dextrô adhreæbant Deo, alterô sinistrô deflectebant ad idola. Rectus ille erat, hic obliquus, ideo Claudiani erant: *Vsquequò claudicatis in duas partes?*

Per affectus

1. Reg. 18.

Turpissimum hoc vitium est, cum in omnibus aliis; tum imprimis in Feciali. Etenim si hic vacillet; si agat & præseferat Claudianum, si suis rebus studeat, non communitatis, maculam haud vulgarem illi inuret. Nec secus, ac claudus casui præ aliis obnoxius est: ita ipse Rempublicam periculis, ac ruinæ exponet.

Legatis sinceritas commendatur

XVI. Macula hæc in præsentibus Judaicis Caduceatoribus perquam luculenter apparet. Testatus est palam, & expressè S. Joannes se non esse Messiam; *Confessus est, & non negavit; & confessus est, se non esse Christum.* Iterum, iterumque ob-

Ioan. 1. 20.

obteſtatus eſt, ne ſibi imponerent umbram pro veritate, Vocem præ Verbo ſectantes. *Confeſſus eſt, & non negavit.* Inſuper direxit eos ad Chriſtum dicens: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Ego Vox Clamantis, ille Verbum: *Ego baptizo in aqua, ille autem baptizabit vos in Spiritu S.* Hic multo *major me eſt, cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam corrigiam calceamenti ejus.* Ite ad illum, ipſum eligite, colite, deprædicate.

Ib. v. 26.

Quid illos retraxit in aliam partem? Quid? Intereſſe proprium. Quid? Miſter affectus, quo ferebantur in Joannem, tanquam ordinis, ac tribus Leviticæ. Quippe qui miſſi fuerant, erant Levitæ, ac Sacerdotes, & ut tales præoptabant Ioannem ex tribu ſua Levi, tanquam filium Sacerdotis, vel etiam agnatum, & nepotem ſuum; non item Chriſtum ex tribu Juda, & regia. *Miſerunt Iudæi* &c. Cogitabant enim noſtras ille eſt, patrocinabitur ille generi noſtro, promoturus eſt ordinem, ac dignitatem, redditus, & bona noſtra. Si autem Chriſtum aſſumpſerimus, favebit ille magis tribui Juda, in illam ſplendores, ac gratias ſuas affluentiſſimè diffuſurus. Sit Joannes, non Chriſtus Meſſias; illi, non iſti faſces deferantur. Ecce hæc tota Legatio quam acephala, quam excors, quam clauda; quam vere Capite, Corde, pedibus deſtituta.

XVII. Utinam, utinam hac itidem in parte impiis non reſponderemus! Utinam ſiniſtris non abduceremur affectibus ad Vocem potius, quam Verbum eligendum. Quid enim cauſæ eſt, quod ſæpe ſæpius à Chriſto Deo, ac Domino noſtro avertimur, & convertimur delinquentes ad creaturam? Quid quod identidem lites iniquiſſimè decidamus? Quid quod indigniſſimos promoveamus, aliis bene meritis poſtpoſitis. Planè nihil aliud, quam reſpectus, aſpectus, affectus perverſus. Hic Claudianos efficit, hic avertit à Verbo ad Vocem, à Creatore ad Creaturam, à Deo ad hominem. Etſi enim ratio contrarium ſuaſerit, ſolus affectus obtinet, & decidit.

XVIII. Hos ego omnes, & ſingulos ore Eliæ Prophetæ alloquor, & edico; *Vſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini eum.* Si creditis, & confitemini Deum ſolum eſſe datorem omnis gratiæ, & gloriæ; ſi creditis Remuneratorem eſſe bonorum omnium, ac Vindicem reproborum; ſi creditis, qui ſequitur illum, non ambulat in tenebris; ſi creditis, quoniam magna eſt gloria ſequi Dominum, ſervite illi ſoli, & ambulate in ſemitis ejus. Non vos abſtrahat caro, non ſupplantet Orcus, non fallat mundus; ſed ſi *Dominus eſt Deus, ſequimini eum.* In duabus ſellis ſedere non poteſtis, altero excidatis neceſſe eſt.

Non reputemini inter illos, de quibus Pſaltes queritur: *Filii hominum mentiti ſunt ei, filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt;* id

Pſal 17.

& illico ad sibilum Alastoris Avernalis desciscunt. *Mentiti* sunt, quia recesserunt à me, & corde toto sequuntur Absolonem. *Mentiti sunt*, quoniam tot proposita, immo & vota mihi facta nequiter violant, & infringunt.

Inveniamur potius Davidis æmulatores, ut cum eo dicere possimus: *Statuit supra petram pedes meos, direxit gressus meos*; id est: Is qui eruit me de omnibus malis, & reduxit me in viam rectam; statuit supra fidem, doctrinam, atque exempla Christi pedes meos, ut sequar vestigia ejus; & direxit gressus meos, quatenus recto inoffensoque gradu, vitæ cœlestis tramitem decurrant.

Psal. 39.3

Inveniamur Caduceatores, & Caput, & Cor, & pedes habentes. Amen.

CONCIO IV.

IN DOMINICA. IV ADVENTVS.

Parate viam Domini. Luc. 3.

ARGUMENTUM.

LECTULUS FLORIDUS HOSPITI VENTURO adornandus.

I. ADventanti de supernis Hospiti paranda via est, quâ ingrediatur; parandum diversorium, ad quod deflectat; parandus thronus, in quo pro dignitate resideat. A. Grandis enim foret inurbanitas minore apparatu cœlestem Hospitem, ac Dominum dominantium, quàm terrestrem quempiam Summatem excipere. Enorme rusticitatis opus, eum, cujus adventum tot votis exambivimus, tot precibus exoravimus, tot officiis demereri nobis allaboravimus, tandem citra ullum debiti honoris, ac venerationis obsequium suscipere; aut quod absurdius, præsenti fores oppilare. Parandum itaque diversorium, ad quod deflectat, thronus in quo resideat.

Erravi. Non thronus, sed Lectulus adornandus: Qui enim de itinere venit, non luxum, ac pompam respicit vestibuli, sed locum quietis; non discutit propylea parergis variegata, aut marmoribus incrustata, sed angulum indagat securitati, ac quieti destina-

natum. Quid verò divinissimus Hospes noster? Nonne ipse est, qui exultavit ut Gygas, ad eurrendam viam, fatigatusque ex itinere, quod è summo cœlo sit egressio ejus, quiescere cupit, cum pervenit? Nonne ipse languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portavit? Nonne ipse advenit perinde ac Sponsus amantissimus præcordiorum nostrorum? Parandus ergo Lectus, non Thronus.

Sed qualis? Dilectam audiamus secretorum ipsius oppidò consciam: *Lectulus*, inquit, *noster floridus*. Lectulus, & quidem floridus parandus, non aula, thronus aurò, gemmisque prænobilis.

Cant. 1. 16.

Ridetis forsitan, & cum mellitissimo Patre opponitis: *Quid Gygantem quæris in Lectulo*; quem nec tellus, nec cœli cœlorum capere queunt? Num stringes cubitò, *qui mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit; qui appendit tribus digitis molem terræ?* An Infinitum mensurabis decempeda, Incomprehensum stringes palmò, Interminum concludes angulò? *Quid Gygantem quæris in Lectulo?* Nihilominus ignoscet mihi quisquis hæc ingerit, si cum Dilecta sentiam, & dicam: *Lectulus noster floridus.* Lectulus, isque floridus adornandus.

S. Bern. ser. 5. de Nativ.

Isa. 40. 12.

Si forsitan scire est animus, quis ille sit; ajo: Cor nostrum est, quod & Lectulus esse debet, & Floridus, ut eum suscipere mereamur. Quod ostendam.

§. I.

Lectulus adornandus.

II. Imprimis Lectulus debet esse cor nostrum, nimirum tam angustum, ut solius, & unici sponsi sit capax. Recusat ille socium, aut corrivalem habere in pectore, qui gestit illius hæres esse ex asse; nec in partem admittit dominii, qui solus meretur coli, & adorari. Maluit jam olim solus in stabulo extra pomœria commorari, quam ad turbam tumultuantem in urbem deflectere.

Christo Lectulus adornandus

Romani cur Deum Israelis non coluerunt S. Aug. lib. 1. de Cons. Evang. c. 17

Difficultatem ad speciem quidem curiosam, scitu tamen dignissimam movet Lumen Africanum Augustinus, quid nimirum causæ sit, quod Romani, quum omnium Gentium idola colerent, unicum Iudæorum Deum, vivum, & verum omnino aris, fociisque suis proscriberent. Certum enim est, quod S. Leo scribit: *Cum pene omnibus dominarentur Gentibus, omnium gentium serviebant erroribus, & magnam sibi assumpsisse videbantur religionem; quia nullam respuebant falsitatem.* Arbitrabantur enim sapientissimi consilii arcanum esse, non minus cum potentissimis quibusque viris, ac summatibus inire societatem; quam omnium Deorum nullò excepto captare benevolentiam.

S. Leo ser. 1. in Nat. Apost.

Scisciatur itaque S. Doctor, quid causæ fuerit, quod omnium nationum idola devenerantes, nullum aut templum, aut etiam aram Deo Israelitarum erexerint? *Cur à numero cæterorum iste rejectus est?* Non est rejectus Bacchus intemperantiæ

man-

mancipatus ; non Mercurius à longioribus digitis nobilitatus ; non Mars truculentus ; non Saturnus , propriorum natorum peremptor , non alii minores ſemiDei , quorum vix numerum inire eſt , proſcripti. Quin etiam ſua pegmata , ſuas ſtatuas obtinuêre ab ipſo ſtercore , ac ſordibus diffamati ; ſolus Deus deorum , Dominus dominantium expunctus , nec thure, nec acerrâ unquam honeſtatus. Quid iſtud ? Numquid iſtius latebat Divinitas , tot undique irradiata fulgoribus , manifeſtata prodigijs , proclamata teſtimonijs ? Non utique , ſiquidem magnum erat nomen illius in gentibus. An forte ipſius percellebantur Numinis Majeſtate , aut ſeveritate ? At ſi quoſpiam colebant ut propitios ; etiam nefaſtos ad cladem, calamitateſque avertendas devenerabantur. Quid igitur cauſæ?

Deus non paritur corrivalem

Princeps ea fuit,quod honore debito advenerari Numen ſacroſanctum nequiverint. Etenim ex monito Socratis receptum apud eos erat , eo modo quemvis Deorum colere , quo ipſi honorari vellent. Et ea de cauſa hic thure , ille victimis , alius ignibus , quo quiſque vellet ritu colebatur. Scientes autem Deum Iſrael exigere à cultoribus ſuis , ut ille ſolus , ac unicus haberetur , ſecluſis aliis , definiebant , hoc uno proſcripto , alios retinere , qui ſibi nequaquam Contravenirent ; ſed ſub eodem tecto , eademque in ara amicè ſubſiſterent. Ita vel ex Ethnicorum tenebris elucet , Deum noſtrum lectulum ambire non lectum ; ſolitudinem, & eremum, non ſocietatem diligere.

Cor non capit duos

IV. S. Jacobus Apoſtolus adhortans nos ad Verbum divinum cum fructu audiendum , utitur metaphorâ tranſumptâ ab arborum inoculatione , & dicit : *Abjicientes omnem immunditiam , & abundantiam malitiæ , in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum , quod poteſt ſalvare animas veſtras* : Supponit S. Apoſtolus arbori , & quidem ſilveſtri hominem ſubſimilem , quæ ut fœcunda evadat , Verbum divinum , perinde ac ſurculum melioris vitæ , inſe debet admittere.

Jac, 1. 21.

Inſitio ſpiritualis

Porro ad inſitionem duo inter alia requiruntur : Primum , ut truncus , cui ſurculus inſeritur , ſit animatus , & viridis ; non eradicatus , aut mortuus. Hac enim ratione facile ſurculus cum ſtipite in unum coaleſcit , & una arbor , eaque fructifera efficitur , exuente trunco ſilveſtrem animam , & nobiliorem induente. Tunc enim jam non in ſuos frondes , flores , fructus degenerantis naturæ exuberat, ſed in flores , frondes , fructus mitioris , ac felicioris ingenij à ſurculo deſumpti propagatur. Quod ſi truncus aridus ſit , tantùm ut ſurculi vitam vivat , illico areſcit ,& expirat. Alterum quod ad felicem requiritur inſitionem eſt ; ut antequam ſurculus inſeratur,inutiles rami defalcentur , infructuoſi ſtolones reſcindantur ; & ut ait

Circumcisio spiritualis

Mantuanus enodes trunci resecentur; si enim truncus inutilibus silvescat frondibus, si in priores fœtus erumpat, rursum surculus emorietur, ab ipsa silvestrium ramorum congerie oppressus, ac quadantenus offocatus, Novercalem enim ipsius experietur animum, quem plus quam maternum agnatis sibi exhibet stolonibus; his abunde lactis succum sufficiendo, sibi autem tanquam adoptivo, ac privigno subtrahendo.

Ad eundem modum ait S. Jacobus sese habet Verbum divinum vocale; si quispiam fuerit persimilis arboribus eradicatis, bis mortuis, vel etiam silvescat degenere sobole, neutiquam excrescet, nec fructum feret; si autem fuerit arbor virens in spem bonam, ac stolones resciffi, in novam reformabitur naturam, feretque fructum exoptatum, ac excellentem. *Suscipite insitum verbum.*

Christus non cohabitat vitijs

Quod S. hic Apostolus expetit à nobis ad Verbum vocale, accidentale cum fructu suscipiendum, id multò amplius requiritur ad Verbum divinum Patri æterno consubstantiale non otiosè admittendum. Resecandi sunt degeneres vitiorum stolones ex trunco cordis nostri, quatenus eidem inseri dignetur, & in unum queat corpus coalescere. Effundente enim sese ad alia animo evaporat, & intermoritur subito in nobis Verbum divinum; nec ad justam adolescit ætatem. *Lectulus noster floridus.*

Christus & Dagon non convenit

V. Posteaquam Philisthinorum summates ulciscente in populo scelera filiorum Heli, & aliorum Domino, Israelitas cruento prælio profligassent; Arcamque Dei captivam abduxissent; posuerunt illam in fano idoli sui Dagonis. Quo id animo fecerint, an evehendæ inimirum Arcæ, an deprimendæ coram idolo, non disputo; eventum duntaxat velim expendatis. Vix posita erat in pegmate idoli Dagonis Arca, quum illud exturbaret, ac protereret: *Invenerunt Dagon jacentem super faciem in terra, coram Arca Domini; Corpus autem Dagon & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant.* Quid obsecro mysterij? Cur nec unius noctis societatem passa est arca, quantumvis captiva? Inquilinus cedere coactus est hospiti, & cum dedecore coram eo procumbere. Quid causæ? Nempe id, quod Psaltes decantat: *Non habitabit juxta te malignus* Non hospitabitur, nec morabitur unà, lux & caligo, Numen & idolum, Deus & Orcus. Uno introeunte, alter excedat necesse est.

1. Reg. 5. 4

Psal. 5. 5

Tertul. lib. adv. Psychic.

Eadem operatione, philosophatur Tertullianus, *spiritus iniquus educitur*: Vel ut loquitur S. Ambrosius; *Cum interficitur impius, Christus infunditur, & ubi abominatio deletur, sanctificatio congregatur.* Neque duæ formæ unam simul informare queunt materiam, nec in una anima, & pectore unà diabolus, & Christus cohabitare. Excedat ille necesse est, quatenus iste succedat; exturbetur ille, ut iste introducatur, ac immoretur. Nam ut perbellè argumentatur Doctor Gentium

S. Ambr. lib. de Cain & Abel

2. Cor. 6. v. 14

Gentium. *Quæ participatio iustitiæ cû iniquitate: aut quæ societas luci ad tenebras: Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Quâ ratione dies ac nox misceri nequeunt ; sic nec justitia & iniquitas , Christus & Anti-Christus. si susceperimus Christum in hospitio pectoris nostri , è vestigio fugamus diabolum ; si exadversum privaricamur , & per peccati januam ingressus fuerit Orcus, protinus Christus recedit. *Quæ participatio, aut quæ conventio Christi ad Belial?* nequeunt unà vel in umbra consistere , quantò minus in fulgoribus commorari. *Lectulus noster floridus.*

Zachæi conversio.

VI. Contendens Dominus cum discipulis suis in Jericho, arbitratus est Zachæum principem publicanorum in sicomoro sedentem ,&accito eo ultro se ei hospitem obtulit, cujus jam ante bonam voluntatem cognoverat. Et ecce vix limen illius attigerat , cum Zachæus totus mutatus ab illo rescindit contractus iniquos ; resarcit damna illata , sua bona liberalissimè profundit. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi ,reddo quadruplum.* Non ait firmiter statuo imposterum dimidium bonorum erogaturum pauperibus , & injustitias, quas commisi, in quadruplum resarciturum ; sed ex nunc reddo quæ abstuli , dispenso pauperibus , quos paulò ante despoliaveram , jam mea confero , qui aliena rapueram. *Ecce dimidium Domine do pauperibus.* Quorsum ista ? Cur nullas admittit inducias ? Cur fructu ipso , non flore boni propositi Christum pascit ? Audiatur D. Ambrosius : *Zachæus excipiendo Christum exclusit avaritiam , relegavit perfidiam, renuntiavit fraudibus ; aliter enim non ingreditur Christus , nisi ut vitia excludat, quia non cohabitat erroribus.* Ex templo profligavit nummularios , tanquam Mammonæ idololatras , ex energumenis Lemures , tanquam alienæ domus invasores, ex Zachæi domicilio vitiorum turbam , tanquam sibi è diametro oppositam. Quia non cohabitat erroribus. Quid aptius ? quid manifestius adduci potuit , ad demonstrandum non posse Christi Domini sanctitatem , & diaboli iniquitatem in eodem domicilio , sub eodem tecto , in eodem lecto commorari ?

S. Ambr. l. 2. de Cain & Abel. c. 7.

Luc. 1. 23

Quisquis itaque confœderatus est sathanæ, ac concupiscentiis ipsius mancipatus , Christum hospitem non expectet. Quisquis ab æterno avulsus divortio , eundem speret , & affectet. *Lectulus noster floridus.*

§. II.

Lectulus sit floribus constratus.

VII. Veruntamen eo effusius affectum nostrum testaturi , & tam desideratum hospi-

tem ampliùs demeriturí ; non nudum duntaxat lectulum, sed floribus constratum,& adornatum eidem offeramus. Non enim ab anguſtiis duntaxat, sed & à floribus lectulum suum sponsa deprædicavit. *Lectulus noster floridus.*

Christus totus floridus

Quinam autem illi flores essent, explanat ipsamet cum dicit : *Dilectus meus pascitur inter lilia.* Cum ipse sit lilium, libenter moratur inter lilia ; cum sit candor, delectatur candidis ; & areolis virtutum delinitur. Lilia hæc non sunt alia, quam puritas mentis, & corporis, quam castimonia vitæ ; liliis pascitur, in his deliciatur. *Dilectus meus pascitur inter lilia.* Ita S. Bernardus explanans hunc locum : *Propterea ipse se Lilium appellavit, quod totus versetur in liliis, & omnia quæ ipsius sunt, lilia sunt.* Lilium Mater, Lilium Pater, Lilium vita, Lilium doctrina, Lilium omnia.

Cant.2,16.

S.Bern.ser. 70.in Cant.

VIII. Exorditur supernæ legationis ad Mariam narrationem Evangelista Lucas, & ait : *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph.* Videte quidnam hic non floridum ? quid non candidissimis repletum liliis ? Si locum expendamus, Nazareth indigitatur, id est floridus, quatenus hoc ipso indicet Christum Dominum florem esse, de quo Isaias Vates divino ore elocutus : *Egreditur Virga de radice jesse : & flos de radice ejus ascendet.* Vel certè, quod non nisi inter flores, inter lilia commoretur, in intaminata conquiescat conscientia.

Luc.1,26.

Puritas conscientiæ

Isa.11.

Si Matrem expendamus, Virgo erat non solùm corpore sed mente, id est Lilium candidissimum, atque intemeratum. Hoc tantopere adamavit, ut ne quidem de pudicitia conjugali ; sed de claustro potius natus sit virginali. Nec in Matrem unquam eam adoptasset, nisi hac dote præ cæteris effloruisset.

Si ad virum nos reflectamus, seu potius patrem nuttitium, & is virgo erat, & virgo permansit. *Ecclesiæ fides est*, scribit inter alios S. Petrus Damiani, *quod non tantum Virgo fuerit Mater, sed & is, qui simulatus est pater.*

S.Pet.Dam. lib.1 Epist. Ep.6.

Si nuntii personam examinemus, nihil illo purius, nihil candidius. Lilium erat secretum ab omni contagione carnis, & sanguinis.

Proinde etsi Christus in præsepi locatus, & supra aridum fœnum resupinatus erat, vere sponsa sese jactare poterat, ac dicere: *Lectulus noster floridus.* Floridus in nuntio, floridus in sponso, floridus in Matre, floribus in Filio.

Mundities animi lilium S.Greg. in h.l.

IX. S. Gregorius per eadem lilia munditiem animæ interpretatur. *Quid*, inquit, *per lilia, nisi mundæ animæ designantur, quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusque suaviter olent.* Et subdit : *Inter lilia sponsus ergo pascitur, quia procul dubio animarum casti-*

castitate delectatur. Nullum illi gratius obsonium apponi, nullum condimentum suavius inveniri potest, atque mens casta, & intemerata. *Pascitur inter lilia.*

S. Bern. ser. 71. in Cant.

X. Inde ad nos adhortandos assurgit Mellitissimus Abbas, & ait: *Tu ergo, qui haec audis, vel legis, cura habere lilia penes te, si vis habere habitatorem liliorum habitantem in te.* Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum lilia esse potestentur moralis quidam rerum ipsarum Candor, & Odor. Causam subdit: *Habent & mores colores suos, habent & odores.* Habent odorem famæ, habent colorem rectæ intentionis. Habent conscientiam puram ab omni inquinamento iræ, murmuris, livoris. Talis sit color, talis sit odor tuus, ut Lectulus floridus esse merearis.

XI. Nullus dubito plurimos hic adesse, qui entheo succensi spiritu nonnunquam in suo conclavi in hæc, pariavè prorumpant vota: O si ego illa temporum periodo vixissem, atque Bethleem incoluissem, deque tam desiderato hospite informatus fuissem, non habitatione duntaxat, conclavi, ac lectulo meo cessissem; sed sinum, ac pectus aperuissem ad ipsum recipiendum, amplexandum, possidendum. O si illo articulo, meditatur alter, vel in bovem cum Nabuchodonozor transformatus essem! Fortunatum me ipsa calamitate ducerem, quod halitu meo amorem testari potuissem. Exclamassem nunc, quamvis bardo & incondito sono: io, io, io, vive, triumphe parvule. Procubuissem coram illo, & primas mortalibus præripuissem.

Novi, fatur apud se tertius, quod ait Isaias Vates: *Omnis caro fœnum*, quod hodie crescit, cras arescit; hodie floret, odoremque diffundit, cras aut languet, aut fœtet. O si minimum in fœnum mutatus fuissem, felliciorem me angelis, æqualem Thronis dixissem. Neque enim minus in me, quam in illis quievisset; immo, quanto durius in me jacuisset, tantò mihi propinquior fuisset.

Fateor etiamnum sum languidus, inquit quartus, sum tardus, sum planè asinus, cui onus, & virga debetur; ô si minimum tunc vixissem, quatenus onus tam sanctum bajulare potuissem, jam eô ipsô vegeior, ferventior, celerior extitissem, jam non portassem illum cum tœdio, & murmure, sed cum gaudio, alacritate, nec jam in cœlis inter sidera locum habere affectarem, utpote tam proximus soli existens justitiæ O, ô, ô, ô, &c.

His ego, quicunque ii sunt, enuntio, si desideria vestra non sunt fugacia, si non futilia, & inania, allaborate nunc illi adornare Lectulum floridum, Lectulum, ut nullum præter eum amatorem admittatis; Floridum, ut in omni virtute, & imprimis in puritate mentis, ac corporis excellatis. Ita confido eveniet, ut quemadmodum olim corporaliter requievit in Virgine; ita in cordibus nostris in spiritu, & gratia conquiescat.

Amen.

CONCIO V.

IN DOMINICA INFRA NATIVITALEM.

Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. Luc. 2.

ARGUMENTUM.

Regimen Christi.

OMnium prope Evangelicarum festiviratum gaudia tragico coronantur epilogô. A. Quid festivius illô triûm Regum homagio, Christo infanti præstito? Et hoc excepit strages teterrima tot innocentium parvulorum cruore nobilitata. Quid glorioſius ejusdem Christi Domini Resurrectione? Sed & in ea *exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Quid magnificentius ejusdem Ascensione? Verum secundum hanc ipsam eodem prope momento adstitere empyrei feciales novissimum in igne adventum denuntiantes: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? hic* IESVS *qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quemadmodum nunc in nube ascendit, ita in nube descendet. Quemadmodum nunc sublimitatur emeritam percepturus gloriam; ita veniet justa decreturus præmia, aut supplicia. Si hæc admirationi vobis est ejus potestas, ac magnificentia; scitote quod cum pari apparituras sit in die novissimo. *Quemadmodum vidistis eum* &c.

Festorum tragicus epilogus

Matth. 28 v. 4.

Act. 1. 11.

Quid beneficientius, quam cum divinissimum Pneuma in pluvia igneârum linguarum supra discipulos descendit, implendo illos spiritu suo, ac cœlestibus imbuendo charismatibus. Et tamen de hac ipsa profusione bonorum, quum vaticinaretur Ioel Propheta, subdit: *Et dabo prodigia in cœlo, & in terra, sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* *Ioel. 2. 28.*

Quid demum amabilius, festivius, fortunatiusipsa ejus, quam egimus, Nativitate, cumque natura nostra contractis sponsalibus? Et ecce in ipsismet præsepe vagientis factum est tribunal judicantis. Jam ibi fulminat luxuriam nostram, avaritiam nostram,

noſtram, ſuperbiam noſtram. In omnibus judicium mundi arguitur, ſubvertitur, confutatur. Jam ibi auditur: *Hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael.* Quid hoc Aud? Cur ubique amore timor, lætitiæ luctus, reſurrectioni ruina, Throno Clementiæ Tribunal Juſtitiæ jugatur? Expendamus id paulò exactius, ad majorem diviniſſimi Infantis gloriam, noſtrumque ſpiritualem profectum.

Luc. 2.

§. I.

Ratio prima adducitur.

II. Ratio princeps adduci poſſet, quod is ſit ſtylus Curiæ cæleſtis, & terreſtris; hæc ratio & methodus regendi Filii David in humanitate, ac Divinitate; ſeu in Miſericordia, & Juſtitia.

Regnum Chriſti adminiſtratur in miſericordia ac juſtitia

Mirum videtur S. Auguſtino parodoxum illud à Vate regio decantatum: *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi: quoniam poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia.* Quippe ſi ſemel locutus eſt Deus, quomodo Vates duo inieaudrat? Vel qua ratione ſemel locutus eſſe perhibetur, quum S. Paulus ad Hebræos ſcribat: *Multifariam, multiſque modis olim locutus eſt Patribus in Prophetis?* Quid eſt, quod ſemel locutus eſt Deus? Numquid non idem ipſe Deus, ab initio creaturæ locutus eſt ad Adam: *Adam ubi es?* Nonne ipſe locutus eſt Caino: *Vbi eſt frater tuus?* Nonne idem ad Noe, ad Abraham, ad Iſaac, ad Iacob, & ad Vates univerſos? Nonne iteratis vicibus Moyſen affatus? Nonne Apoſtolos? Nonne Evangeliſtas? Quin etiamnum loquitur ſanctis omnibus, non quidem voce ſonante per nubes, ſed intus in anima ſeſe reverberante. Quid ergo ait: *ſemel locutus eſt Deus?* Et quæ ſunt duo, quæ audivit?

Pſal. 61.

Hebr. 1. v. 1.

Gen. 4. 9.

Reſpondet ad primum: *Hic inter homines hominibus ſæpe multis modis, multis partibus, per multiformem creaturam locutus eſt Deus. Apud ſe ſemel Deus locutus eſt, quia unum Verbum genuit Deus.* Tranſcendit in hoc hymno omnem humanam creaturam, & angelicam Vates, & ad Verbum Dei apud Deum, per quod facta ſunt omnia, ſeſe effert, illoque Deum ipſum loquentem duo audiviſſe teſtatur. Non quod alia itidem non didicerit divinitus; ſed quod iis tantopere opus non eſſet, vel quod impares eſſemus iis excipiendis, & intelligendis. Ait enim alibi Dominus: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.*

Deus quomodo ſemel locutus. Auguſt in Pſal. 61.

Ioan. 16. 12.

Quæ ergo duo imprimis audivit: Duo, inquit, quæ dicturus ſum, non ex me concepi, nec ex meo ſenſu illa ediſcero; ſed ut eadem percepi, ita vobis exhibeo. Quænam tandem illa? *Iſta duo ſunt, Poteſtas, & Miſericordia.* Quibus prope tota, veluti duobus cardinibus, nititur ſacra ſcriptura. Iſta ſunt duo, de quibus vaticinati Prophetæ, edocuerunt Patriarchæ, evangelizarunt apoſtoli, diſ-

Deus iuſtus & miſericors

seruarent sancti ; *quia Potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Potestatem ejus expavescite, misericordiam diligite; nec de misericordia ejus præsumatis, ut Potestatem contemnatis; nec sic Potestatem ejus expalleatis, ut de ipsius Misericordia desperetis. Potestatem ejus dico expavescite, *quia cum occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Non vos tantopere moveat Tyrannorum inanium furor, omne genus crudelitatis exprimentium. Nam ille furor finibus hujus vitæ circumscribitur ; & possunt quidem corpus per exquisita supplicia vita spoliare ; sed animam ipsam ubi emigraverit attingere nequeunt *Illum dico timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam.*

Matth. 10. 28.

Sed & Misericordiam ejus diligite, quoniam longè latèque se diffundit super timentes eum, quia non sinet vos tenari supra id, quod potestis perferre ; siquidem Unigenito Filio suo non perpercit propter vos, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum ; quoniam non etiam cum illo omnia nobis donabit ? Potestatem ergo timete, misericordiam diligite : *Quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* His duobus basibus nititur solium ejus, & hi sunt fasces regni ipsius.

Virga Domini duplex Zach. 11. 3.

III. De his loquitur Dominus per os Zachariæ Vatis : *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & alteram funiculum.* Syrus legit : *Vnam vocavi suavem, vel jucundam.* Arabicus : *Vnam vocavi facilitatem, seu benignitatem* ; aliam *funiculum seu funem.* In prima innuitur regimen Amoris, quo quis ducitur beneficiis, pollicitationibus, affectu ; in alia Timoris, quo minis, ac suppliciis urgetur, & animadvertitur. Illa virga pascit pios, ista impios. *Quia Potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.*

Clementia cum severitate temperat

In tantum istæ duæ virgæ concatenatæ sunt, ut nec in sæculari regimine una sine altera subsistere queat, si enim Dominorum quispiam habeat in familia sua servos bonos, & malos, non utique universos odit, aut omnes beneficiis, amore, & honore prosequitur: Id enim si faceret, & iniquus, & malesanus foret; sed bonos & alloquitur amice, & diligit, & remuneratur; illos domui suæ aliisque præficit; malos verò maledictis, verberibus, compedibus coercet; quatenus & hi exemplo sint aliis ad non peccandum, & aliis ad promerendum, ut alios metus coerceat, alios honor provocet. Suppari ratione Dominus mundum hunc tanquam maximus paterfamilias utraque virtute Justitiæ ac misericodiæ gubernat, hos fovet, illos plectit, aut etiam immerentes exercet, prout summæ ipsius, sapientissimæque placitum fuerit voluntati; & prout unicuique opimum esse judicaverit.

Columbaignis symbolum Justitiæ

IV. Adumbratum nobis hoc regimen divinum in duplici illa columna populum Israeliticum præcedente, altera Nubis, altera Ignis. Quippe in hac ignea appositè figurabatur Justitia divina ; siquidem sacer textus testatur, quod *respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnam*

Exodi 14. 24.

Columna Nubis symbolum misericordiæ

nam ignis interfecit exercitum eorum. In columna Nubis non minus concinnè intelligitur paterna ipsius cura, ac providentia, qua illum populum tueri, ac protegere dignatus est. Etenim ut Psaltes decantat: *Expandit nubem in protectionem eorum, fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte.*

Psal. 104. 39. Clem. Alex.

Eapropter Clemens Alexandrinus in exhortatione ad Infideles tradit hoc hieroglyphico universos edoceri Deum voluisse, se indifferentem esse, & æque promptum, ac propensum ad dexteram Clementiæ porrigendam, quam sinistram ad vindicandum; posse nos ex eodem fonte temperare furorem, ac inflammare. *Si obedieris, inquit, lucem; si non obedieris, ignem.* Si secutus fueris Dominum, illuminabit te, & ducet in viam rectam, in terram fluentem lac, & mel; si reluctatus fueris, cave, ne mittat in te ignitos serpentes, & exuratte, ac tabernacula tua. Si obedieris, lucem expecta; sin secus, ignem reformida. *Quia potestas Dei est, &c.*

Ægyptionem sphinx quid signet

V. Eodem sensu imbutos autumo Ægyptiorum sapientes, quando Dei attributa in persona sphyngis, id est facie humana, & pectore leonino proposuere; significantes eo symbolo, interprete eodem Alexandrino Præsule, quod Deum nos oporteat amare, & timere. *Amare quidem ut sanctis benignum, ac propitium; timere autem, ut qui sit impiis justus, & inexorabilis*, q.d. Amandus, quia est bonis inresurrectionem; timendus, quia

Clem Alex. lib. 5. strom.

malevolis in ruinam. Ipse enim tanquam Judex æquissimus pro qualitate factorum nostrorum, aut supplicia decernit aut præmia. Alioqui nec honor ullus deferretur Deo, si nec quicquam præstaret, aut commodaret colenti; nec ullus reverteretur, si non offenderetur refractario, Numenque suum sceleribus lacessentem ulciscceretur.

VI. Eam ob rem Vates coronatus quum alibi misericordiam solitariam deprædicasset: *Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.* Cum alibi vindictam solam denuntiasset, Psalmo centesimo utramvis componit, dicens; *Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.* Audiant præfracti Judicium, *quia potestas Dei est*: audiant pusillanimes misericordiam, quia *copiosa apud eum redemptio.* Audiant canticum misericordiæ, qui de sua salute desperant; audiant Judicium contemptores, qui nimium de eadem præsumunt. Audiant, inquam, & intelligant quoniam misericors Dominus, & justus. Audiant, inquam, & dum eos virga jucunditatis demulcet, dum aurem inclinat, unà etiam funiculum expaveſcant. Audiant summates, & videant ne per remissionem, ac lentitudinem nimiam aliorum in se peccata devolvant, vel etiam asperitatem citra omnem pietatis suavitatem exerceant; verum unà itacoeant, ut semper sit pietas severitate stipata, & asperitas pietate dulcorata. Audiant universi, quia Potestas Dei est, & misericordia, quia *positus est salvator in ruinam & in*

Deus misericors & justus

Psal. 102. 12.

Psal. 100.

resurrectionem; & dum sibi adblandiuntur de filii Dei benignitate, simul parte ex alia percellantur severitate. Bona & prægnans ratio.

§. II.

Ratio altera insinuatur.

Vicissitudo rerum omnium in mundo

VII. Si tamẽ pergo, ultraq; percõtor, quid aliud causæ sit, quod prope omnes solemnitates, & gaudia acerbitate quadam, absynthioque temperentur? Forsitan obtendet alter ipsam rerum vicissitudinem. Receptissimo enim tenore solemnitates nostras labores excipiunt, nec ullum in hac mortalitate festum æternat. Lætis tristia, ac sæpe funesta; secundis utplurimum adversa succedunt. Sic diem caligo intercipit, & lucem tenebræ offundunt. Alternant vices tempestas ac serenitas; calamitas & beatitas. Nunquam tam innubi ridet supercilio Phœbus, quin idem in nubem exasperet. Perrara est felicitas absque infortunii appendice, & plerumque exitus infelicissimos peperit.

Status felix non lèturet infelicem Eccli. 11. 27.

VIII. Hinc rectè monet Ecclesiasticus: *In die bonorum, ne immemor sis malorum.* Ita tranquillo mari crede, ut noveris mox insecuturam tempestatem; & eodem die, ubi lusere navigia, mergi. Ita felicitate utere, ut memineris illam modico intervallo à miseria distare. Nescit stare felicitas, & quoties ultra nihil invenit, quò tendat, converso repente gradu in præcipitia devolvitur. Ad rotæ circulum vos reflectite, in quo pars illa, quæ modo eminebat, mox luto apprimitur, aut ad saxa alliditur, & eandem cogitate rerum omnium terrenarum esse vicissitudinem, ut & elata deprimat, & dulcia grataqne felle amaritudinis obsonet, & faustitatem in calamitatem transmutet.

Fortuna proximum infortunium

Ariditatibus Deus suos vexat

IX. Et hæc non tantum de bonis temporalibus, aut solemnitatibus exterioribus dicta existimetis, sed & de ipsis solatiis, ac gustibus interioribus: Facile enim Dominus quem diu dulcedine suavitatis suæ lactaverat, tandem aridum famelicumque destituit; ut gemere cum Davide cogatur: *Aruit tanquam testa virtus mea; & lingua mea adhæsit faucibus meis.* Vel: *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Tantis enim nonnunquam etiam viri sanctissimi subjacent languoribus, ut & cor ex rebellione partis inferioris contra superiorem perturbetur, & voluntas infirmetur ad omne opus bonum peragendum, & intellectus caliget ad discernendum.

Psal. 21. 16.

Psal. 27. 10.

Timor taris, Hugo de Fol.

X. Eapropter monet Hugo de Folieto: *Time cum ariserit gratia, time cum abierit, time cũ denuo revertitur.* Cũ adest time, ne fortè non dignè opereris ex ea. Quum recesserit amplius time, siquidem & Deum aversum habes, & mox casurus es gravius. Eheu quot, quantive viri ex sublimissimo perfectionis, ac sanctitatis gradu ad profundissimam vitiorum prolapsi sunt abyssum? quot qui nutriibantur in croceis, amplxati

plexati sunt stercora? quot solemnitates versæ sunt in luctum, eumque sempiternum? Ita ubivis in hac miseriarum valle mella artemperantur felle; ita cuncta ancipitia sunt, & ut rupes Gonia jam flammam evomunt, jam aquam evaporant; tam citò cruciant, quam delectant. Ita festivitas neminem in hac vita perpeti amplexu fovet. Ita ærumnæ non tantum sequuntur, sed copulantur, intexanturque voluptatibus, ac solemnitatibus nostris. Illa illa duntaxat Patria veri puerpera gaudii est, cui Numen se ipsum obstetricem exhibet. Ibi festum æternat, ubi lætitia inquilina non peregrina est. Illa nullas patitur insidias, nulla eam insequitur solicitudo, nulla infestat ærumna. Illa gaudia satiant citra nauseam, roborant absque impendio, lætificant animum sine cujusvis mœroris impendentis periculo.

Felicitas nulla stabilis

§. III.

Ratio III. adducitur.

XI. Potissima tamen ratio mihi videtur cõfœderati luctus, ac lætitiæ, ut nossent omnes fideles eò graviora illos manere tormenta, quo festiviora dignè celebrare neglexerunt gaudia; eò majoribus involvendos tenebris, quo illustriorem aspernati sunt lucem.

Abusus gratiarum nocuit

Jeremias vates in principio visionum suarum quæsitus, quidnam arbitraretur, ait: *Virgam vigilantem ego video.* Indubium est per hanc virgam regimen paternum, favores, ac gratias significari. Unde & supra innui unam vocasse decoram seu suavem, & jucundam, qua corrigit in misericordia, & in miserationibus. At quid illud est, quod illico vertitur scena, & virga transit in ollam succensam? *Ollam succensam ego video.* Quæ severitas est ista, aut cui tantum aptatur supplicium? Cui? Illi nimirum, quem paterna non revocat correptio, qui nec flectitur monitis, nec infrœnatur pœnis leviofibus. Vigilat Dominus ad conversionem peccatorum, atque in hunc finem auxilia sufficit, inspirationes accumulat, correptiones superadit; *Corripit in misericordia*, & in miserationibus. Cunctis hic necquicquam proficientibus, ut resipiscat impius; virgam in flammas, favores in ollas ferventes convertit. *Qui noluerunt percutiente virga emendari, mittentur in ollam succensam.* Qui nolebant audire Dominum per Ecclesiastem increpantem, sentient Deum vindicantem, ac sævientem. Qui renuunt die festo corrigi, ad emẽdationem, die nefasto proruent in damnationem.

Jer. 1. 22.

Zach. 11. 3.

S. Hier. in h. l.

XII. Venerabilis Beda ex S. Petro Apostolo colligit, ad eam altitudinem coglomerandas ante novissimum diem flammas, ad quam aquæ diluvii ascenderant. *Quocunque pervenire potuit aqua diluvii, eò juxta sententiam D. Petri & ignis judicii perveniet.* Involvit ibi lympharum vastitas & valles & abyssos, involvet itidem & istic; occupavit ibi juga altissima; occupabit & hic; transcendit ibi omnem sublimitatem, trascendet & istic. Quorsum ista? Eò sanè, ut constet tantum futurum

Beda in 2. Ep. S. Petr.

ignis supplicium, quantum aquarum misericordiæ divinæ affluxerat. Quantam Noemo in arca incluso aquarum ascensio præstit securitatem; tantam ingratis beneficia accepta cumulabunt supplicii immanitatem. Tantò severior ad ulciscendum Dominus assurget, quantò humanior ad nos vindicandos de cœlis descendit. Quanta est naturæ ejus bonitas, tanta est neglectæ bonitatis ira; Cumque maxima ejus sit in elargiendis muneribus, bonitas, maxima itidem est in repetendo ab ingratis severitas. Ut enim facit Bonitas ne de se iracatur; ita etiam exposa à nobis efficit, ut non nisi vehementer desæviat: sicut non est judicium sine misericordia; ita nec misericordia si læsa fuerit sine judicio. *Et sicut benignitas* (loquor cum S. Bernardo) *apparuit ultra omnem spem, ultra omnem æstimationem, similem exspectare possumus iudicii districtionem.* Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudo ultionis pensanda est, & ex enormitate ingratitudinis, enormitas supplicii colligenda.

Ingratitudini par respondet pœna

Ex stultitatum abyssus in luctum conversus

XIII. Cœnabat cum Principibus suis Balthassar Rex, & ausu sacrilego præcepit afferri vasa sacra, quæ Pater ipsius ex templo Jerosolymitano asportaverat, propinaturus ex iis convivis, ac concubinis suis. *Et ecce in eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum.* Dan. 5. scripta autem est in Regem acerbissima sententia, & illicò excutioni mandata. Trucidatus est ipse, Dario Medo in ejus locum suffecto. Ego duntaxat observo sententiam in eum cœlitus latam exarari contra candelabrum pluribus lucernis illustre. Ubique aula irradiata facibus erat quasi in meridie, ita ut ubicunque scripta fuissent, videri potuisset ab omnibus. Quod igitur clauditur mysterium in eo, quod contra candelabrum scriptum sit? Dubitari nequit eo in loco, in quo positum erat illud, insigniorem fuisse lucem. Ubi itaque major lux, ibi rigidiora visuntur supplicia. Cum tanto graviora solent esse delicta, quantò præcesserunt insigniora beneficia. Augmentum demeriti nunquam non exaggerat incrementum gratiæ, ac beneficentiæ. Et pœnam tantò culpa poscit atrociorem, quantò antehac largitorem sensit magnificentiorem.

Dan. 5.

Beneficia in veneficia conversa

XIV. In hodierno Evangelio vaticinatur Simeon imprimis ruinam Israelitis: *Positus est in ruinam in Israel.* Iudais *specialiter*, ait S. Gregorius Nyssenus, *minatur ruinam, non solùm à spirituali salute, sed etiam propter destructionē urbis, & habitantium civitatem.* Quam ob rem? Nostis illos præ omnibus Gentibus à Deo dilectos: Nostis quod occinit Psaltes; *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis.* Nostis quod Moyses deprædicat: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat sibi Deos appropinquantes, sicut Deus noster adest nobis.* Huic enim populo inter alias nationes contulit veram fidem, legem, sacramenta; ad illum Prophetas in magno numero miserat, enuntiantes voluntatem Dei; multis itidem Patriarchis ac viris sanctis honestaverat; regnique honore decoraverat. In medio hujus populi natus erat Christus, illi Evangelium ore proprio annuntiaverat, innumerisque beneficiis affecerat. Verum

S. Greg. Nyss. in Cat. Grac.

Psal. 147. v. 8.

Deut. 4. v. 7.

tantis

tantis abutentibus bonis, tantum irrogavit ſupplicium, ut omnium ſint ludibrio, & quaquaverſum ſine rege, ſine lege, ſine ſacerdote diſperſi *Poſitus in ruinam.*

XV. Exinde Doctor Gentium propoſitis illis prioribus ſuppliciis, ſeriò eoſdem monet, & in ipſis noſmetipſos ne fortè abutamur bonitate, ac indulgentia Numinis: *Videte ne fortè recuſetis loquentem. Si enim illi (Iudæi) non effugerunt recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur, multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus:* Revocat ibi S. Paulus ingens vocationis beneficium ad fidem quod non acceſſiſſent ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem; ſed ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & ad multorum millium Angelorum frequentiam, Eccleſiam primitivorum conſcriptorum in cœlis. Et tum primum hanc cautelam ſubnectit: *Videte ne contemnatis loquentem*, q d. Cavete ne deſpuatis Gratias vobis communicatas, inſpirationes, ac doctrinas cœleſtes. Si enim Judæi non effugerunt ſupplicium recuſantes Moyſen audire, multò minus nos, qui è cœlo loquentem non audimus, & tot provocati beneficiis præfracti ſubſiſtimus. Videte, ne ut quondam Samuel, non de ſceleribus tantum ſed de omnibus miſericordiis Domini contendit adverſum Iſrael; ita Deus ipſe in diſtricto judicii die vobiſcum procedat; & ſecundum multitudinem miſerationū ſuarum ſupplicia accumulet. Quod à nobis avertat idem ipſe qui poſitus eſt, non tantum in ruinam, ſed in reſurrectionem noſtram.

Amen.

Heb. 12. 25.

1. Reg. 12.

CON-

CONCIO. VI.

IN DOMINICA I. POST EPIPH.

Quærebant eum inter cognatos & notos. Luc. 2.

ARGUMENTUM.

EDUCATIO.

B. Virginis ſolicitudo in quærendo filio

Perrarò vigilantiore oculo inſtitor lucro inhiat; aut ſagaciore ſtudio vertagus feram inſectatur; quam afflictiſſima JESU Mater eundem indagaverit. A. Quæſivit enim illum anxiè inter cognatos, & notos, ſi fortè eorum ſeſe comitatui inſeruiſſet. Quæſivit ferventer Jeroſolymam reverſa per vicos, & plateas: Num quem diligit anima mea vidiſtis? *Cant. 5. v. 10.* *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus; oculi ejus columbarum. Labia ejus diſtillant myrrham primam: manus ejus tornatiles, plenæ hyacinthis.* Quæſivit conſtanter triduo toto, diu noctuque orationibus, ac diſcurſibus, gemitibus ac clamoribus; quoad tandem ſedentem in templo in medio Doctorum eum reperit. Quorſum quæſo tantum ſtudii? quorſum tanta ſolicitudo, ac ſedulitas? Sciebat dicitis, quantum bonum, quantumvè theſaurum amiſiſſet. Rectè equidem, ſed nec eam fallebat, tantam gemmam interire non poſſe. Noverat, quam vigili cura Deûm ſervaretur; quanta præ aliis prærogativa effulgeret; ut ſi vel ſponte latere vellet, haud poſſet. Quorſum ergo? Non aliò autumo, quam ut hoc ipſo ſedulam curam, ac inſtitutionem filiorum commendaret. Quod ipſum eum ego inculcare intendo, à te Doctore Doctorum maximo, ac unico gratiam, ac benedictionem demiſſe efflagito.

Partitio.

II. Quum multa ſint', quibus parentes urgentur, ad accuratam filiorum ſuorum inſtitutionem; tum verò illud ponderoſiſſimum, quod in ea omnis prope eorum felicitas, quà temporanea, quà æterna conſiſtat. Calamitoſiſſimi alioqui in hac, & in altera vita futuri, ſi remiſſos, atque incurioſos ſeſe præſtiterint.

§. I.

§. I.

Ab educatione bona pendet felicitas temporalis

Educatio bona proxeneta felicitatis temporalis

III. In argumentum fundandæ beatitatis temporaneæ in bona educatione assumo, unicum filium Tobiæ. Illum inquam filium, qui à matre cum lacte exsuxit pietatis dulcedinem; Illum filium, qui cura tam anxia, & studio tam solicito à patre educabatur, ut quantumvis indoles ipsa degenerasset, cultu tamen ipso ad omnem virtutis amussim efformari potuisset. Illum filium, in quo patre indies ducente lineas, augustior virtutum effigies effulgebat. *Quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.*

Tobia educatio

Tob.3.10.

Quo loco hunc creditis apud parentes suos, æquissimos rerum arbitros, extitisse? Erigite aures, & ex matris lesso supra ipsius profectionem decantato percipite: *Heu me! heu me fili mi, ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, spem posteritatis nostræ! Omnia simul in te uno habentes te non debuimus dimittere à nobis.* Tu nostra felicitas, tu nostrum gaudium, tu nostra gloria, & corona nostra. Omnia *in te simul habentes te non debuimus dimittere à nobis.*

Tob.10.4.

Filius probus felicitas maxima

Mulier bona quid tibi tam glorioſe de filio occinis? Ut augeror, aut nimius in natum amor, aut dolor exoticus te sibi abripiunt, nec sapere sinunt. Num te latet, filios esse pondus infaustum, eoque gravius, quod nec ferri queat, nec abjici; fontem gravissimarum curarum, ac solicitudinum, sanguisugas incessanter egurgitantes; affer, affer. Num te præterit ab Augusto vomicas, ac carcinomata nuncupatos? aut ab aliis sputa, noxas, ac charybdes bonorum indigitatos? Prô quàm sæpe fœta, quæ curis peperit cupido, lucra, discinctus malè perdit hæres. Quàm frequenter inter decoris paterni degeneres hæredes refusum, in pompam licentiæ diffluxit, aurum! Quoties concatenatos parentum labores non nisi effrenis filiorum excepit petulantia, decoxit libido? Quoties gurges à prima sui nativitate illimis subinde alluvione lutulenti soli, & colorem traxit, & fœtorem! Et tu tam fragili arundini inniteris, & felicitati tuæ basim in tam lubrico obfirmas? *In te uno omnia habentes.* &c. Et quidem si solatia tua muliebria in eo reposita jactitares, condescenderem tantisper tuis affectibus; jam vero cum exaggeras bona filii rui, & omnia in uno habere eructes, quî credam? Nam cum sit multiplex bonorum genus, & aliud quidem fortunæ, aliud corporis, aliud animi, num forte natus tuus gazophilacium quodpiam, & cornucopiæ bonorum? num & deliciæ tuæ, & pompa gloriæ tuæ? num corona virtutis tuæ?

Sueton in Aug.

Ita ita, regerit, maximus hic thesaurus meus: *Nunquam fuisset ista pecunia, pro qua misisti eum; sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc,*

Tob.5.24.

quod videbamus filium nostrum. Ipse unus mihi erat præ mille thesauris, ille pretiosior cunctis gemmis, ille gratior cunctis aliis illecebris, ille decus, ac diadema senectutis nostræ. *In te uno omnia habentes, non debuimus te dimittere à nobis.* Sint alii filii charybdes paternorum bonorum, sint opprobria generis humani, sint cordolium genitricis suæ; meus mihi unio ob candorem innocentiæ, gemma ob pietatem, thesaurus ob virtutum cœterarum abundantiam. *In te uno omnia habentes* &c Verè filius pius & prudens cumulata est felicitas, & possessio terrenæ beatitatis. Hic sensus erat piæ hujus matronæ de filio suo; & effectu ipso comprobatus.

Filius probus omne bonum

IV. Nec alter Matris omnium credentium Saræ. Nostis quantis illam, & maritum ipsius Numen optimum cumulaverit bonis, auxerit divitiis, honestaverit victoriis, præveniret gratiis? Attamen in his omnibus nullo exaggerationis lætitiæ sensu hilaratos fuisse, aut hæc omnia vel in parte felicitatis posuisse legimus. Semper hic cuneus matri, semper patri hærebat infixus; *Ego vadam absque liberis.* Moriar, nullo semine, nulla posteritate relictâ. Hinc Domino singularem suam protectionem sibi pollicenti idem vulnus aperuit dicens: *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis. Et filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* q. d. Quorsum me cumulas tantis donis, ac possessionibus? Quorsum tam ampla mihi despondes; prole, tanquam omnis felicitatis coronide destituto? Utut tuæ in me exundant beneficiorum cataractæ in me sistent, nec in progeniem meam derivabuntur. In me uno spes omnis cum radice intercidet, in florem nullum posteritatis egerminatura. *Ego vadam absque liberis.* Si me servum tuum beatitate quapiam terrena cumulare non dedignaris, filiolum tanquam colophonem adjice, & desideria exaturasti mea.

Parens infelix sine liberis

Gen. 15. 2

Ibid. v. 2. 3.

Gen. 20. 6.

Prodit tandem in lucem effœtorum proles parentum Isaac, & quem natura tamdiu partum negaverat, obstetricante gratiâ fudit puerpera fenicula. Cum ecce tantum pectus illud, spei plenum, inundavit gaudium, ut perruptis præcordiorum aggeribus sese latè diffunderet, & ipsa grato murmure eructaret: *Risum fecit mihi Deus, quicunque audierit, corridebit mihi.* Chaldæus vertit: *Gaudium fecit mihi Deus; omnis qui audierit congratulabitur mihi.* Utque gratæ posteritatis memoria hoc gaudium æternaret, celte circumcisionis in carne tenella filii incidit, vocando eum Isaac, id est risum.

Sara cur riseris

Ego me hic lubens aquilegem offero indagaturus, quonam ex fonte ea jucunditas, illud gaudium, ac beatitas stagnaverit? An fortè quod cum Zoroastro genesim suam risu exhilaraverit? At usitatis humano generi lachrymis natalium suorum noxas diluit. An quia

quia censu naturæ, fortunæque dives prius auri fulgore, quam solaribus radiis est perstrictus? Solatia hæc sint eorum, qui terrena, non cœlestia sapiunt. An quod homo natus in mundum? At quot filii natales suos funestarunt, non Isaaci, sed Bennoni, id est filii doloris habiti. Quid ergo? Quia nimirum puerum probum, sanctum, studiosissimum virtutis, & æmulatorem paternæ gloriæ esse cognoverat. Jam enim tum diviniore afflata flamine augurabatur regnaturos ex eo nepotes, durante in novissima tempora salutari fœcunditate. Jam tum prævidit ducum purpuras, omnium dignitatum fasces, sacros honores, fortunam denique domui suæ consedisse orbem felicitate sua impleturam. Jam tum cognovit sibi, & orbi universo beatitatem ex nepote illius egerminaturam. Hinc merito exultavit, non quia filium genuit, sed quia hæredem virtutis, spem regnorum, semen benedictum obtinuit. Quippe Nazianzeno teste: *Maximum, & clarissimum esse videtur fœlicitas in liberis.* Nulla familiæ, ac prosapiæ potest obtingere major beatitas; aut par illi, quæ de probis, piis, morigeris liberis, ac nepotibus pullulat. Quemadmodum ex adversum nulla magis deploranda miseria, quam sobolem nanciscì vitiosam, ac degenerem. *Maximum & clarissimum esse videtur felicitas in liberis,*

S. Nazian. in monitis S. Basilii.

V. Testes hujus veritatis appello, quotquot natura, & gratia parentes esse indulsit. Edicant illi germanè, ac sacrosanctè, quandonam in auge felicitatis sese consistere arbitrantur? An cum aureis rivis ad splendorem dignitatis, aut licentiæ ostentationem sese Pactolus in domũ iplorũ exonerat; aut cũ dormientes auream prædam cum Timotheo stringunt; aut alchymia Midæ quævis metalla in aurum refingunt? Neutiquam. *Quid proderit homini,* ait Ecclesiastes, *de universo labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?* Quid proderit illi? Utique cum dormierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus; sed linteolo unico, & asscre contentabitur. Quid filiis proderit? Non nisi, ut perinde ac Vituli aurei proponantur, adorandi forsitan ab insipientibus, vel à prudentibus despuendi; vel ut pretioso thesaurorum damno ad scelera patranda invalescant; vel ut magnificis impendiis exitium, funeraque sibi mercentur. Quid familiæ, si eam aurei metalli fulgor irradiet, caligo vitiorum obfulcet?

Opes non felicitant parentes

Eccle 2. 22.

An tum mei parentes vos niveis subvehi faustitatis bigis, sexigisque existimatis, quum fasces dignitatum vobis acclinantur, & honorifico salutant, efferuntque elogio populi? O vanam beatitatis futilemque basim, quæ in solo auræ popularis solidatur garritu; quam Echo probrosæ, in nepote spurio, vitæ obtundit, ac subruit; cujus terminum falx Lachesis imminentis posuit? Quæ felicitas inclarescere foris, domi tenebrescere?

Dignitas non reddit felices

effulgere in populo, fordere in prole? oriri splendidè, & occumbere in obscuro, adversaque omnium fama.

An quod uxor sit tanquam vitis abundans in lateribus domus suæ, filiæ compositæ, circumornatæ. At etiam belluis, etiam volucribus ea felicitas obtigit, quibus dictum: *Gen.1.22.* *Crescite & multiplicamini.*

Filii Ioni rarissimi

S. Gregorius Nazianzenus perinde ac commentum explodendum autumat, si quis dicat fuisse quempiam tam felicem, ut multorum bonorum liberorum pater dici potuerit. *Greg. Naz. In monit. S. Basil.* *Quisimul multos, & probos, atque honestos filios habuerit, in fabulis forte reperies.* Legite, revolvite sacras paginas, ex iis id desumere licet; quotquot copiosa prole donati sunt, totidem Cainum, Chamum, Ammonem, Absolonem aliosque perditos filios, cum parentibus aliis sanctissimis nactos esse. *Qui simul multos* &c. Non est signum opulentæ, feraciscque vindemiæ, si vites nimium luxurient; nec omen cujuspiam beatitatis, si proles nimium soboleseat. Quantum enim illa propagatur, tantum res familiaris succiditur, & ut flumen in multos alveos divisum minuitur. quantum illa increscit, tantum unà cura, solicitudo, opprobria cumulantur.

Corona parentũ Filius

Solus filius sapiens, filius probus ac modestus lætificat patrem, beatificat patrem. Nam ut ait Sapiens, *Prov.17.6.* *Corona senum filii eorum.* Corona ac diadema aureum ex gemmis, acunionibus virtutum fabricatum, filii prorum. Corona aurea, quæ principem felicitatis illum declarat. Nisi civicam quis dicere malit, ob servatum, atque educatum bonum patriæ civem, eidem collatam.

Filii impii Corona straminea

At vero corona straminea filii improborum, corona confusionis, & dedecoris; corona calamitatis ac miseriæ. Corona verè spinea, quæ ubivis pungit, & fodicat parentem. Ubi ubi hæc corona est, citra vulnus, & sanguinem genitoris, & genitricis non est. Si deforis agat degener filius, infandis moribus, ac dedecore, in suum redundante nidum, funestat. Si vero domi versetur, histricis in morem perfricat, curis macerat, quoad cruentet, aut prorsus conficiat.

Saul Rex in mortis constitutus confinio, & propriis manibus, ac ense reluctantem expellere adnisus spiritum, Amaleticæ cujuspiam sociam in funus invocavit dexteram, dicens: *Sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustiæ* Alia versio legit: *2.Reg.1,v.9* *Quoniam tenent me coronæ.* O quoties eadem prope calamitas infelices tangit parentes! ô quoties propriô confodiuntur ense! quoties mortem in vota vocant, idque ex eo duntaxat capite, *quia tenent eos coronæ;* quia cruciant filii aut filiæ, quia eviscerant parentes, & jaculo multiplici doloris eos confodiunt.

Claret itaque felicitatem temporalem pendere ex bonis, probisque filiis, seu ex recta, sedulaque eorum informatione, & educatione.

§. II.

§. II.

Felicitatis ſempiternæ obſtetrix bona educatio.

A bona Educatione pendet felicitas æterna

VI. Nec minus evidens æternam beatitatem ex eodem fonte, ex iiſdem filiis pie ſanctequeformatis reduudare. Oppignorat hanc perquam liquido parentibus Doctor Gentium Paulus, dicen : *ſalvabitur autem mulier per filiorum generationem, ſi perſeverauerit in fide & dilectione, cum ſanctificatione.* Græca exemplaria legunt : *Si permanſerint filii ipſius in fide, & dilectione.* Id eſt ſi parentes tam ſedulam, accuratamque diligentiam adhibuerint, ut filios ad omnem virtutis ideam effingant, in fide confirment, ad dilectionem inflamment, præmio æternæ felicitatis redonabuntur. Virtus filiorum ſuffragium dabit, ac calculum regni cœlorum. *Salvabitur autem mulier per filiorum generationem.* Innocentia, & inculpatæ vitæ tenor in filiis non ipſos duntaxat, ſed & parentes regni efficit candidatos. Nec jure duntaxat civili, ſed propè divino una perſona computatur pater & filius, mater & filia; relucentibus parentum exemplis in filiis; & horum actionibus reverberantibus ſeſe ad fulgorem illorum. *Salvabitur autem mulier.* Quod vero hic de matre dicitur, idipſum in parentem ampliandum eſt; ut quam communionem ſubit laborum, eandem teneat itidem præmiorum.

1. Tim. 2.

parens ſalvatus per filias Theoph. hic.

VII. Extendit hoc privilegium ſummo parentum, profeſſorumque ſolatio, Theophilactus, quando etiam deſciſcentibus à fide, aut probitate filiis, ipſis idem ſtipendium meritorum attribuit. Nam propoſito ſibi hoc dubio, quid ſolatii capere poſſint parentes, omnibus eorum curis, ſtudiisque in irritum abeuntibus; ipſemet reſpondit : *Non fraudabitur ſuorum* (Pater) *mercede ſudorum. Quando quidem & Filius Dei nihil non faciens, ac dicens, paucos habuerit, qui ſibi morem geſſerint.* Bono eſtote animo parentes, bono præceptores, ſi fructus ſementi veſtræ non reſponderit. Non enim Numen tantopere reſpicit effectum, quam conatum, & affectum. Et ſi Filius Dei fructu laborum ſuorum neutiquam excidere potuit, confidite nec veſtra in vanum abitura ſtudia. Coronavit illius labores incaſſum prope exantlatos, coronabit & veſtros. *Nemo fraudabitur ſuorum mercede laborum.*

VIII. In Lege antiquata vulgo benedicti habebantur, quorum fœunditati reſpondiſſet fructus filiorum; maledicti è contra qui non reliquiſſent ſemen. Miratur id merito Auguſtiſſimus Doctor & quærit : *Quid eſt ut maledictos dicat lex, qui ſemen non reliquerint in Iſrael ?* Numquid maledictus Elias, qui vel ideo raptus in cœlum dicitur, & futurus extremi judicii aſſeſſor, ac præcurſor, quod nullius fœminei legatur fuiſſe concubitus? Numquid maledictus Marſcalcus Domini S. Joannes Baptiſta ? Numquid alii fulminati, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum ? Cui quæſtioni ſe ipſum Oedipum interponit in hæc verba : *Spiritualis intelligentia in hac cauſa iſta eſt, ut maledicti*

Sterilitas olim maledicta & cur?

S. Aug. tom. 4 lib. qq. v. T quæſt. 17.

void.

dicti habeantur, qui non reliquerint semen quod videat Deum; id est qui non habuerint filium, aut servum, aut proximum, qui Dei timorem doceat terram. Illi, illi benedicti, qui filios suos à teneris ita imbuunt, ut cum ætate unà adolescat virtus, pietas, devotio, religio. Illi, illi benedicti, qui non tam filios hominum, aut carnis enutriunt sæculo, quam filios Dei, filios Spiritus cœlo. Illi, illi benedicti, qui non tantopere parentes sunt sanguinis, quam timoris Domini; nec tantum lactis, quantum pietatis instillant. Fulminati verò, qui non tam parentes, quam peremptores, qui pareunt mundo, perimunt cœlo; enutriunt vanitati, non veritati; assuescunt vitiis, non virtutibus. Hi enim noxas filiorum ut plurimum nutriunt, vel ex ipsis tanquam à vitiata radice pullulant. Et ideo communis Theologorum doctrina est, ad annos usque completæ discretionis peccata filiorum redundare in parentes; & quidquid itidem ex pravo traductæ adolescentiæ habitu ab iis delinquitur, ijsdem majori ex parte imputari.

Quid igitur mirum est, si Numen castiget ejusmodi parentes, si feriat, si damnet.

Moysen cur Angelus voluerit occidere

IX. Maturantem Moysen ex mandato Domini iter in Ægyptum ad conterendum Tyrannum, à quo Israel premebatur, inopinatò stitit minax nuntius; nec secus quam olim Balaam infestis adortus est signis: *Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Exod. 4. 24. Eheu tam præcipiti rotatur sphera clementia, ac furor Numinis? Vix una, alterave dies interceserat, qua familiarissimè cum Domino egerat Moyses; summisque gratiis ac privilegiis auctus à Domino abcesserat; & jam nunc ad necem deposcitur. Vix legatus deputatus fuerat, ut invisum cælo principem in suo fastuosum solio obtruncaret; & jam ipsemet victima pro Pharaone designatur. Vix semi Deus constitutus, cui mancipata elementa, obsequens Nilus, pelagus vectigale foret, & jam revocantur gratiæ, virga infringitur, & qui alieno sanguine cruentaturus erat Nili ostia, suomet purpurare urgetur. Quæso quod cœlitem Tribunum urget imperium? Cur telo devotus est Moyses, cur nonnisi hac victimâ placari potest ira Numinis non uno gravida fulmine? Num quidpiam tam brevi spatio commisit criminis, quo hanc animadversionem incurreret? Num de acceptis muneribus (quod pronum est) supercilium sustulit? An in exequendo Domini sui mandato obtorpuit? Num prodigia, ac virgæ virtutem sibi arrogavit? Neutiquam. An DEum gratiæ, ac clementiæ dispensatæ pœnituit? Nec minimum. Cur igitur Deum in persona Angeli adversarium patitur? cur stringit gladium, cur mortem intentat?

Causa unica est quod filium, sacris ritibus, ad eum diem Deo nondum initiaverat. Dilatio silicis in filium, acuit & maturavit acinacem in patrem: Incircumcisus filius parenti vulnera intentavit, neglecta illius institutio, furorem incitavit superûm, & indignus

gnus vita habitus est pater, qui in vita animæ in filio accurandæ obtorpuit. Tanti stetit unus in infante ritus non expletus. *Absurdum enim erat* (ait S. Petrus Damianus) *si videretur gentilis in filio, qui Israelita erat in semetipso.* Petr. Dam. Instituta erat circumcisio in signum veræ fidei, & cognitionis Dei, quodque quispiam foret ex numero filiorum illius. Moysen itaque legatione fungentem, & Pharaoni veri Numinis imperia enuntiantem neutiquam decebat, si natus ipsius hoc signo careret, qui à filio Tyranni discerneretur: *Absurdum erat si videretur gentilis in filio, qui Israelita erat in semetipso.* Moyses periclitatus ob dilatam circumcisionem. Non potuit Numen tantum dedecus perferre, tollere patrem consultius esse statuit, quàm eum in Legatum admittere, qui Gentilis erat in filio.

Ergo si Moysi tanti stetit ritus paululùm dilatus in filio, quid in eos irarum ac dirarum, quid telorum ac fulminum non redundabit, qui remissis habenis filios ad quamvis licentiosæ vitæ turpitudinem recingunt? Si incircumcisi reatus filii destinatum evertendis condendisque imperiis Vatem plectendum exposuit; quo illos discriminum incuria in imbuendis filiis non deducet, qui filios sine lege vagari sinunt, qui delicias filiis condiunt, sed unâ toxicum melle circumlitum propinant. Absurdum erat in Moyse, quòd parens gentilis esset in filio, & non erit abominandum in oculis Dei, quod parens alioqui probus, & rectus sit impius, & sacrilegus in filio?

X. Et tamen quænam obsecro aliquorum, etsi paucorum in dedolandis filiis cura? quæ religio? Cum in omnibus prope negotiis accurandis impigri inveniantur; in sola filiorum institutione lentescunt Ut honesto connubio, ac splendido filios, filiasque emancipent, nullis parcunt sumptibus; consilia diu noctuque versant, paranymphos adhibent; ut filium filiamve sapientiæ, aut pietati maritent, novissima cura est. Ut illos ad aliquod honoris, aut officii subsellium evehant, quot supplicibus libellis, conatibus, congiariis non attentant; ut vero cœlestibus dignos reddant honoribus, ut vasa capacia gratiarum, ac donorum supernorum præstent, vix cogitant, & ne cogitant quidem. *Incuria in educatione castigatur.*

Ad hortos excolendos, putandosque accersimus homines industrios, & gnaros; filiorum verò animos efformandos, seu deformandos potius tradimus truncis, ac stipitibus. Consulturi stabulo nullis impensis parcimus, quatenus Asturconem quempiam obesis clunibus, lato pectore, modicâ cervice, brevibus auribus caudâ, crineq; promissis nanciscamur: Ut vero filium moratum, ac eruditum habeamus, ut eidem præfectum habilem morum deputemus (ne fortè minerval justius expetat) susque deque ducimus. Canis si fortè domui præficiendus sit, ad fures arcendos, vix non

in

in Britanniam mittimus, & prô pudor Pœdagogum, obstetricem, sublegimus nullis penitus conditionibus, notisque candidatos. Vah! ergone abortivũ sũt filii vestri, nũ spurii, num alieni? Etsi tales essent, omnem tamen lapidem movere deberetis, quod curæ vestræ cõcrediti essent; quod fili Dei sint, quod vobis de iis reddenda sit ratio; quantò magis cum & sanguis vester, & caro vestra, & os de ossibus vestris sint, omnis in iis efformandis conatus adhibendus erit? Potestisne aspicere, vel reducere in memoriã effratas belluas citra ruborem impiæ matres, videntes illas sua pignora propriis lactare uberibus, & vos sequestrare ipsos mercenario, plebejoque suctu adulturos? Quin etiam ursæ non satis est ubere, nisi etiam ore catulos suos enutriat. Et ideo, ideo crediderim immissos cœlitus in subsannantes Elisæũ pueros, ut vel ab ipsis sapere subinde discerent parentes. Et quemadmodum Ninivitæ surgent in judicio adversus Hebræos, quia illis credentibus Jonæ prædicanti, isti credere noluerunt Christo illos docenti: sic modò insurrexerunt ursi adversus incolas illos, quia cum ursi magna cura forment catulos suos, homines ratione præditi nullam filiis, aut perexiguam operam impendunt. Ideo, ideo credo geminas cœlo Ursas illatas, quod aptiores astris feræ sint, quam matronæ. Has enim latere cupio, ne fœtus moneantur abdicare; nitere illas, & elucere gaudeo, ne has formare pignora pigeat, in educationem liberorum à feris adactas. Ideo, ideo ad septem effulgere Triones dixerim, ut ubi in fœtus amor refrixit, ibi amandi faces Ursæ inferant Boreales.

Itaque ne vel à bestiis confundamini, si felicitati, si saluti vestræ consultũ esse vultis, erudiẽdis, itaq; sãctius instituendis filiis vestris insistite; ut ipsi unà vobiscum, & cum parvulo IESU proficiant & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines.

Fiat.

* * * * *

* * *

*

CON-

CONCIO VII.

IN DOMINICA II. POST EPIPH.

Vinum non habent. Joan. 2.

ARGUMENTUM.

Auſpicium ſecundiſſimarum Nuptiarum.

INdies prope hi threni de conjugatis ingeminantur: *Vinum non habent.* A. Videtur ex parte una nonnunquam Maritus inſtar ligni plãtati ſecus decurſus aquarum, florere virtute, præcellere ſapientiâ, ac prudentiâ, valere apud homines gratiâ. Sed quid? Domi frigidam ſorbet, alget, tabeſcit. *Vinum non habet.* Exulat benedictio, ſtipat afflictio, circumdat ſicut vir armatus egeſtas, ſterilitas, infirmitas, & longo agmine curæ.

Pſal. 1.3.

Pſal. 127. 3.

Videtur itidem parte ex altera Uxor *Sicut Vitis abundans in lateribus domus ſuæ* Sed & illa vinũ nõ habet. Intercedit Zelotypia, regnat diffidentia, deficit gaudium, & cythara; ingruit luctus, & gemitus, vinum verſum videtur in aquas, uvæ in labruſcas, roſæ primæ in ſpinas acutiſſimas. Quænam obſecro tantorum malorum origo? Quis fons tam turbidarum lympharum. An ſtatus? at Abrahami, Iſaaci, Jacobi multaque alia connubia inventa ſunt fortunatiſſima, cur in præſenti tam pauca? Mihi alia non occurrit ratio quam quod ſiniſtrè jugentur ad invicem. Jugum enim Matrimonium eſt, quod æquè ac aliud quodpiam perperam trahitur, niſi initio ritè aptetur. Quâ ergo ratione id fieri debeat, dum oſtendo, à primo nuptiarum Paranympho gratiam, à vobis benevolentiam efflagito.

Pſal. 127. 3.

Partitio.

II. Normam, ac methodum vos ritè jugandi, aut trahendi jugum, perfectiorem haud invenio; quam ſi à Deo Patre, Filio, Spiritu S. auſpicium ducatur. Et id quâ ratione?

§ I.

Auſpicium Nuptiarum fauſtum à Deo Patre.

III. Ducetis à Deo Patre, ſi in illum

intentiones vestras direxeritis; illasque juxta ipsius absolutissimæ voluntatis amussim formaveritis. At quamnam illam?

Nuptiarum felix auspicium à Deo Patre

Mal. 2. 15.

Ex oraculo Malachiæ Vatis accipite: *Deus unus fecit,* (matrimonium) *& quid quærit ex hoc nisi semen Dei?* In quibus verbis duo imprimis considerandæ occurrunt. Primum Conditorem status Conjugalis esse ipsum Deum. Alii ordines, ac status habent suos immediatos fundatores homines; Conjuges ipsum Deum. *Deus unus fecit*; Ipse Paranymphum egit, ipse adstitit, ipse vota eorundem excepit. Alterum est, finem hujus status esse propagationem non tam carnis, quam gloriæ divinæ. *Quid quærit ex hoc nisi semen Dei?* Non quærit semen Sathanæ; non semen voluptatis, non semen Canaan, sed semen Dei; quatenus ex vobis progerminent spicæ, & messis copiosa gloriæ Dei.

Matrimonii finis

Votum ergo vestrum esse debet, ut quum sublata Tyrannorum persecutione, fundendi pro fide, ac majore Numinis gloria sanguinis intercepta sit occasio; in eodem millies ac millies dispertito, atque animato, in posteris laudetur nepotibus. Studium vestrum eò collimet, ut prolem vestram haud secus, quam empyreæ prosapiæ nepotem educetis. Intentio palmaria, ut deficientibus vobis non deficiat laus Dei in sanguine vestro.

IV. O quam bonis avibus concatenantur, qui hac ratione connubium auspicantur! O quam felices inter se, in filiis; in omnibus!

Mulier felix ob filios quando?

Inter se, vel potius in se, siquidem in eorum sanguine æternat Deus, & in eorum anima gratia, id est semen gloriæ ipsius. *Salvabitur,* scribit Doctor Gentium, *mulier per filiorum generationem.* Non utique omnis, quia alioqui & fornicaria, & adultera, & Ethnica quævis alia hoc privilegio potiretur; (cũ tamẽ cœlo pronũtiante eodem ore definitum in eos sit, neque fornicarii, neque molles, neque adulteri regnum Dei possidebunt.) sed illa, quæ dolorem partus sui, sanguinem suum, angustias animæ suæ, susceptosque, ac continuatos in bona educatione labores Deo dicat, ac consecrat. *1. Tim. 2. 15.*

Felices in filiis, quos eô ipso Numen benignissimum majoribus cumulat gratiis, quod suo consecrati sint honori. Et ipsimet eos aliter intueri nequeunt, quam flores odoratissimum odorem spirantes, quam pignora divinitatis, quam vasa gloriæ divinæ, quam Angelos quospiam inter se ad delicias suas exaggerandas conversantes.

Felices in omnibus, quia in medio eorum Deus. Non fallit, qui dixit: *Ubi duo* (vel tres) *fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum ego sum.* Ubi nimirum ipsius spiritu fervent, ipsius gloriam æmulantur; ibi ille est, & cooperatur, ibi dirigit eorum intentiones, & vota coronat. Quomodo autem vinum jucunditatis, ac lætitiæ eô præsente deficiet? quomodo in eos suos exonerabit fluctus Oceanus tribulationum? quomodo aquis inundabuntur tristitiæ, si præsentem Deum habeant malorum omnium profligatorem? *Matth. 18. v. 20.*

V. At verò infeliciſſimi, ac fulminatissimi

Matrimonium sine Deo auspicantes infelices

natissimi in corpore & anima, qui patre omnis spurcitiæ paranymphum agente, non secus ac equus, & mulus, quibus non est intellectus, conveniunt.

Infelices ajo in corpore, quoniam vel morbis gravissimis conflictantur, vel etiam immaturâ Lachesi præripiuntur.

Diluvii causa

S. Augustinus palmariam cataclysmi causam ex LXX. Interpretibus colligit extitisse perversam connubiorum intentionem. Quippe ubi vulgata legit: *Postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt;* *Gen. 6. 4.* *vertunt: Postquam generabant sibi.* In quem locum præfatus Antistes: *Satis* *Aug. lib. 1. de civ. Dei, c. 14* *ostenditur, quod prius antequam sic occiderent filii Dei, Deo generabant non sibi.* Id est, non dominante libidine coeundi, sed serviente officio propagandi; non familiam carnis suæ, sed civitatis empyreæ. Intendentibus illis in generatione, ac educatione honorem, ac gloriam Dei adfuit Numen, & nati sunt ex ipsis filii Dei. Jam vero delitias solas carnis sectantibus, effusi sunt filii nequam filii Belial, Tyranni, Gygantes, soboles germana Sathanæ. In quos una cum parentibus exulceratum Numen diluvium immisit, eodemque involvit.

Matrimonium sinistro fine initum infelix

Infelices in anima, quoniam Archinuntio Altissimi Raphaele teste Orcus in eos principatum obtinet. Rem ut gesta est ex libro Tobiæ accipite.

VI. Proficiscente Tobia, comite Raphaele Archangelo in Rages civitatem Medorum, contigit eum deflectere in via ad Raguelem virum de tribu sua famâ, & opibus prænobilem. Huic erat filia unica Sara nomine, quam quotquot nuptui tradidit, totidem altera die suffocatos à malo Genio reperit. Quid causæ arbitramini? Aperuit eam liquido idem empyreus Comes Tobiæ reformidanti, & detrectanti inire cum eadem connubium; dicens: *Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere* *Tob. 6. 17. 18.* *possit dæmonium. Hi namque sunt, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se & à sua mente excludant. & libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet dæmonium potestatem super eos.* Quid clarius, quid manifestius dici potuit? Prævalent Lemures in eos, quorum intentiones, mentemque rotat libido, non cœlum, dæmon, non Deus. Et pereunt tanquam jumenta in stercore suo, qui moribus suis illa imitantur.

Tobias edocetur ab Angelo ritum contrahendi

Libidonoxia

VII. Jam verò ex his præmissis conclusionem formate & altum pectori imprimite; si in eos prævalet dæmonium, qui fidem sibi invicem jurarunt, & à solo fine deflectunt; quantum desæviet in eos qui vim faciunt intemeratis nymphis; qui adulteriis alienũ thorũ violant, qui limites omnes honestatis transiliunt, nisi eorum potentiam divina infrœnaret misericordia, ac clementia.

Eapropter ne quidpiam ejus-

modi bono Juveni Tobiæ eveniret, ſerio eundem idem cœleſtis Genius admonuit : *Tu autem cum acceperis eam, per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud, niſi orationibus vacabis cũ ea. Ipſa autem nocte incenſo jecoris piſce fugabitur dæmonium. Secunda vero nocte in copulatione Patriarcharum admitteris. Tertia autem autem nocte benedictionem conſequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes. Tranſacta autem tertia nocte accipies Virginem cum timore Dei, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* Notate hoc non hominis, ſed Angeli conſilium; & diſcite quo animo illigari invicem debeatis, quique jam concatenati eſtis, quâ intentione deinceps idem jugum trahatis. Notate inquam, ne aut eidem maledicto obnoxii ſitis, aut ſicut minime à Numine auſpicati eſtis; ita nihil minus, quam filios Dei procreetis.

Tobiæ 18. 19. 20.

§. II.

Ineundum Matrimonium cum Filio Dei

Matrimonium cum Filio ineundum.

VIII. Deſumendum ſeciundo fauſtum connubiorum auſpicium à Filio Dei, qui eſt ſapientia Patrs, & Verbum, in quo facta ſunt omnia. Id vero præſtabitis, ſi maturo conſilio, & notitia haud vulgari de perſona habita, ad fœdus matrimonii contrahendum deſcendetis. Etenim diu, ſapienterque deliberandum eſt, quod ſtatuendum eſt ſemel. Nemo prudens neſrendem in ſacco aut felem nundinatur, ne forte in Eryceo illudatur. Nemo domum, aut rem quamvis aliam præſtinat, niſi valorem, virtutem, commodum ejus perſpectum habeat. Ergo ſi in aliis omnibus rebus, mercimoniis, electionibus tam cauti, providi, circũſpecti eſſe adnitimur; quanto perſpicaciores nos eſſe par eſt, ubi agitur de indiſſolubili vitæ ſocio deligendo? Etenim in aliis contractum etſi cum diſpendio aliquo diſſolvere pollemus, at contractum Matrimonii ut ut volumus, non poſſumus. In aliis ordinibus datur annus probationis, ſcrutinii, deliberationis, aut etiam tempus prolixius; in ſolo Matrimonio denegatur. Etſi forſitan concederetur, diſſolveretur totus ordo Conjugatorum, raruſque inveniretur, qui jugum illud toto vitæ ſuæ tempore trahere vellet, Quanta itaque deliberatione, quanto conſilio, ac prudentia opus erit; ad ſtatum tam arduum deligendum.

IX. Abrahamum Patriarcham hac in parte lucem nobis præferentem ſpectare libet. Hic deſponſaturus filium ſuum, prolixâ habitâ deliberatione, emeritum domus ſuæ famulum Eleazarum in conclave advocat, & provolutum in genua, interpoſitâ Numinis adorandâ Majeſtate juramento fidem firmare coegit, non accepturum ſe nato ſuo Conſortem de ſtirpe Chananæorum, aut aliorum Idololatrarum, ſed de cognatione ſua. *Adjuro te*, inquit *per Dominum Deum cœli, & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, ſed ad terram*

Abrahæ prudentia in deſponſando filio

Gen.24.v3. *ram & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipies uxorem filio meo Iſaac.* Noverat enim prudentiſſimus Patriarcha diverſitatem fidei, & morum, identidem eſſe ſeminarium diſſenſionum. Noverat agnatæ, ac conſanguineæ nationis filias faciliùs in unum coaleſcere, quàm alienigenas. Noverat procul, & de ultimis finibus pretium eſſe prudentis, ac fortis mulieris. Hanc verò ut advocaret, non juveni cuipiam, ſed ſapientiſſimo ſervorum ſuorum primati, negotium committit. Et quid hic? Rem prius totam divinæ tutelæ commendat, ac miſericordiam ſupplex exorat. *Domine deus Domini mei Abraham obſecro te, occurre mihi hodie, & fac miſericordiam cum Domino meo Abraham.* Tum verò ſignum ponit ex qua electa dignoſceretur: *Puella cui ego dixero: inclina hydriam tuam, ut bibam; & illa reſponderit bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipſa eſt, quam præparaſti ſervo tuo Iſaac.* Non ait, Domine quam primam videro ſtantem in limine loquentem cum ſodalibus, aut ſtudioſis; aut quam primam arbitrabor feneſtram collaris loco geſtantem; quam omnium deprehendero ſpecioſiſſimam, ornatiſſimam, ditiſſimam, illa eſt prædeſtinata filio domini mei: ſed quæ ſeſe exhibuerit benevolam, ac humanam in ſalutando hoſpite; quæ ſe præſtiterit miſericordem in ſufficiendo potu, quæ ſepoſito faſtu ad humilia ſeſe officia demittet, & ipſamet lympham humeris ſuis domum portare haud detrectabit: Ipſa eſt, quam præparaſti ſervo tuo Iſaac. Hac via, ac ratione conſultum optimè erat Hymeneis Iſaaci, adeptus eſt adjutorium ſimile ſibi, ſolatium in luctu, benedictionem in prole, fauſtitatem in omnibus.

Ibid. v. 12.

Ibid. v. 14.

In matrimonio quid ſpectandum

Deus Paranymphus qualis.

X. ſupremus ille Paranymphus, ac Conditor univerſorum, quantumvis reſupinato Adamo coſtam evulſerit, ex eàque ſponſam effinxerit, neutiquam tamen ad inſtar Labani Jacobo Liam in ſomnis ſuppoſuit, ſed probè vigilanti, ac ſobrio præſentavit. Adam item non cæco impetu in eam proruit; ſed viſâ inſigni illius ſaturâ, ac pulchritudine, oblatis primum annuit Hymeneis, dicens: *Hoc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago.* Hæc Virgo mihi ſimillima eſt, prudens, modeſta, timorata, carnis & oſſium meorum particeps; annuo, conſentio, accipio illam in meam, & promitto eidem fidem, amorem, honorem, ſic tu DEus meus adjuves me gratiâ, ac miſericordiâ tuâ, *Adduxit eam ad Adam.* Gen.2.v.23

Quâ ratione procedendi quid aliud Numen ſanctiſſimum intendit, quàm ut oculis bipatentibus proci obſervent, qualenam onus ſit, quod cervicibus ſuis imponere meditantur; quibus moribus, quibus virtutibus conſpicua, quibus dotibus ornata ſit ſponſa. An gaudeat illi vulgato illo verſu comprehenſis,

Circumspectio in nuptiis

Sit pia, sit prudens, pulchra, pudica, potens. Quod si connubia vestra, æquâ maturitate, ac consilio iniretis, si eodem spiritu, & affectu cum Abrahamo, & Eliezero commendaretis. si virtutem, non cuticulam (quæ facilè ægritudine marcescit; aut senio rugis inaratur) præ oculis haberetis, si in vigilia, non in somno, aut ebrietate contraheretis, fauſtiores vobis tædas augurarer. Verum quoniam his omnibus semotis, solius pecuniæ spe illecti, aut specie illusi manum injicitis, justo Dei judicio identidem non Gratiis, sed Furiis vos nupsisse ingemiscitis.

Musca cæca in nuptijs luditur

Evenit enim id bene multis, quod in lusu *cæca musca* dicto, spectare soliti lumus. In eo ligantur uni & obvelantur oculi, cæteris applaudentibus, & ad apprehendendum proritantibus. Exsibilatur interea miser, vocibus ementitis eluditur, tunditur, pulsaturque ab ijsdem; & ipse fallentibus plantis sæpiuscule in scamna, parietes, fornaces impingit, quoad tandem quidpiam etsi personatum deprehendit, Tum verò gestit, & exultat super venatione sua, quoad illi velamen ex oculis detrahatur; At ubi aspicit, horret sæpius, quod amplexatus fuerat, & monstrum quodpiam pro æmulo se comprehendisse tristatur.

Hic lusus est, quem vel filii cum filiabus hominum, vel etiam parentes, & amici cum illis in sponsalibus versant. Plaudunt, applaudunt, fingunt, & illudunt quoad inenodabili nexu implicantur. Hic primum sese frustratos lamentantur, hic diras in parentes evomunt, fulmina in pronubos, in conjugem, in se ipsos ejaculantur. Utinam te nunquam vidissem! Utinam illos conjugii mei authores Orcus prius deglutijsset! Utinam te aut me Libitina citius sustulisset, quàm in hos casses incidissem. Verum ô infelices Samsones, quis magis infortunij sui faber, quàm qui ferrum hoc igne dilectionis tractandum assumpsit? Cur temerè, & inconsultò manus injeciſtis? Deliberandum erat diu, quod statuendum semel. Rarò prosperè succedunt, quæ vel perperam, vel citò deliberata, atque statuta sunt.

§. III.

Auspicium à Spiritu. S.

Nuptiarum felix auspicium à Spiritu. S.

X. Tandem, & quidem ante omnia auspicium Matrimonij desumendum à Spiritu S. qui in SS. Triade est Amor substantialis, & in omnibus aliis fons veri amoris.

S. Hilarius agens de divinissimi Verbi cum humana natura conjunctione, ait: *Ibi cœnavit Pater, filius, & Spiritus S. Charitas obtinet primum locum.* q.d. Cooperabatur Pater æternus ad eam per suam omnipotentiam, ac misericordiam infinitam; Filius per suam altissimam sapientiam; at vel maximè Spiritus S. per suum incomprehensum amorem. *Ibi cœnavit Pater, Filius, & Spiritus S.* Iste sedit primo loco in his nuptiis, ille obumbravit Beatissimam virginem; ille formavit

S Hilar de B Virg.

vit de putissimo sanguine corpusculum, ille adimplevit illud omnibus donis & gratiis. *Ibi cœnat Pater* &c. Licet alibi primatus Patri æterno adscribatur, alibi Filio, in Oeconomia tamen Christi, seu nuptiis ipsius, cum humana natura, principabatur Spiritus S.

Ad eundem modum ad nuptias vestras alias virtutes ac dotes concurrere par est; sed præ omnibus Amorem dominari. *Charitas primum obtinet locum.*

Charitas conjugalis omni lege comendata

XI. Inculcari id sponsis, ac conjugatis voluit Numen in omni Lege, Nature, quâ scriptâ, quâ Gratiæ

Gen. 2. 22.

In Lege Naturæ conditam constat Evam primam Consortem ex costa lateris Adæ. *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Non efformavit illam ex pedibus, nec ex cerebro, ut de Pallade comminiscuntur Pœtæ, sed latere. Quid causæ? Planè istud, ut nossent mariti, non calcandam, nec nimium efferendam, sed tamen amandam esse uxorem. *Facta est,* ait Hugo Victorinus, *de latere viri ut ostenderetur, quia in consortium creabatur dilectionis, ne forte si fuisset de capite facta, præferenda videretur viro ad dominationem, aut si de pedibus subjicienda ad servitutem.* Quia igitur viro nec ancilla, nec domina parabatur, sed socia dilectionis, nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda; ut cordi ac lateri apponendam cognosceret, quâ ex latere sumptam didicisset. Partitus est Dominus corpus, quatenus voluntatem coaptaret; & natura una dissiparetur arte formantis; ut una mens constitueretur, & ut corpore, sic virtute, ac affectu dilectionis conjungerentur.

Hugo Vict. l. 1. de sacr. p. 6. c. 36.

XII. In Lege scripta alios inter nuptiarũ ritus præceptum erat, ut Sponsæ ungues præciderentur, & crines detonderentur. Istud credat quispiam ad politices regulam institutum, quo bene morata esset. At ego judico potius ad bonum societatis, seu cohabitationis. Si longioribus esset unguibus armata aut feles, aut gryphes aliasque æmularetur bestias in fricando, involando in crines. Ne id fieret, præcidantur ungues, & heberentur.

Sponsa cur radebatur

At cur etiam radebatur? *Radet Cæsariem.* Numquid Monialis futura? Ita sæpe clauditur domo, ut monasterio, vix ut ad templum pateat accessus. Num timebant, ne forsitan esset Samson, & in capillis haberet fortitudinem, quibus resciss enervaretur? An ne forte à viro per cæsariem traheretur? *Radet Cæsariem.* An quia *corona viri sui* juxta Sapientem. An quod deinceps alios trahere illis in amorem sui non liceat? Ita sane. Crinis capitis cogitationes, seu affectus animi indicant, quos resecare oportet sponsæ, & soli sponso dicare, quatenus totus amor præter DEum in ipsum feratur; nec aliò avocetur.

S. Greg. lib. 7. mor.

Radet Cæsariem.

XIII. In Novo Testamento in

Hic-

Hieroglyphicum sui id amoris extulit Assertor noster; & teste Doctore Paulo signum illius esse voluit: Ait enim: *Sacramentum magnum est, ego autem dico vobis in Christo, & Ecclesia.* In quæ verba Os aureum: *Matrimonium non est theatrum, est mysterium, seu sacramentum, & rei magnæ typus.* Non est theatrum, in quo luditur, in quo fictè persona quæpiam repræsentetur; sed est sacramentum, in quo realis, & verus Christi amor adumbratur.

Eph. 5. 32.

Chryost. h 12. ad Col. 3

Explanat idipsum S. Paulus cum subdit: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam dilexit, & se ipsum tradidit pro ea; ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam.* Sicut Christus, inquit, *diligite*; ut quemadmodum ille languores nostros portavit; ita & vos uxorum vestratum fragilitati condescendatis. *Diligite* extensivè, ut quemadmodum ille in finem ad usque consummationem sæculi dilexit; ita & vos, quoad amara mors non separaverit. *Diligite* intensivè, ut sicut ille ecclesiam suam omnibus aliis prætulit; ita & vobis nihil amabilius, nihil pretiosius sit consorte vestrâ. Diligite fortiter, ut sicut ipsemet se tradidit illam sanctificaturus; ita & vos parati sitis vel cum sanguinis dispendio illi consulere, ac patrocinari. *Diligite uxores vestras, sicut & Christus.*

Amor Conugibus commendatur

Ibid. v. 25. 26. 27.

Et vicissim parte ex altera mulieres adhortatur ad debitam observantiam viris suis præstandam, dicens. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino*; idest sicut Christo, vel ob Christi amorem, seu ut subdita Christo est Ecclesia in Sanctis suis; ita & vosmet subjectæ estote viris vestris. Ut sicut illa non tantum adnititur servare mandata; sed & voluntatem Domini sui adimplere; ita & vos quantum fieri potest ad nutum & nictum virorum vestrorum advoleti s. Quemadmodum illa veneratur, & adorat caput suum Christum; non secus & vos omni cultu & honore Caput vestrum: (virum dico) præveniatis. *Mulieres subditæ estote sicut Domino, Sacramentum enim magnum est,* conferens gratiam dignè suscipientibus. *Sacramentum* est Matrimonium vestrum, adumbrans Amorem Christi in Ecclesiam suam, & vicissim. *Sacramentum* est gratiæ, & amoris.

Ibid. v. 22.

XIV. Ex quo colligere pronum est, cujus criminis rei sint, quicunque vel virorum uxores suas citra noxam pulsant; aut quæ fœminarum odii, ac aversionum fomenta subministrant.

S. Chrysostomus comparat ejusmodi crimen parricidio. Verba ejus sunt: *Dico ejusmodi virum, si vir est appellandus, & non bestia instar parricidæ, aut matricidæ manus suas polluere.* Quippe quum amor & observantia in consortem excedere debeat ipsum amorem in parentes, dicente Domino. *Propter quod derelinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*, consequens est, ut & transgressio hujus obligationis gravior sit; vel minimùm æquè reus sit, qui injurius est in Consortem, quam qui in parentes. *Dico ejusmodi virum &c.*

Viri crudeles bestiæ.

S. Chrisost. 26. in p. ad Co 1.

Id indubium realis cujuspiam blasphemiæ reos esse. Quippe cùm inter se

se felis & canis instar jurgia ferunt, despuunt, repudiant, factô ipsô detonant, tam parum dilexisse Christum Ecclesiam suam; atque ipsi conjugem suam. Immo tantopere eam exosam habuisse, quemadmodum ipse cane pejus suam execratur; tam parum desudasse Christum pro sua sponsa; atque ipse pro sua Consorte.

Rixæ in Matrimonio Christum infamant

Exadversum si mulier rixas concitet, ostendit, tam parum Sanctos, & Electos Dei, tam frigidè SS. Martyres, tam languidè SS. Virginem adamasse Christum, unicas delicias suas, atque ipsi suos maritos aversantur, & execrantur. Quo quæso quid dici absurdius, indignius, gravioreque cum blasphemia potest?

XV. Colligere itidem licet faustissimum, beatissimumque futurum connubium. Etenim nisi obicem ponant, firmabitur, & increscet illa ipsamet gratia Sacramenti, quæ hoc fine cœlitus dispensatur, ut dignè, ac competenter suo vivant statui?

Ne itaque tanti criminis rei sitis, & Matrimonium vestrum faustum, fortunatumque sit, ut aqua omnis convertatur in vinum, omnis tristitia in gaudium, omne odium in amorem, auspicamini, ut dixi, à Deo Patre, id est optima, ac sanctissima intentione promovendi gloriam Dei in sanguine vestro. Auspicamini à Filio Dei, ut maturo cum consilio illud contrahatis, & in contracto vivatis. Auspicamini à Spiritu S. eum invocando, & amore invicem præveniendo.

Hac ratione funiculo quasi triplici constricti, jugum vestrum non tantum citra gravamen, ac fastidium; sed & cum jucunditate, ac gaudio trahetis. Fiat.

CONCIO. VIII.

IN DOMINICA III. POST EPIPH.

Domine si vis potest me mundare. Matt. 8.

ARGUMENTUM.

Pharmacopolium Oecumenicum

I. DUos extremè afflictos, in civitate Capharnaum, hodiernum nobis exhibet Evangelium. A. Unum quidem lepra vitiatum, alterum autem paralyticum, utrumque à Christo Domino sanitati prodigiosè redonatum.

At si à Capharnaum ad te ô prænobilis urbs N. me convertam, & tuas domus, Xenodochia, Nosocomia lustraturus frequentem, non duo duntaxat; sed prope innumeri, quà corporis languoribus, quà animi ægrimoniis obnoxii meis incurrent obtutibus. Quibus ego Christianis ut compatior visceribus; ita ad mitigandos eorum dolores, profligandòsque languores lubens digitum thaumaturgum extenderem, & ad imitationem Domini mei, ægritudines quasuis collectis sartinis cogerem emigrare. Verum id non hominis, sed divinæ virtutis opus est, aut ex se immediatè, aut mediantib⁹ sanctissimis viris sese effudétis.

Quid itaque capio consilii in solatium afflictorum? Desolatosne destituam? aut etiam cum illo V. T. Mysta, & Levita oculo corneo prostratos despiciam? Absit id à quovis religioso pectore, & membro Christi. Quid ergo molior? Erigam Pharmacopolion Oecumenicum, in quo cunctis male habentibus sufficiam medicinam; eámque non prece, aut pretio, sed solâ bonâ animi voluntate venalem. Cedat id ad M. D. O. M. gloriam, & solatium quorumvis afflictorum.

Narratio.

II. Inter celeberrima priorum sæculorum pharmacopolia, haud postremum illud à quodam Antiphone Corynthi erectum obtinuit. Hoc enim tot florum, radicum, lapillorum, gemmarum, pulverum, aliorumque medicamentorum generibus adornaverat, ut eidem hyperbolicum illud Lemma affigere præsumpserit: Hic Cun-

Pharmacopolium celebre Plut. in Vita

cunctis afflictis salutaris venditur medicina. Hoc erecti uuntiô, ac pollicitatione, confluxêre undique innumeris pressi languoribus, promissam postulaturi, ac præstinaturi opem Hic pro senio, ille pro tussi, tertius contra mortem, herbam quampiam efflagitabat.

Verum brevi patuit ementitam fuisse epigraphen, ac commendationem, cum nec senecio ullus ad repellendum molestum senectutis vitium, nec anus decrepita ad rugas honestandas, juventutemque redintegrandam; nec quisquam alius ad libitinam fugandam inibi antidotum repererit.

Heliotropiū Panchrestū

Attamen in meo, quantumvis unica duntaxat prostet species; ea nihilominus tam efficax est, ut ei jure hoc Lemma præfigam: *Cunctis afflictis salutaris hic dispensatur medicina.* Quæritis quænam illa? Ajo esse Heliotropium, seu humanæ voluntatis cum divina conformitatem. Hac quisquis rite utitur, fieri nequit, quin levamen in suis afflictionibus sentiat. Ut tamen effectum debitum, & exoptatum sortiatur.

§. I.

Fundamentum Conformitatis humanæ Voluntatis cum divina.

Mundus à Deo conditus & gubernatus

Isa.40.12.

III. Supponendum, sciendum, & altissimè menti imprimendum, Mundum hunc non à Fato quopiam, aut Fortunæ exoculatæ commento, sed à Deo optimo maximo conservari ac gubernari. Ille est de quo Isaias: *Appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera*, id est, summâ suâ, atque incomprehensa Sapientia, Potentia, Bonitate Universum hoc versat, & conversat. Primus digitus est inscrutabilis sapientia, qua *attingit à fine ad finē fortiter, & disponitōnia suaviter per infima media, media per summa ad suos fines cuncta perducens.* Alter est Potentia, qua totum id quod libitum fuerit, exequitur: *Quia non est impossibile apud Deū omne verbū. Subest enim illi, cum voluerit posse. Et omnia, quæcunque voluit fecit in cœlo, & in omnibus abyssis.* Et hæc potentia ejus est virtutis, ut extra Deum nemo illam polleat constringere; nemo vigorem illius reprimere, nemo efficaciam, illius retardare. In ditione enim illius cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati illius. Tertius est Bonitas, qua cuncta conservat, ne in nihilum suum recidant, quaque se in servos, ac mancipia adeo indulgentem, munificum ac prodigum exhibet.

Eccli 8.1.

Luc.1.37. Sap.12.18. Psal.134.11.

IV. Proinde si quispiam investiget, scisciteur de sæculis antiquis, de tot regnorum, ac imperiorum revolutionibus. Reponet Psalres cum Jobo: *A Domino factum est istud. sicut Domino placuit, ita factum est.* Quidquid Superi voluere peractum est.

Deus omnis revolutionis author

Psal.113. Iob.1.

Si de præsentibus instet, petàtve; undenam tot mala redundent? Respondebit Ecclesiasticus: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Solo & unico peccato ex-

Eccli 11.14.

cepto, nihil evenit citra specialem Dei voluntatem, nutum, ac decretum. Responsurus est ipse dominus ore Isaiæ: *Ego dominus & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* q. d. meo arbitrio, & jussu candidis vehitur bigis faustitas, ac prosperitas, & meo nutu succedit atra calamitas. Meum beneficium est, quod discusso nubium sipario sol oriatur; & mea dispositione idem peplo caliginis obducitur. Ego advoco pacem, opulentiam, faustitatem; & non minus pro rei opportunitate bellum, inopiam, famem, pestem, calamitatem. *Ego Dominus.* &c.

Isa 45.7.

Omnis tribulatio à Deo

Si urgeas, à quo futura bona speranda? A quo timenda mala? Respondeo ex ore ejusdem Domini mei: Capillos capitis nostri numeratos esse, nec unum quidem citra illius sanctissimam voluntatem defluere posse. Immo nec passerem de tecto, nec folium ex arbore casurum, nec quidquam aliud eventurum justis, nisi ipso connivente, aunuente, aut imperante. *Nihil fit*, scribit Lumen Africanum, in *ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaque Republica, quod non de summi Imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur.* Et Amos Propheta: *Si erit malum in civitate, quod dominus non fecerit.* Nullum superventurum malum pœnæ, quod Deus non ordinaverit; nullum malum culpæ quod non permiserit. Si erit malum. &c.

A Deo omnia speranda & timenda

S. Aug. in sēt apud. S. prosp.

V. Deus enim cum sit rerum omnium Arbiter, Judex, & Vindex omnium, ideo vel per elementa, vel homines alios, vel etiam Angelos ipsos tanquam executores Justitiæ punit, atque interficit peccatum, & vivificat justitiam, & æquitatem. Vel etiam periculum quodpiam facit pœnæ in justis ne pereant; sed periclitentur acerbitatem earundem, & degustatâ miseriâ temporali, sibi caveant à sempiterna. Vel mirâ divinæ sapientiæ arte, ac stratagemate ex dispendio naturæ compendium præparat gratiæ; & per molestias corporis beatitatem animæ accurat. Nec unquam infinita ejus Bonitas tantam in orbe calamitatem, aut malitiam permitteret, nisi majora inde bona eliceret; & ex ipsa hominum virulentia tanquam ex vipera ad nos sanandos theriacam conficeret.

VI. Desipiunt itaque, qui vel in homines, vel in ipsos Lemures Avernales, vel alios authores pænarum sibi inflictarum originem derivant, & instar canis jaciente dimisso, ipsum lapidem admordent. Nam etsi homines malevoli ad nos affligendos concurrant, princeps tamen afflictionum causa Deus est, ordinans illam, ac permittens, instrumentalis homo. Nisi enim ille cum rationabilibus æque creaturis, ac irrationabilibus concurreret, nemo aut brachium flectere, aut stringere gladium, aut linguam movere polleret. Quid enim evicit Rex Saul totis viribus contra Davidem invito Domino? Nihil omnino. Quid fratres Josephi contra eundem? Nec hilum quidem. Quid Herodes, & Judæi cōtra Christū? Nihil aliud, quā quod

Deus cum omnibus operatur

quod definitum eratdesuper. Ergo si quando Sathanas nos infestat gravius, facit id indulgentiâ tanquam ad Jobum divexandum cœlitùs obtentâ. Si quispiam nos pugnis impetat, ipse dexteram percutientis regit; si quis detrahit, linguam calumniantis movet; si quis conculcat, vires conculcanti sufficit. Nam etsi Deus author peccati non sit, nec esse possit (*mundi enim sunt oculi illius, ne videant malum, & ad iniquitatem respicere non poterit*) nihilominus ut causa prima concurrit cum omnibus, & cum placet absoluto suo dominio effectum remoratur; aut omnino suspendit.

Habac. 1. 13.

Deo invito nihil fit

VI. Desipiunt multò graviùs qui invito Deo quidpiam fieri posse hallucinantur. In eos meritò invehitur Jeremias exclamans. *Quis est iste qui dixit, ut fieret. Domino non iubente? Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?* q. d. Quis tam effrons; tam impius, & fideratus, ut dicat nec prospera, nec adversa provenire ex ore, præcepto, seu ordinatione divina? Quis tam emotæ mentis, ut Fatum aut fortunam incuset, & DEum impotentem faciat? Quis tam bardus, ut alium orbis moderatorem præter Deum constituere præsumat. *Quis est iste qui dixit, ut fieret Domino non jubente.* Ergone nec DEus solvit catadupas cœli, & cataractas terræ ad obruendam cataclysmo faciem illius? Ergone DEus non pluit ignem de cœlo super Sodomam & Gomorrham? Ergo ne invito Deo subversa sunt regna, extinctæ familiæ, cineribus obrutæ aliæ civitates. Quis est iste, qui hæc dicere præsumat? Quis est, iste qui vel imaginari sibi quidpiam simile queat? *Quis est iste, qui dixit.*

Thr. 3. 37.

VII. Desipiunt gravissimè, qui etsi credant à Deo provenire bona & mala, per impatientiam suam ore blasphemo contra Numen ipsum insurgunt. Et in istos zelo æquissimo invehitur Doctor Gentium, dicens: *Tu quis es, qui respondeas Deo?* id est, à Deo factorum rationem exigas; aut de ipsius providentia conqueraris? Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem; aliud verò in contumeliam?* Nonne in ipsius potestate est, efformare vas fictile, capax, elegans, politum, ut mensæ regiæ imponatur; amphoras, quæ vino balsamo, aliisque pretiosis liquoribus serviant excipiendis; alios item ureeos ad sordida quævis munia effingere? Nonne illius arbitrii eadem conservare, & confringere? Potestne ullum conqueri de injuria sibi facta. Neutiquam.

Rom. 9.

Ibid.

Et ecce ait Dominus ipse: *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* q. d. Ex luto formavi vos ab origine, ut scieretis, quemadmodum figulus pro suo libitu disponit argillam; ita meæ id esse, & multò eminentioris potestatis disponere de vobis. sicut lutum non potest dicere:

Ier. 18.

cur me sic feciſti; sic nec vos Deo dicerè: cur nos feciſti Domine Pauperes, ignobiles, contemptibiles, infirmos; illos autem nobiles, ſapientes, validos fortes. Audiremus enim replicantem Dominum: Lutum tace, & patere. Patitur ſervus, & ancilla, ſi videat ſe à manu Domini ſui vapulare, cur tu non æquo animo ſufferes, quidquid à manu mea provenit. Tygris ſi videat catulos aut fulmine afflatos, aut peremptos, infrœnat furores, quum non videat, in quem rabiem effundat, vel quod à dominio id baſſo patiatur. Vah & tu immanior, & efferatior Tygride futurus, ut non modo furorem læſus ponas; ſed exacuas, & inflammes? O lutum, lutum, tace & patere.

§. II.

Effectus Conformationis.

VIII. Sapiunt verò, qui univerſa, tanquam de manu Dei profluentia, ac redundantia acceptant, ſeque in omnibus ſummâ pietate, & affectu divinæ ipſius providentiæ reſignant, ac committunt. Hi enim adhibent *illud Recipe*, quod quoſvis mitigat dolores, acerbitates indulcorat, vulneribus noſtris medetur. Hoc eſt malagma Sanctis, & Apoſtolicis viris uſitatiſſimum; hoc eſt Heliotropium tantopere decantatum. Ite, ite, per quævis non Europæ duntaxat, ſed Affricæ, & Aſiæ Pharmacopolia, diſquirite, ac diſcutite earum ſpecies, ac virtutes, nuſpiam efficacius, ac præſtantius invenietis.

Conformatio voluntatis humanæ cum divina alexipharmacum

IX. In comperto perquam eſt Cœlum eſſe ſtatum omni aggregatione perfectum, Oceanum inexhauſtæ felicitatis, fontem gaudiorum indefecientem, Paradyſum voluptatis. Liquidum Sanctos Dei omnes gaudere inexplicabili beatitate. Obſecro undenam illa redundat? Cur exulat mœror, & mæſtum curarum agmen? Ajo, non alio fonte redundare beata illa gaudia, quam ex ſummo amore, ac omnimoda cum Voluntate divina, conjunctione, atque conformitate. Etenim ut dolor promanat inde, quod quis non potiatur eo quod apperit; ita gaudium ſupernorum Indigetum reſultat ex eo, quod fruantur omni eo, quod volunt. Habent enim quidquid volunt, nec aliud volunt, quam quod Deus vult. Audiatur S. Auguſtinus: *Omnipotentes erunt ſuæ voluntatis, ut Deus ſuæ. Nam ſicut Deus poterit, quod volet per ſe ipſum; ita poterunt illi, quod volent per illum. Quia ſicut illi non aliud volent, quam ille volet: ita ille volet quidquid illi volent, & quod ille volet, non poterit non eſſe.* Intuentur quippe clariſſimè divinæ voluntatis rectitudinem, idque quod Deus vult, eſſe optimum, ideòque nihil aliud exoptant, quàm ut idipſum in illis, & in aliis eveniat, ſicque ex voto fiunt omnia feliciſſimè, ac ſanctiſſimè.

Sancti ex cõformitate ſuæ voluntatis cum divina felices. Aug. in Sman. c. 134.

Jam videte, quidnam aliud in hac mortalitate homo conformis Deo faciat. Nonne & ipſe ſuam voluntatem exuit,

exuit, & divinam induit? Nonne idem vult, & id énon vult, quod Deum velle, aut nolle cognoscit? Nònne omnia ad votum illius fluunt, ac refluunt? Quomodo itaque fieri poterit, ut compungatur adversitatibus, seu doloribus, cunctis ex animi placito succedentibus? Quomodo fieri potest, ut patriæ beatissimæ gaudia non prælibet, & in ipsis calamitatibus promulside beatitatis non inebrietur?

Christus edocuit Conformitatem voluntatis

X. Id forsitan nos edocere intendebat æternæ Sapientiæ Magister Christus Dominus, quando à discipulis rogatus, quatenus eos edoceret orare annuit, & ait; sic orabitis: *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua.* Nam cum prius præmittit Regni cœlestis participationem, modùmque illico subnectit: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in Terra.* q. d. Participes eritis regni empyrei, si ita promptè, amanter hilariter, integrè perseveranter executi fueritis divinam voluntatem hic in terris, quam prompte, integrè, sanctè illa completur in cœlis Beati eritis, si quæ placita sunt Patri, eadem placita erunt & filiis, coeuntibus in unum voluntatibus inferioribus cum Superiore.

Iustus quomodo nunquam contristatur Prov. 12. 21

XI. Expendi identidem intra memet paradoxum illud Salomonis in præconium justorum propositum. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Et cogitavi, quî id fieri posset, quum illis neutiquam desint variarum ærumnarum acervi, cum morbis sæpissimè divexentur, animum ægritudines incurrent, famesstringat, miseriæ corpus exedant, & quò quis sanctior, ut plurimum sit calamitosior. Qui itaque non contristantur? Et de facto reperi non paucos repletos gaudio, & superabundantes consolatione in omni tribulatione. Unde illis tam æquabilis serenitas? tanta in fronte, oculisque constantia? unde perenne pascha, & sabbathum ex Sabbatho? Vel qua ratione nos idipsum consequi poterimus? Audite Oedipum Isaiam Vatem: *Dum non facis vias tuas, nec invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem; tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudinem terræ.* Tunc gaudio perfunderis, & Olympi instar supra ludibria ventorum caput attolles, si te non juxta clepsidram itinerariam ac deambulatoriam tuæ voluntatis, sed juxta mansionarium, ac stabile horologium divinæ direxetis. Tunc æmulaberis cœlum, quod cùm nubibus obducitur, nequaquam vultum suum exasperat, nec in tempestatem impellitur, aut versatur in turbinem; sed serenum atque in concussum perseverat, infra duntaxat deprœliantibus Boreæ, aut calamitatum procellis. *Tunc delectaberis* &c. *Isa. 58. 13.*

XII. Commorante D. Paulo Apostolo Cæsareæ supervenit quidam Propheta à Judæa Agabus nomine, & arreptâ zonâ Pauli, ligavit sibi manus, ac pedes dicens: *Virum cujus est zona hæc, sic aligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.* Hoc oraculô mirum in modum consternati Apostoli cum fletu, ac lachrymis deprecabantur eum, ne Jerosolymam proficisceretur, offerentes semetipsos pro anima ipsius. Quibus Paulus: *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim* *Act. 21. v. 11 12.*

S. Pauli Conformitas cum div. voluntate

Ibid.

Item aliorum

enim non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini IEſu Fiat voluntas Dei. Quid factum, ſubdit textus: *Quievimus dicentes; Fiat voluntas Dei.* Tamdiu luctus, lamentatio, dolor invaleſcere potuit, quamdiu Paulum in ſuam trahere ſententiam nitebantur; at ubi ſuam divinæ conformare cœperunt, illico reſedit tumultus, & diſcuſſa triſtitiæ nebula ſerenum mentis illuxit. *Quievimus dicentes! Fiat voluntas Dei.* Quippe vacillare, ac titubare mens ultra, intra adverſa, nequit; cum ſtabili affigitur divinæ voluntatis fundamento; mitigatur dolor, profligatur mœror ubi corde malagma heliotropis apponitur; coaleſcunt vulnera, ubi in unum confœderatur, ac refingitur voluntas humana cum divina.

Exemplum conformitatis in paupere Bloſ. in App. inſtit. Saul. Dæm.

XIII. Didicit id eximiæ doctrinæ, ac pietatis Theologus à Bloſio, & Thaulero aliiſque celebratus. Hic aſſiduis precibus toto octennio Deum obteſtatus, hominem ſibi monſtraret à quo compendioſiſſimam ad æternam beatitatem obtinendam viam edoceretur. Cum tandem audit intra ſe ipſum arcanè loquentem Deum, iret ocius ad templi veſtibulum ibi reperturus, quem optaret Doctorem. Proripuit ſe illico, & primum, quem offendit mendicum, lacerum, ac ulceribus pure fluentibus incruſtatum, ut erat homo extra omnem faſtum; ac arrogantiam, peramanter ſalutat, & candidum mane apprecatur. Cui mendicus: Non memini me unquam habuiſſe atrum, aut duxiſſe adverſum. Theologus tanquam non bene intellectus à miſero correcturus ſuam ſalutationem: Eja inquit fortunatam tibi diem apprecor. At ego, reponit mendicabulum, infortunatus nunquam fui. Obſtupuit ad hanc vocem Literatus, & neforſan erraſſet audiendo votum ſuum, paulò aliis verbis repetit, dicens Felicem te eſſe jubeo. Mox iterum mendicus: Nunquam infelix fui. Theologus argutari credens dicacem mendicum, & ut hominis ingenium experiretur, Eveniat inquit volo, quod optas, atque id fiat. Non eſt ait iſte, quod hic querar, omnia inquit fiunt ut volo quamvis fortunæ meæ conſilia haud applicem. Ad hæc prior graviore ſuſpenſus admiratione urgere hominem cœpit; quî id dicere poſſet in tantis miſeriis, paupertate, doloribus? Nihil in te; ait, intueor quod te non proclamet, ac teſtetur infelicem, corpus vulneribus refertum, veſtis attrita, & nimis oculata, ſtatus ipſe de te annuntiant, quod ſis miſer, & miſerabilis, niſi fortè hæc ipſa in deliciis reponas, & ipſa miſeria felix eſſe velis, Tum mendicus. ſorte quam mihi DEus dedit, contentiſſimus ſum; & non egere felicitate, felicitas mea eſt. Fortuna, & infortunium neminem lædunt, niſi volentem, aut certè timentem lædi. Nec ego unquam fortunæ ſupplico, ſed Patri cœleſti qui rerum omnium gubernat eventus. Ita me nunquam infelicem arbitror, cui omnia ex voto fluunt. Quod ſi fame conflictor, Deum providentiſſimum

Patrem

Patrem ob id laudo ; si frigus me urat , si nimbus in me irruat, si aliis cœlum injuriis impetat, Deum æquè laudo. Certus sum enim nihil mihi posse accidere , quantumvis adversum , durum , & acerbum quod prius à summi cœlestis Imperatoris aula non fuerit ordinatum. Certus sum, quod nihil mihi inferre possunt homines , dœmones , & creaturæ quæcunque , quàm Deus velit , providerit , ejisque facultatem indulserit , qui suis facit omnia cooperari in bonum. Certus sum horum omnium quæcunque mihi accidunt Authorem esse Deum , nec posse non esse optimum , quod Deo placet. Eapropter omnia tanquam de manu Dei accepto , & hoc unum volo , quod DEus vult ; ita omnia fiunt ut volo. Ita me fortunatum censeo , quando non ab alio , sed à solo Deo dependeo , meámque voluntatem integrè in divinam transfundo , ut apud me non aliud velle, aliud nolle sit, quam quod DEus vult. Cognovit ex hoc discursu Theologus , hanc esse compendiosissimam ad DEum , & beatitatem semitam , atque hanc subinde decurrere , ac tenere firmiter studuit.

Conformitas voluntatis miti gat tormẽta In VitisPatrum l.1.c. 12.

XIV. Didicit idem , mitigandi quosvis dolores , & adversitates, vel etiam omnino profligandi artificium à SS. Epicteto & Astiane quidam Assessor judicii Vigilantius. Nam cum illi à Latroniano Proconsule variis tormentorum generibus examinarentur , steterunt animo infracto in omnibus , nihil aliud ingeminantes *quam Christiani sumus, Fiat Dei voluntas in nobis.* Quod audiens Vigilantius, in eam semet persuasionem adduxit, ut crederet miræ virtutis incantamentum ea verba esse , quæ omnem doloris vim enervarent , & in ipsis suppliciis supplicia sentire inhiberent. Hæc ipsa itaque verba tanquam potentissimum carmen in omnem noxam assiduè repetere , nec aliud stans sedens , ambulans , domi , foriscque pronuntiare , quàm hoc ipsum : *Christiani sumus, Fiat Dei voluntas in nobis.* Triduum sic exegit , Deo ipsius veluti infantis non mali miserente. Quartâ demum die arcanâ vi motus in publicum prodiit, ac palam vociferari cœpit. *Christianus ego sum o Tyranne Latroniane , fiat voluntas Dei nostri in nobis.* Admissus in carcerem ad Martyres , Christianis sacris imbutus est, & subinde Martyriũ lætus ipse, in iisdẽ verbis obiit. Quodsitantæ virtutis hoc amuletum extitit in homine etiamnum à Christianis ritibus alieno , conjicite quàm efficax futurum in ipsis fidelibus,

Conformitas voluntum cum divina commendatur

XV. Ediscamus idipsum ab iis, & aliis Sanctis Dei , vel potius ab eo , qui est Corona Sanctorum omnium. Ponite illum vobis ob oculos luctantem in horto Gethsemani, & notate quonam ceromate se inungat , quonam amuleto se confortet , & non indagabitis aliud , præterquam istud. *Non mea Pater , sed tua voluntas fiat.* Voluntas mea seu partis inferioris est , si occumbendum pro salute hominum , ut id fiat privatim citra tantam infamiam , & non in amphitheatro orbis in urbe Jerosolyma ; in clivo Gethsemani inter duos Latrones ; at siquidem

tu contrarium definivisti, *non mea, sed tua voluntas fiat:* sensus meus esset, si patiendum, & vita ponenda pro gloria tua, & hominum salute, id fieret manibus, vel Matris Genitricis meæ, ut illa instar Abrahami Isaacum me immolet, aut gladio cœlestis cujuspiam administratoris Justitiæ, aut alterius cujuspiam Sanctissimi Sacerdotis ministerio; at siquidem à te decretum, ut id fiat manibus carnificum gentilium, & à potestatibus tenebrarum, *non mea sed tua voluntas fiat.* Verum si etiam ita pereundum mihi est, optarem, ut saltem cœlitus tuos destinares Caduceatores ad mundum de mea informandum innocentia; aut eligeres ex viris Juda timentes DEum, qui videntes afflictionem meam perinde ac amici Jobi compaterentur mihi compungerenturque, & cum fundente sanguinem minimum lachrymas evaporarent, verùm cum videam tuam voluntatem in eo esse, ut desertus ab omnibus, etiam amicis & discipulis meis moriar, *non mea sed tua voluntas fiat.* Tibi me consecro, tibi me offero ad calicem hunc passionis hauriendum, in quantum, & quacunque tibi ratione placuerit. *Non mea sed tua voluntas fiat.* Etsi non semel, sed millies mihi occumbendum in cruce, *non mea sed tua voluntas fiat.* Eratque hæc resignatio tam potens, & efficax, ut teste S. Æthanasio, *impossibile cum esset detinere à morte.* Humanitas ob carnis fragilitatem recusabat passionem; sed divinus ejus affectus affectanter illam subijt, eò quod non esset possibile eum detinere à morte.

S. Athan. in Luc.

Ergo si & nos sectatores illius indigitari volumus, æmulemur eundem, si mederi languoribus nostris exoptamus, hoc pharmaco utamur, resignemus nos plenè in omni fortuna in manus ipsius divinæ providentiæ, & incessanter tanquam tesseram circumferamus in omni conflictu, *non mea sed tua voluntas fiat.* Absit ô amor meus, ô DEus meus, ut quod tu vis ego nolim; aut quod tu non vis; ego velim. Tua voluntas mea est, immo jam non mea, sed tua, quia totam tibi consecro, dico, mancipo. Vis me ægrotare, volo & ego, vis tabescere, volo, vis adversitatibus conflictari, volo; vis ut cum Lazaro jaceam ad fores divitis, & mendicem micas decidentes, aut cum Jobo supra fimetum resupiner, volo & ego. Vis alios majoribus cumulare bonis, & gratijs, volo & ego, illisque gratulor, siquidem tu id vis; nec illa mihi aliter exopto, quàm ut sanctissima tua voluntas expleatur. Nolo ut quicquam mihi elargiaris, nisi quod cedat ad majorem tuam gloriam, juxta tuum divinum beneplacitum. Nolo vivere, nisi juxta tuum decretum & imperium. Nolo quidquam velle, aut non velle, nisi quomodo, quando, & quantum tu vis, & non vis; ita ut tuum beneplacitum sit meum summum, & ultimum desiderium, jucunditas, consolatio, omni tempore, & in omni re. In te solo cupio quiescere, mihique complacere & in nulla alia re.

Id si feceritis confidite in omni fortuna stabiles, atque erectos perstituros. Fiat.

CON-

CONCIO IX.

IN DOMINICA IV. POST EPIH:

Et ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8.13.

ARGUMENTUM.

SORTES JACIUNTUR IN AUTHOREM Tempestatis.

TEmpestas, quæ in freto Galileæ desæviit, eadem nos, aut suppar illi identidem infestat. A. Etenim si animo obversetur totus, quà longè lateque diffunditur orbis hujus Oceanus, arbitrabimur vel eminus speculantes, ibi onerariam Romani Imperii jam decumanis Subsolani agitari procellis, jam frementibus Nothi impeti flatibus; jam heteroclitis Apogæi tumultuari discordiis. Lustrabimus præ oculis navim Aquilæ candidæ fœdissimè dilaceratam, ac convulsam, intuebimur alias in charybdes provectas, alias ad scopulos allisas, alias in syrtibus defixas. Videbimus ne longè abeamus, lembum animæ nostræ tot procellis, quot perversis agitari suggestionibus, tot fluctibus, quot adversitatibus obrui; tot piratas, quot corporis, vel animæ hostes perpeti; tot demum naufragiis, quot periculis obnoxium exponi. Quid hic faciendum? Dicerem cum Apostolis excitandum esse Dominum; sed incassum identidem precibus pulsatur; & ad frequentata etiam vota obsurdescere videtur. *Ipse verò dormiebat.* Quid ago? Anchoram jacio, non hæret. Titubat ipsa fiducia, dum jam in hanc, illamve partem tentationum vi abripitur; jam omni Zephyrô aspirantis gratiæ destituitur. Quid tandem consilii? Videamus.

Adversitas ubique confligit

Narratio.

II. Jonas Vates legationis munus in Niniven, propriis exoneraturus humeris, à Deo impositum ; quum in Tharsis traiiceret, tanta eum tempestas furenti fluctuum fremitu subsecuta est, ut ipsum unà cum comitibus in summum rerum omnium, vitæque discrimen adduxerit. In eo articulo nautæ votis conceptis, diisque in cassum precibus advocatis, & mercibus, industriæ scilicet, & laboris sui fructu, demersis, ad sortes jaciendas convertuntur. *Venite mittamus sortes, & sciamus, quare hoc malum sit nobis.* Exotica hæc tempestas est, non ab immiti Aquilone, sed à quopiam nostrum excitata. *Venite mittamus sortes.* Dictum, factum, Jecerunt sortes, *& cecidit sors supra Ionam.* Nec abnuit scelus Vates, sed propriâ suæ conscientiæ, ac oris confessione contestatus est, se authorem tantæ tempestatis, eámque ob rem in profunda pelagi deturbatus.

Ionæ naufragium Ionæ 1. 7.

Quum itaque nos subsimilibus, & Respublica nostra æstibus, ac procellis jactetur; cùm cœlum nobis sese exhibeat æneum, & tellus ferrea ; quum ipsi campi, ac flumina ab effuso erubescant cruore, mittamus pariter sortes, quis tantam concitaverit tempestatem ? quis in causa, quod sæpiuscule urbes, regna, provinciæ periclitentur, ut factô scrutiniô, in abyssum aquarum reum deturbemus. Et quoniam sortes ejusmodi divinatoriæ, ac consultoriæ nobis interdictæ, committamus eas sanctis Dei (quibus omnia licent,) jaciant illi, & decernant.

§ I.

Tempestatis princeps Author Christus arguitur.

III. Primas teneat, qui antiquitate cæteros præcedit Origenes. Tenet ille primus aleam. Quid autem ? Oculos septem alea exhibet. Et hi quem quæso denotant? *Sortes jaciuntur in Authorem tempestatis*

Explanet nobis Zacharias Vates: *Ecce*, ait, *Lapis, quem dedi coram Iesu, super lapidem unum septem oculi sunt.* *Ecce ego cælabo sculpturam ejus ait Dominus exercituum.* Lapis hic Christum Dominum denotat, qui est Petra, & refugium Heriuaceis. *Qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum* ; De eodem jam olim Isaias: *Ecce ego mitto in Syon lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum.* Quicunque spem suam, ac ædificium Spirituale in eo firmaverit, non habet, quod reformidet à procellis tempestatum, ac ventorum turbine; in eo enim firmabitur, & non flectetur, stabit in eo erectus, & inconcussus ; tanquam domus supra firmam petramerecta. Septem oculi in hoc Lapide indicant plenam, perfectàmque Christi Providentiam circa Ecclesiæ suæ fabricam erigendam, augendam, ac promovendam, quam per septem primarios aulæ suæ principes, ac præfectos exercet. Ita se ipsum explicat præfatus Vates : *Septem isti oculi Domini sunt, qui discurrunt in universam terram.* Et Author Apocalypseos idipsum testimoniô suô illustrat dicens: *Agnus habebat oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi*

Tribulatio Christo imputatur Zach. 3. 9.

Christus Lapis

Matth. 21. 44.

Oculi. 7. in lapide quid signent

Zach. 4. 10.

Apoc. 5. 6.

missi in omnem terram. Vel etiam septem oculi, septem dona Spiritus sancti sunt, sanctis suis, ac dilectis dispensata.

Orig. hom. 6 in diversi.

IV. Sed numquid Christus Author hujus tempestatis, ac periculi? Ita sanè scribit Vetustissimus ille Pater: *Tempestas non ex se orta est, sed potestati paruit imperantis ejus, qui educit ventos de thesauris suis.* Ne putetis quæso Oceani fremitum ex intimis illius redundasse visceribus, à Domino factum est istud; & illius imperiô Æolus infrenduit. Quod mox expressiùs explanat dicens: *Ingressus Dominus in naviculam fecit turbari mare, commovit ventos, concitavit fluctus. Corpore dormiebat, Divinitate verò concitavit fluctus.* idque eo fine, ut se terræ, mariisque Dominum ostenderet.

Christus cur pedem unum in mari posuit

Apoc. 10. 1, 2.

V. In sacra Apocalypsi legimus, sub Hieroglyphico Angeli illum adumbratum, amictum nube, & iride circa caput insignitum. Porro *facies ejus erat ut sol, & pedes ejus tanquam columnæ ignis, & posuit pedem suum dextrum supra mare, sinistrum autem super terram.* Facile capitis ad majestatem illius exaggerandam cojisse in unum ornamenta cœlorum. Aut Iridem gestasse in capite, quod Legatus, & Arbiter fuerit pacis; in solis plenitudine omnem gratiæ, ac sanctitatis perfectionem ostentasse; in pedibus furorem, aut zelum suum ardentissimum in conquirendis suis oviculis adumbrasse. Quid verò est quod pedem unum terræ, alterum pelago infigit, nisi quod utrûque in sua ditione, ac dominio exhibeat. Ergo Dominus ingressus naviculam commovit ventos, concitavit fluctus, turba vit pelagus, demonstrans discipulis sese non terræ duntaxat, aut in terra arboribus, & hominibus, morbis, & morti imperitare; sed etiam adsûa jussa convolare ventos, aut componere flatus sibi mancipatum Oceanum, ac pisces omnes; sibi quidquid in cœlo, & in terra, obnoxium, ac subditum esse. Ergo quod & nos conflictemur, quod triremis urbis, aut patriæ nostræ tempestuosis agitetur seditionibus Supremo Orbis Arbitro, ac Moderatori imputandum est.

§ II.

Sors cadit supra Iudam

VI. Verùm ego hisce sortibus neutiquam acquiesco, cum Dominus & ambulando supra mare, & in captura piscium prodigiosa, aliisque viis dominium in utrumque elementum comprobaverit. Et licet haud abnuam ipsius operâ, ac omnipotenti dexterâ hanc procellam excitatam; non tamen solâ motrice ipsius Bonitate, sed alicujus culpâ eveniisse mihi persuadeo. At cujus?

Iterentur itaque secundo sortes, & quidem à te ô beatissime Pater Ambrosi. Jactæ sunt aleæ. Quo effectu, aut signo? Unius oculi. Hem jam concipio, quod hic non alium designet, præterquam Iscariothem. Ita inquit ille: *Non turbatur navis, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Iudam habet. Etsi multa illic discipulorum merita navigabant, tamen adhuc eam perfidia Proditoris agitabat; & qui suis meritis firmi fuere, turbantur demeritis alienis.* Non tangit hæc alea Petrum,

Iudas causa tempestatis S. Amb. in c. 5. Luca

quia tantæ erat fidei, & meriti, ut etiam ſupra pelagus, veluti ſupra aridam incederet. Non tangit Joannem, quia ille ſecurus in pectore Domini conquieſcit. Non tangit Andream, quoniam & ille in tabula Crucis ſecurus, & impavidus enataret; non tangit alios Apoſtolos, conſcientiâ teſte infallabili innocentiſſimos. Solus Judas ſtagnum illud eximo vertit, miſeramque naviculam procellis jam imparem ad ſummam deſperationem adduxit, jamque eo res devenerat, ut totum Apoſtolorum Collegium naufragio hauriretur, niſi ſupplicibus aliorum diſcipulorum precibus motus Dominus, compoſuiſſet undas, ventorumque furores compreſſiſſet.

VII. Neque id mirum videri debet, quum multis aliis ſacræ paginæ locis; vel ſubtractam benedictionem, ob unius virulentiam toti generi; vel ob unum delictum in totam provinciam Numen Optimum, at ſimul juſtiſſimum obſervari liceat deſæviiſſe.

Beſtiis cur benedictio ſubtracta

Condito orbe, & diverſiſſimis creaturarum generibus repleto oſtendit Altiſſimus multo ampliorem gratiam piſcibus, quam cæteris terræ animantibus. Nam ut refert ſacer Chronologus: Benedixit eis dicens: *Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris.* Creatis autem pecudibus, ac belluis nullam omnino perhibet impertiiſſe benedictionis gratiam. Quæſo vos, quid hoc myſterii? Cur palmam hac in parte obtinent Domini Lucii, Percæ, Carpiones, Funduli, non item Leo, Elephas, Cervus, & alia quadrupedia? An non merebatur eam Leo Rex animalium, cui tantum in corpore robur, tanta in robore alacritas, tantus in ſubſtrictis membris animoſi ſpiritus dominatur vigor? An non vendicare illam potuit Elephas, quem Author naturæ, & corporis mole ſupra cætera extulit, & mira ingenii, ac memoriæ docilitate inſignivit? Cur non equus eam appeteret, quem expeditiſſimum, habiliſſimumque efformavit ad onera ſubvehenda, ad pugnandum, venandum, inſequendum? Cur item eam aliarum beſtiarum vigor, ac virtus exorare non potuit?

Si hominem Religioſum conſulam, dicet id factum, eo quod piſces non omnibus conducant; quod generent phlegma, tuſſim, catharrum, ne itaque noceant, ne officiant jejunantibus, benedictione ſua prævenit Dominus, & ſalubritatem illis impertitur. Haud abſona ratio, & plena ſolatio iis, qui ſacroſanctè abſtinentiam ſervant, non eſflagitando ſubdolè ſub prætextu quopiam perſonato indulgentiam, aut temerè præceptum violando. Deus illis benedicit piſces, & cibis, ex iis confectis, ut ſanitatem ſibi pollicerì queant, qui præceptis Eccleſiæ ſeſe devotiſſimè ſubjiciunt; multòabundantius iis, qui nequiter illa violant, & licentioſe ſibi indulgent.

Piſcibus cur data benedictio

Si Sapientiores naturæ inveſtigatores audiam, aſſerent id ea de cauſa eveniſſe, quod omnia viventia aqua-

aquatica veneni expertia sint, & ipse araneus marinus, ipse serpens fluviatilis innoxius sit sumentibus.

Anast. Sin. in Gen.

At si audire lubet B. Anastasium Sinaitam, dicet, *Privati sunt benedictione* (bestiæ) *quia in iis erat serpens, Evæ hostis, & maledictioni obnoxius* Propter unum serpentem, propter unius Draconis virus, benedictio alijs omnibus animantibus subtracta; ipsius virulentum fermentum totius generis massam hac gratia spoliavit. *Quia in eis erat serpens.* Ita nimirum in bestijs unius nequitia gratiarum stitit cataractas. Et quid censetis de hominibus? An minor illorum malitia? An non eadem in alios identidem redundat, gravibusque involvit infortunijs? Obstupescite, & notate casum, quotquot in Communitate licentiosiùs grassamini,

Pœna peccati unius redundat in plures

VIII. Expugnatâ Jericho, & in anathema Domino consecratâ, Achan unus de populo clanculum sustulit quidpiam de spolijs illius urbis, & ut dexteriùs falleret alios, terræ; ut potuit, infodit altissimè. Quis hic sepultum scelus non ominaretur? Quis à condito intra terræ viscera toxicosibi metueret? At vigilavit ad vindictam Numen; & illico in tria millia virorum fortissimorum ex Israel desævijt, qui subitò terga vertentes percussi sunt à viris urbis Hay. Audijt hæc Josoe cum principibus populi & commoti corde, proni acciderunt Domino dicentes, *Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluvium; ut traderes nos in manus Amorrhæi, &*

Israelita puniti propter furtum Achan.

perderes. Vtinam ut cœpimus mansissemus trans Iordanem. Mi Domine Deus, quid dicam Israelem videns hostibus suis terga vertentem. Eheu Domine miserere, & ne auferas misericordiam tuam à nobis. Miserere populo tuo, quem in manu potenti, & brachio extento in omnibus mirabilibus de Ægypto eduxisti. Miserere, quia bonus es, & placabilis, & cum deduxeris ad inferos, reducis. &c. Cui Dominus: *Surge cur jaces pronus in terra? Peccavit Israel, & prævaricatus est pactum meum, tuleruntque de anathemate, & furati sunt, atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua. Non poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non ero ultra vobiscum donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est.* Facto itaque scrutinio unus inventus est Acham, in glorioſissimo illo exercitu, qui de anathemate pallium coccineum, regulamque auream sustulerat, & ob illum unicum vindicantis Numinis manus, & ultor gladius in totius populi caput, vitamque incubuit,

Josue. 7. 8.

Davidis culpa in subditos redundavit

IX. Gravius est quod Davidi homini alias Deo carissimo, seu potius populo ipsius, ob delictum, ut alij censent non capitale evenit. Etenim quum per arrogantiam quampiam, tumidumque fastum, ex succenturiati populi conceptum multitudine, Numen irritasset; id delictum in universi populi perniciem redundavit. Quippe ad expiandam illam Regis temeritatem septuaginta duo hominum millia intra breve spatium ab Angelo vastatore cæsa, ac confecta fuêre

2. Reg. 24.

Et

Et tamen hanc stragem, totam Judæam lachrimis inundantem, romphea divino imperio grassantis Nemesis, nõ intuitu numerosæ cujuspiam delinquentis multitudinis, sed solius Davidis effecit. Ob illud unicùm strata civium patentibus in vicis cadavera, ob illud tam dira in subditos pestilentia sævitum est; ob illud plures alii sternendi, nisi Rex ipse pronus, & supplex Numini procubuisset.

X. Eheu eundem & nos flagellantis Numinis rigorem vix nati, immo vix concepti sensimus, quando scelus prævaricãtis Proto Plastis parẽtis nostri, ex parte sufferre cogimur, & in communionem reatuum descendere. O pomum funestissimum! ô ingratam, & cœcam mentem, quæ toti humano generi luem, mortem, & omnigenas invexit miserias, quæ vestem innocentiæ exuit, quæ virtutum corollas, singulariaque animæ ornamenta dilapidavit; & crudelius prope quovis alio Tyranno in nos animadvertit.

Mahomet II tyrannis ob pomum deceptum Fulgos l.2.c.9.

Mahometes II. Turcarum Imperator litaturus genio suo cum tribus pueris in pomarium concesserat; in cujus ingressu pomum illi in oculos incurrit miræ pulchritudinis, quod gulæ suæ destinavit in exitu decerpendum. Sed fefellit orexim puerorum unus, & clanculum arreptum decoxit. Redux itaque cum illud sublatum vidisset, atque incassum, omnibus mordicus furtum inficiantibus, authorem inquisivisset, strinxit in furorem actus cultrum, eo animo, ut universos evisceraret, quoad in authore facinus ultus fuisset. Evenit autem ut vel pavoris indicio, vel vultus in constantiâ, vel altiore Divûm monitô ductus, reum ipsum primò apprehenderit, inque evilcerato frusta necdum digesti pomi repererit. Atque ita quantumvis mirum in modum efferatus esset, satis in uno Furiis litatum crederet.

Adami peccatum omnes infatuavit.

At vero pomum sceleris originarii, perinde ac venenum ore libatum in omnia membra à capite sese diffudit, nec satis illi erat caput vitiasse, nisi & manus pedesque, totùmque corpus contagione suâ infecisset. Non satis erat Adamum multasse exilio, doloribus ac calamitatibus onerasse, nisi unà totam posteritatem iisdem malis involuisset, inque omnes noxiâ derivatione redundasset. Etsi de Authore constaret, tamen nepotibus indigestæ mortis hæreditatem, calamitatemque transmisit.

Sed quid frustra in flebiles elegias excurro, quum non Adami duntaxat, sed & aliorum concivium crimen itentidem in aliorum exitium, exterminiumve proserpat. Et quos communione quapiam confœderatos invenit; eosdem pariter affrictu suo afficiat, & commaculet.

Apostoli propter Iudam conflictantur

Ita S. Ambrosius evenisse autumat sæcerrimis Christi discipulis. Non satis illis erat ad eripiendam è naufragio puppim, quam præsentia sua Dominus consecraverat, vel Joannis innocentia, vel Petri ardentissima charitas, vel Andreæ crucis ambitio, vel in aliis aliæ dotes, quando degener Judas in transtris, & ad remum consedit.

Quam-

Quamvis Petri fides solidaret Phaselum, quamvis Joannis virginitas carbasa rite laxaret, quamvis remos dextrè ageret charitas aliorum, Judæ tamen perfidia illum exagitabat, divexabatque.

Ergo quod & impræsentiarum tempestatibus jactemur, adversitatibus flagellemur, aurâ secundâ destituamur, unius scelere evenire potest. Ergo quod urbs nostra tot conflictetur calamitatibus, tot obruatur procellis, tantâ prematur penuriâ, vel unius inexplebili avaritiæ, vel alterius venenati livoris fascino, vel cujuspiam ambitioni hyperbolicæ imputandum erit. Ergo meritò timendum Ducibus disciplinam militarem laxantibus, ne unius, alteriusvè licentiâ, alij victima cadant hostium. Timendum Summatibus modum ponere vitijs ignorantibus, ne eorum flagitia grex innocens luere cogatur. Timendum Patribus familias, ne servorum; parentibus, ne filiorum; Magistris, ne discipulorum suppliciorum complices evadant.

§. III.

Sortes cadunt supra omnes.

XI. Superfederem ulteriori inquisitione, si modus sic procedendi divinæ Justitiæ canonicus, ac universalis esset, verùm cum limitatus sit, nec semper noxa unius, supplicio suo alios involvat; & Judas ipse fautores, ac Patronos habeat, propugnantes etiamnum illo articulo insontem, ac Deo gratum extitisse; ne innocenti tempestatem imputemus iteranda tertiò alea.

Tribulatio cur immittatur

Præstet id Theophilactus cum alijs SS. Patribus, conspirent in unum, & una sortes repetant. Jacit ille, & quidem oculum bis senarium. Quid isti signant? Non video aliud, quam totum collegium Apostolicum, omnes duodecim Discipulos: Loquatur ipse: *Permisit Dominus tempestatem oriri, ut discipuli ad tentationes exercerentur, & ut per miraculum crederent.* Erant ex discipulis alij, vel unà omnes formandi, & effingendi ad quasvis adversitates imperterriti; ergo tempestatibus tanquam letheis fontibus immergendi. Erant alij etiamnum modicæ fidei, ergo & castigandi propter incredulitatem, & firmandi prodigio in fide. *Permisit Dominus tempestates &c.* *Theoph. h. l.*

Tribulatio parit probationem

XII. Ea ipsa de causa in præsenti immittuntur cœlitus calamitates, nimirum ut & probemur, & à commissis expiemur. Immittuntur, ut nimirum probemur tanquam aurum in fornace, quatenus eo illustriores evadamus. Immittuntur ut per patientiam curramus ad propositum nobis bravium æternæ retributionis, maximus enim promerendi titulus patientia est. Ubi autem patientia, si fortuna ubique, si prosperè cuncta eveniant. Immittuntur quatenus pœnæ periculum quodpiam faciamus, ne pereamus; sed prælibatione

tione cujuſpiã acerbi, declinaremus acerbiſſima,&guſtata miſeria tẽporali, non abſorberemur æternâ. Immittuntur quatenus ad Deum per orationes ferventius nos recipiamus,& cum SS. Apoſtolis invocemus: *Domine ſalva nos perimus.* Actum eſt de nobis, niſi tu Caſtor ſalutis exortus fueris. *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Ad tuum nutum conjurati veniunt ad claſſica venti, minaſque ponunt. In te tanquam cardine ſalutis noſtræ janua vertitur; niſi tu manum opitulatricem extenderis,conclamatum eſt: *Domine ſalva nos perimus.*

Pſal.88.v. 30.

Tribulatio in pœnam permiſſa

XIII. Immittuntur ut plurimum tempeſtates iſtæ, in ultionem ſcelerum noſtrorum. Iſtud eſt quod Orcum aperuit, cœlum reſeravit. Furias in orbem terrarum immiſit. Ab hoc prælia, funera civium, provinciarum vaſtitas, Rerumpublicarum interitus ſua duxere cunabula. Ab eodem mœror, luctus, lethumque cum damnorum immenſa Iliade ſuam derivarunt genealogiam. Iſtud Lacheſi falcem confecit, Marti haſtam aptavit, Mercurio fraudem inſinuat, Mamonam divitibus, Venerem libidinoſis, Aſmodeum nuptis conciliat. Vitia noſtra fluctus decumanos, & vibrantes Cauros,&furentes Aquilones procreant; in aerem peſtem, atque incendium; in agros uredinem; in herbas toxica diſtillant. Inde fulminat æther, nubes ſonitu, & incendio crepant, aret tellus, diluvium effundunt cœleſtes catadupæ. Hæc verò tantopere inter ſe confœderata ſunt, ut nondum prodeunte ex utero degenere ſobole, jam parentem doloribus immenſis,& parturitionis veluti equuleo conficiant. Ita enim Pſaltes purpuratus: *Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Embrio ille informis, quem perverſa voluntas intimo ſinu alit, dolor eſt, non ſperatæ lætitiæ fructus. Primogenita quaſi ærumna eſt ante malitiam. *Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Nos itaque nos ipſi calamitatem noſtrarum authores ſumus, nos tempeſtatem in capita noſtra concitamus. Fluctus quicumque nos impetunt, ex intimo cordis fundo redundant.

Pſal. 7.15.

XIV. Feruntur arbores ſortem ſuam miſeratæ coegiſſe conſilium, indagaturæ quidnam facto opus eſſet, ne tot ex ipſis mutilarentur, vel omnino capite minuerentur. Periimus ingemuere altum prope ſingulæ, niſi ſecures ex manibus mortalium ereptum imus. Quin & præſtat interire, quam indies videre acinacem cervici appoſitam, quam hic quercum, ibi pinum, alibi Cedrum ſorores noſtras multò cariſſimas intueri repetitis ictibus, & vulneribus proſtratas,&mox in pyram actas, aut prorſus in cineres redactas. Quid enim juvat medullas impinguare, brevi in pabulum Vulcano ceſſuras? Aut quid conducit criſtas attollere, in modico forfice perquam aſpera radendas? Quid brachia laxare, hac vel proxima luce mutilanda? Adeſte itaque conſilio Senatores, ne omnino & animis *cadamus, & corporibus.* Audiit hæc, diuturna indurata patientia quercus,& ut finem lamentis dedere, repoſuit. Uſquequo nequicquam profuturis æthera boatibus repletis?

fabula de arboribus

Uſque

Usquequo sorti vestræ indolere non cessabitis; Usquequo in secures fulmina cudere nitimini, vix in pilo nobis obfuturas, nisi manubrium eis suffecerimus. Hoc unum seriò præcaveamus, & salvæ erimus.

Tribulationum causa homo ipse

Haud absimiles sumus stipitibus istis, in threnos, ac lamenta effundimur, contra acinaces detonamus, quas tamen culpis nostris acuimus, & quibus prope indies manubria sufficimus. Neque enim, ut innui, ex aliis fontibus promanant adversitatum tempestates, quam ex culpa. Christianorum fortunam non eam atterunt barbarorum vires, quam mandatorum Domini contemptus. Nostris sceleribus Osmanici invicti sunt, nostris flagitiis invalescit Orcus, nostris offensis acceleramus funera. Et hic sensus Sanctorum, hoc ipsius experientiæ prope quotidianæ suffragium.

XV. Prospiciebat Regina Esther sibi, ac toti populo incumbere sævissimam tempestatem, fortunam mutatam, regem suspiciosum, gratiam imminutam, æmulum potentem, mandatum contra suum populum latum, suum statũ in novacula acie constitutum. Quid hic illa? An forsitan lamentari cœpit quod Assuerus tam leviter crederet, & à semel concepta sententia se dimoveri non sineret. An fortè, quia Aman eum dementasset, & astuta malignitas plus valeat, quam candida innocentia. Et quot non sunt, qui dixissent; ille nebulo mihi hoc fecit, vide quomodo sese in gratiam insinuaverit Principis. Ille meus vicinus hanc offam mihi intrivit, Deus illi rependat. O DEus quomodo potes tantam intueri injuriam, & dissimulare? Quomodo potes cernere tot oppressiones innocentum, nec eas castigare? nullam harum ineptiarum illa cogitavit, nullam nugarum protulit sancta illa Regina, sed suæ cataströphes solam, & unicam causam censuit esse peccata, justissimam iram Dei provocantia. *Peccavimus in conspectu tuo, & idcirco trædidisti nos in manus inimicorum nostrorum.* *Esth. 14. v. 6.*

XVI. Fratres Josephi rati rem seriò agi ab eodem, & comicum illum actum ex prologo carceris funestiorem epilogum sortiturum, eruditi magistrâ tribulatione ingenuè scelus suum in illum commissum causam suæ calamitatis professi sunt: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Vigilavit Dominus super malitiam nostram, & adduxit eam super nos *Gen. 42.*

XVII. Quid multa impius, & Ethnicus Rex Authiochus ob infaustum nuntium graviore oppressus tristitia, omnique destitutus inter dolores solatio, in tanta caligine turbati animi, desperatique agnovit flagellum id esse criminũ suorum & exclamavit: *Nunc vero reminiscor malorum quæ feci in Ierusalem.*

Credo facile si quispiam in angoribus suis examinaret conscientiam suam coram DEo, & delicta juventæ recoleret, quam nequiter illos annos impenderit, quales habuerit conversationes, quomodo edomuerit linguam, infrœnaverit oculos, quam pudicus fuerit corde, castus aspectu, dicturum cum eodem: Nunc reminiscor

niscor malorum, quæ feci in juventute mea. Si mercator alter examinaret digitos suos, libram suam in sua infirmitate, quàm rectus & justus fuerit, forsitan cum eodem ingeminaret: *Meritò hæc patimur. Nunc reminiscor malorum quæ feci* Si quivis alter vitæ suæ rationes discuteret, iisdem concinneret: *Merito hæc patior &c. Nunc reminiscor* &c.

Quocirca si sors siniſtra incubuerit, si stringat egestas, si aliæ ingruent miseriæ, non proximo, non elementis, non sorti, sed nobis imputemus. Nostrorum flagitiorum hæc clientela est, & jurata prope pediſſequa. Etsi inter tot infortunia cervicem surrigete molimur; si prosperioribus favoniis ad portum beatitatis provehi gestimus, Si quæ culpa in nobis est, eam pœnitentiæ sinceræ novaculâ rescindamus, & malatiam, ac prosperitatem remigraturam confidamus.

Amen.

CONCIO X.

IN DOMINICA V. POST EPIPH.

Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo habet Zizania? Matth. 13.

ARGUMENTUM.

Campi Politici zizaniis horridi lustrantur.

NOn naturalis duntaxat ager, sed & misticus, ac politicus multiplex, ac diversicolor est. A. Unus æque, ac alter jam suliginem præfert, jam livorem imitatur, jam in ruborem diffunditur, jam in candorem exporrigitur. In campo mundi elementari seritur triticum, spelta, avena, oriza &c; in Politico si sanguine purpurasc, securibus, acinacibus, soleis, sagittis, cornibus horrescit; si Cæruleus sit, libros, calamos, epomides, spheras exhibet; si Niveus annulis, sertis, tæniis nitet; si Fuscus, rotis, ligonibus, uncis emicat. Summates enim orbem stemmatum condere molientes, ad eos sese campos reflectebant, in quibus auream quis fibulam emeritus esset. Et ita si fortè in pulvere scholastico inclaruit, stemma eidem in campo cæruleo conferebant, vel quod hyacinthinis Superum tentoriis contéplandis deditũ observarent, vel etiã quod lividas manus, si nõ tergum identidem domum retulisset.

Charaneur in Chat al. gloria mundi

Rursus si alter in campo Martio natales illustriores merebatur, imagines illi, magnanimitatis ipsius indi-

indices in sanguineo campo statuebant. Quod si domi in Oeconomia impigrè desudasset; eamque haud vulgari administrasset solertiâ, mores illius virtutesque in campo fusco, ac fuliginoso nobilitarunt. Denique si qui fidelitatem suam Domino suo præ cæteris præstitissent, ob candidos innocentesque mores, in campo niveo, annulis, armillisque, aut fibulis aureis donabant.

In his campis, quam impigro labore, sumptu, ac sæpe numero cum dispendio vitæ nonnulli seminent, desudent, atterantur, compertissimum est. Sed numquid semper fructus respondet labori? Numquid semper triticum ex his legitur? Lustremus paululum campos singulos, & excutiamus.

§ I.

Campus Palladius lustratur.

II. Primum sese mihi offert Campus curæ meæ ex parte commendatus scolasticus, seu Literaturæ. Novi hunc campum perquam probo, & electo identidem semine, à summo maximoque Patrefamilias Deo donatum fuisse. Scientia enim germen quodpiam divinum est, cœlo, non terris prognatum. *Omnis*, inquit Ecclesiasticus, *Sapientia à Domino Deo est*; sive illa quæ inservit usibus humanis, sive illa, quam speculativam indigitamus, sive sacra, sive profana desursum est, descendens à Domino Deo nostro. Ab illo bonorum omnium diribitore, (teste S. Paulo) *Alii datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*

Sapientia cœlitus dispensatur

Eccl. 11. v. 2.

1. Cor. 12. v. 8.

Quin & ab ipsa increata Sapientia disseminatum est hoc semen, de quo ipsamet testatur, quod *aliud cecidit in terram bonam, & tulit fructum impatientia.*

Quis ex tali semente sibi non occinat messem uberrimam obventuram? Quis non crederet egerminaturas fertilissimas virtutum spicas? Certum enim est, semen Doctrinæ eô imprimis seri intuitu, ut subinde manipuli prudentiæ, justitiæ, discretionis colligantur.

Vulgo pueri solennissimam vobis jactatis paræmiam.

Das papier ist mein acker/ darumb bin ich so wacker. die feder ist mein flug / darumb bin ich so klug der dintt ist mein samen / damit schreib ich den nahmen.

Ager studiosorum

Ego autem ajo, Campus vester princeps est mens vestra, quæ vobis excolenda est studio impigerrimo ac interrupto, ut tandem in novale recipiendis, ac proferendis fructibus aptissimum evadat. Semen est doctrina, qua sacra, qua profana, toties in hunc Campum jactitata; Aratrum profunda exactaque explicatio; Occa iteratæ repititiones; Jugum, quô hæc omnia trahantur, intensum proficiendi desiderium, Aura secundissima est bona conscientia, in quam solam intrat Spiritus Sapientiæ. Si hæc cuncta in unum conveniant, qui fieri

potest, quin fructus excrescat, quin ager si non triticum defœcatæ sapientiæ minimum avenam popularis proferat scientiæ. Quî fieri potest, ut quis declinet virgam, & non una declinet vitium, & infernum; ut conjuget verba, & non virtutes; ut calleat Emmanuelem, & non unà infixum habeat nobiscum Deum; ut sit Orator apud homines, & Sigalion apud Deum? &c.

III. Certum item est, quo quis doctior, eo profundius turpitudinem vitiorum perspiciat, virtutisque decus intellectu assequatur. Candelabrum enim quodpiam lumine coruscum doctrina est, quod tenebras discutiat, coloresque animet. Speculum est, in quo futura juxta, ac præterita clarissimè cernimus; nosque quod caput est, ejus beneficio cognoscimus, cœlũ est, quo hominis animus, perinde ac sideribus illustratur; ager est, omnis generis fundens fruges virtutum, &c. Numquid ergo doctrinâ effulgente non effugabuntur ignorantiæ, immo & nequitiæ caligines? Numquid planum iter, expeditumque non patebit contemplantibus perinde ac in speculo præsentia, præterita, futura? Numquid mera sidera errantia, aut fictitii Hercules, ementiti Ganymedes in eo cælo exorientur? Numquid ager hic si probe cultus fuerit, urticas, loliumque damnandâ fertilitate profundet? Numquid in intellectu dignè illustrato voluntas Cimmeriis palpitabit in tenebris? Facultates enim appetitivæ sequuntur apprehensivas, nec facile ejusdem imperiis, aut luminibus obluctari queunt. Consequens itaque est, ut quantum quisque proficit in scientiis, tantum itidem in vera sapientia, virtutibusque progrediatur.

IV. Sed quid video, etiam hic lappæ proserpunt, ereptant portulacæ, & suis lolium provehitur incrementis. Evenit id campo scholastico sæpiusculè, quod elementari. Invenitur in hoc lolium prope gemellum siligini, aut speltæ, intus prorsus vacuum. Invenitur itidem stipula frumenti optimi supra cœteras spicas sese attollens, verum cerebro farinæ destituta. Invenitur tertium genuinum ipsum lolium, inter sata optima prognatum, e adem opprimens & offocans. *studia degenerant in vitia*

Æqua omnino ratio est ludi, seu Agri palladici; videre est in eodem personatos quospiam culmos, speciem scientiæ præseferentes, sed ipsa veritate destitutos.

Antiquitus apud Latios virtus maritata scientiæ indigitabatur *Conscientia*, quod simul jugata virtus dictamini rationis, seu innatæ inveniretur scientiæ. Subinde virtute emigrante mansit *scientia* sola, eaque speculativa, ac mundana. Tandem & hac evanescente, succesere *Entia* rationis Conperii t, periit *Sci*, mansere *Entia* sola. *Ex scientia sola entia superstant*

V. Typum desumere fas ex Salomone Rege quondam Sapientissimo. Profitetur ipsemet de se, quod sapientia

sapientia in illis deliciis, luxuque perseveraverit cum eo: *Sapientia quoque perseveravit mecum* Sed quænam illa mi Salomon? An illa florida, & præstans animi dos; An vitio deformatum, speciosumque cadaver? Non illa utique, sed ista in solo judicio speculativo, ac contemplatione futili consistens; & malitiæ atque dedecori, non virtuti modestiæque subserviens. Manſit in eo sapientia divinitus infusa, sed decolor, & emortua, quæ perditissimam illius duntaxat conscientiam redargueret.

Eccli.1.v.8.

In eadem vestigia non pauci devolvuntur, qui cum sint nonnulla ingenii luce præditi, de virtutibus excellenter disserant, bonæ vitæ, sempiternæque felicitatis viam aliis demonstrent, ipsi tamen mente abusi in voluntariam prope proruunt perniciem.

Scientiarū abusus.

VI. Alios arbitrari est, qui perinde ac stipula cassa ubi paululum labra fonte proluere caballino insipientis sapientiæ typhô screpent, cathedras sublimes mera inanitate pleni occupent. Quid his dicam, quam quod mihi evenit. Vidi ego, idque non semel græculos, coturniceſque colophoni ipsius basilicæ, atque adeo Cruci ipsi insidere, & dixi: id plane pro vobis mei Graculi, an non æquius, digniusque, ut ibi Aquilæ morentur ac nidulentur. Vidi passeres in ipso templo sibi tentoria sua concinnare; & revocavi mihi Psalten occinentem: *Etenim passer invenit sibi domum*; dixique rursum: plane pro vobis mei passeres hoc templum, quemadmodum pro anseribus cœlum conditum est. Nonne decentius foret, ut Philomelæ hospitarentur in æde divina, aut turtures, & alaudæ, quam ut passeres altaria occupent. Valerent illæ pro choro, non item isti; nonne passeri quadraret hara potius, quam ara?

Psal.83.4.

VII. Vidi alios è Palladis castris exautoratos, quos ominabar siculo Polyphemo oculo prudentiæ fore cognatos, Germanosque, in consessu sapientum ita versari, ut de ipsis merito jactaretur; habere eos oculum cœno quopiam obrutum.

Deum bonum unde hæc zizania? Non aliunde profecto, quam quod dormientibus hominibus inimicus homo superseminavetit zizania. Dormiunt parentes non tam somno corporis, quam incuria, & torpore, quia teste S. Augustino, & experientiâ, quum filios suos in scholam mittunt, neutiquam iis inculcant virtutem, nec dicunt: Fili mi *disce* litteras, ut habeas unde legere possis Codices sacros; disce literas, ut sis ecclesiæ utilis, aut Reipublicæ. Sed quid? *Disce fili mi literas, ut sis homr, hoc est eminens inter homines, illustris, conspicuus.* Non virtutis, aut animæ, sed pompæ, aut fructus ratio in intentionibus eorum triumphat, non veram, solidamque, sed vanam, futilemque aucupantur scientiam.

S. Aug. lib. de discip. Christ c.12.

Dormiunt forsitan & Didascali, qui fines siniſtros sibi proponunt,

aut

aut minus scitè, sanctèque informant. Dormiunt ultro sponte suâ discipuli, qui nos ad serium profectum in studijs virtutemque evigilant, nec in alio sagaces esse adnituntur, quam ut perpetrent mala. His profectò præstaret, ut omnis illa eruditio, vel veriùs eruditionis pompa evaneſceret, quod contigisse nonnullis scribitur; quàm ut cum scientia sua in tenebras exteriores protrudantur.

§. II.

Zizania in Campo Purpureo ventilantur,

VIII. Progredior ad Campum purpureum, id est Equitum. Numquid in hoc bonum unquam semen defuit? Quid sunt heroica Majorum facinora? quid virtus? quid magnanimitas? quid mortes ipsorum pro patriæ incolumitate, pro fide, pro religione obitæ? præterquam sementis optima; ex qua ad imitationem eorum nepotes exurgere par esset. Jasonem aurei velleris prædatorem comminiscuntur Poëtæ, interempti draconis dentes consilio Medeæ in campo Colchico seminasse, ex quibus hastrata illico prognata acies emersit,

Nobilitatis Encomium

E semine dentium
Bellator jaculis campus inhorruit.

Horat.

Et sanguis nobilium, quid est nisi ager Colchicus, in quo ex ipsis serpentis avernalis dentatis assultibus virtutem masculam exacui, animosque heroicos proritari æquissimum foret; ad glorioſi certaminis palmas exaggerandas. Ipsa enim Nobilitas, ut Majorum ceris illustrat, ita virtute sua ad honesta concitat, ac necessitate quadam nepotes, ne ab illorum probitate degenerent, constringit. Non enim datur nobili Patri palma, sed cursui; & plerumque nobilitas carnis ignobilitatem eliminat mentis.

Nobilitatis vituperia

IX. Verùm & huic sementi quanta sunt immixta Zizania? Quot fertilissimis germinibus; idipsum sanguini evenit, ut identidem in monstra degeneret; & clarissimos atavos infami dehonestet inertia. O quoties hæredes nominis in virtutis colle hærent, Majorumque fastos nonnisi fastu exaggerant. Quo antiquior est prosapia, eò plerumque laxiùs deflectit ad vitia. Quò Majorum longior umbra, eò inertes ignominioſiùs delitescunt Nepotes. Quò insignioribus potiti virtutum instrumentis, eò scelera architectantur insolentiùs. Vos appello ædes sumptuosissimæ; aulæis, ac emblematis Avorum illustratæ famosissimis; vos patrimonia opulenta à Prædecessoribus transmissa, vos thalamos auro argentoque rutilantes appello: Dicite quot in vobis flagitia? quot per vos scelera patrantur? quot vobis testibus, ac intuentibus dedecora committuntur? E Tripode profectò est, quod cecinit Horatius.

Hor.

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox datura
Progeniem vitioſiorem

X. Et hæc quæso unde zizania? Unde? Reverà, quod dormientibus homi-

nibus

nibus inimicus homo illa ſubſeminaverit. Ite quæſo viſite aulas, perſpicite palatia, luſtrate vigilias, in quo eæ verſentur ? In hoc ſanè, ut ſi filiolus eſt infans ab ipſis crepundijs criſtas erigat, humeros jam in hanc, jam in aliam partem torqueat, curioſè ſepulchra ac cadavera Majorum excutiat, emortuos cineres jactiteti-rarum virus in alios evomendum, imbibat, aleam tractare, chartulas luſorias miſcere, aliaque ludicra verſare calleat. Sin autem filiola ; ut meretricio quodam luxu veſtium pompam in ſcenam explicet ; ceruſſâ, minioque formam ementiatur, cantilenis obſcœnis aſſueſcat, lubricare in ſaltum pedes addiſcat, conſiliario ſpeculo unâ, alteravè hora utatur ; aliiſque ſimilibus faſcinis imbuatur. Et ubi manent myſteria, fundamentaque fidei ? ubi pietas teneris inſtillanda mentibus? ubi timor Dei illis identidem incutiendus ? O peremptores, non parentes! ô equiſones non Chirones! Nonne hoc eſt ſuperſeminare naturæ, tanquam agro optimo Zizania ? Nonne hoc eſt evellere fibras probatiſſimas, ſubſtitutis deterrimis, ac perverſiſſimis ? Nonne hoc eſt illuſtriſſimis ceris fuliginem inducere. Quid igitur mirum ; quod filii Heroum noxæ, quod nihil patrium citra nomen poſſideant, quod ætas parentum pejor avis ferat nepotes nequiores ? Si tu mi Pater intendis intueri germanum Avi nepotem, à teneris ad amuſſim virtutum efformare ſtude. Eò collima, ut appareat id in herba, quod in flore, meſſeque colligere eſt animus. Non viſurus eſt Autumnus fructum, cui ver haud prætulit florem. Si tu item mea mater filiam geſtis nanciſci ſanctam, piam, Deum timentem, immulge ab ipſa geneſi virtutis candorem, puritatem conſcientiæ, ſaporem, dulcedinemque devotionis. Si te capream eidem præſtiteris, nanciſceris filiam ſaltatricem; ſi hybridam, latrantem, infeſtantemque alios, ſi porcam ſordidam, ac luxurioſam. Cum lacte enim vel virtutis amor, vel odium inſtillatur; & quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu.

§. III.

Campus Nigellus diſcutitur.

XI Ab hoc Campo ad fulgineum deflectamus. In hoc forſitan ſterileſcit lolium, exuberat triticum. Fuere profectô tempora illa, in quibus inter cives noſtrates ad delicias uſque efflorelceret ſinceritas, confidentia, amor mutuus. Mallebant perdere aurum, quam verbo non ſtare ſemel prolato. Fuit illa æſtas, in qua Pax, & Concordia aureis fluctuabat ariſtis, in qua cor unum, & anima una ; in qua plumbea, aut coriacea cudebatur moneta, ſed aurei formabantur homines. Fuit ætas in qua non tam excolebatur campus elementaris, quam anima ſpiritualis. Noverant ab Ariſtippo, quantumvis ethnico, calumniatori reſponſum: *Melius eſt agrum propter me, quam me propter agrum perire.* Quippe intuitu ille mei, non verò ego ipſius reſpectu conditus ſum.

tempora præterita meliora

Plut. in Vita

Sterileſcat ille dummodo animus non ſit effœtus. Præſtat virtutum frugibus, quam frumentorum divitem eſſe. Fuit ille Autumnus, in quo à talibus arvis legebantur fructus germanæ pietatis, religioniſque. Erigite oculos & arbitramini Baſilicas, monaſteria, pandochia, monumenta antiquitatis, & dicite. quidnam ea ſint aliud, præterquam luculenta teſtimonia eorum in Deum pietatis? Operabantur illi cibum non tantum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Moliebantur ædes in quibus non tam ſeri Nepotes, quam Numina hoſpitarentur. Indignum arbitrabantur accuratiore curâ ſibimet; quam ſuperis deſervire.

Quænam autem hac temporum calamitate meſſis cernitur? Quid dico meſſis? quot adulterina ſemina? quot peſtes ſegetum hic ſeſe ultro ingerunt oculis? Evanuit illa ſinceritas Germana, inque purgamenta fraudum, offuciarumque abiit. Degeneravit illa pietas ſolidiſſima, inque perſonatum commutata eſt; & illa rerum cœleſtium ſtudia migravere in officinas vanitatum terreſtrium. Infelix lolium & ſteriles ubivis dominantur avenæ.

Incuria ſalutis

XII. Unde & hæc zizania? Non aliunde, quam quia indormiunt ſaluti propriæ, invigilantque in perditionem. Parentes, vel magiſtri opificiorum ſtudioſiſſimi ſunt in edocendis regulis, inventionibuſque ſuarum artium, remiſſi in inſtruendis illis perſe, vel per alios in rebus animæ. Docent diſcipulos, aut filios ab ipſis prope crepundiis præcepta artis ſuæ, non item præcepta legis divinæ; docent illos artem, in qua nunquam quieſcant in hac vita; non item illam, qua adjuvante ſemper ferientur in altera vita. Ille v. g. pileorum artifex docet filium, vel diſcipulum, totum ſtudium, ſalemque ſapientiæ effundere in pileum, magiſque ſollicitum eſſe de capite alieno, quam de proprio. Ille ſtatuarius in multam ſeſe demittit ſedulitatem; ut ex ligno rudi efformet Mercurium; ut verò diſcipulum ſanctiorem, modeſtioremque effingat, vix penſi habet. Ille figulus tornat vaſcula plurima, quibus aut oleum infundatur, aut flores imponantur, ut verò filius ſit vas ejuſmodi, eidemque oleum inſtilletur aut flores virtutum inſerantur, ſuſque deque habet. Ille mercator &c.

Utprimum verò à parentum ſuorum oculo, aut opificii tyrocinio emancipati ſunt, tanquam aurea libertatis donati Bulla, multò licentioſius graſſantur, ſocietates contagioſas contrahunt, collo contumaci alios deſpuunt; & ſi vel verbulô caſtigentur, ipſos ſuos ſuperiores ſulphure ſcommatum rigare haud verentur. Vel ſi fortè peregrinati alibi fuerint; cum mantica, qua miſeriis, & nuditate, qua vitiis, praviſque aſſuetudinibus refertiſſima repedant. &c. Hinc irrequietas Sathanâ agente excubias in eorum pernitiem, non ſuperſeminatur duntaxat, ſed & irradicatur vitium, cum ætate adoleſcit, & ſæpe nonniſi

Conſuetudo prava

cum

cum senectute emoritur.

§. IV.

In Campo Candido Codetum exhibetur.

XIII. Supereſt campus niveus, diſpenſatus Circumpedaneis ob eorum inſignem fidelitatem. Hunc ſi fortè Sapiens hac tēporū periodo, ſuô luſtraret oculô, credo nec quicquā aliud, quā quod quondam de quopiam alio egurgitavit, relaturum. *Per agrum pigri hominis tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt ſuperficiem ſpinæ.* Quid enim ſunt querelæ illæ, exoneratæque in ipſum dominium perjuria? Quid contumax ad imperia Patrisfamilias voluntas? Quid oſcitans ille, vel etiam fraudulentus animus? quam purgamenta, vitiumque tritici deſideratiſſimi? Et hæc nihilominus tanta cum ubertate quovis prope in dominio luxuriant, ut ſynonyma prope eſſe videantur ſervus & nequam; ſervus & contumax, ſervus & infidelis.

Prov. 24. v. 30.

Servorum vitia.

XIV. Revera non citra fundamentum jam olim inquiſiverat Dominus: *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens?* Quis ille eſt, qui proſpiciens damnum quodpiam emergens domino, & germanè præcaveat? Quis eſt, qui prævidet periculum, & moneat? Quis eſt, qui non ultro incuriâ ſuâ inferat? vel deſidiâ ſuâ non avertat? *Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens?* Quis ita domini ſui commodo, perinde ac proprio invigilat? Quis ſibi religioni ducit, frigidè, remiſſeque manum operi admovere, horas aliquot indies otio tranſigere, pecora negligere? *Quis putas eſt fidelis ſervus, & prudens?* Eſt ne is qui tenuioris fortunæ colono famulatur? At hi non multum curant, tametſi ipſe paterfamilias diſpereat, dummodo ſibimet bene ſit. Eſtne is, qui diviti inſervit? Et hi ſæpiuſcule invigilant, quâ ratione res ſuas augeant, dominique accidant. Eſtne vernaculus, aut ſerva? Quiſquis ſit, rarus eſt, & auro appretiandus.

Matth. 24. v. 45. Luc. 12 v. 42.

XV. Quæſivit olim Salomon Mulierem fortem in extremis orbis limitibus. Et apud nos jam eo res devenit, ut ſervi aliunde quærendi & ſubarrhandi ſint, barbara enim, & mediis in ſilvis inter belluas nata, educataque mancipia, ſerpentumque paſta aconito fideliora identidem inveniuntur, quem Chriſtianorum. Præſtat prô pudor ſæpe habere ſervum paganum, vel heterodoxum, quam Orthodoxum.

ſervus raro bonus

Unde hæc Zizania? unde tot vitia? Quid percontor? Inde ſanè quod dormiant homines, quod patresfamilias illorum ſaluti conſulere negligant. Ad labores urgentur, non pro feſtis tantum ſed & ſacratioribus Calendis; ita ut à divino famulitio ſæpius retardentur, immo vix tempus illis ſuppetat, (ut vulgo ajunt) ſe cruce muniendi. Quomodo ergo exereſcet, egerminabitque virtus ſublatâ pietate, quæ omnis virtutis fundamentum eſt? Quomodo aditus

inimico homini, id est Sathanæ non laxabitur, Deo prorsus excluso, aut alienato? Quâ ratione purgamenta tritici non differet, advocatus imprimis tot imprecationibus, quâ dominorum, quâ famulorum?

Dei longanimitas

XXI. Connivet interea ad tantam vitiorum luxuriem cœlestis Paterfamilias, nec extirpare ob discrimen impendens tritico indulget. *Sinite*, ait, *utraque crescere usque ad messem.* Dissimulat noxam, differtque pœnam benignissimum Numen, & patientiæ solatium dilatione ultionis præstolatur. Per inducias suæ justitiæ emolumentum expectat, emendationem iniqui, correptionem justi. Ideo enim omnis iniquus esse permittitur, ut aut ipse corrigatur, aut per eum bonus exerceatur. Non est sterilis Deo patientia sua, tolerat Deus malos, ut vel fatigatione sui illos voluptatum, scelerumque suorum tædeat; vel ut justi periculo malignitatis in alieno capite facto, felicissimè cauti, aut resiliant à vitiis in imagine sua damnatis, aut properent ad virtutem, provocati deformitate, injuriisque depravatorum. Obstetricantur enim vel inviti mali bonis, dum eos exacerbant, ampliantes patientiam, ampliſſimam meritorum penum. Nec secus quàm paleæ in aurifeis camino aureo metallo, aut spinæ rosetæ, adversitates commodant justo.

Attamen utut divina Nemesis indulgeat, hora misericordiæ ac longanimitatis deproperat, justitiæque approximat, idque hoc graviore manu, quo graviore pede.

Quocirca cum Hymnographo adhortor; *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Exinanite Domini studiosi, literatique omnes lolium inutilium, ac vanissimarum intentionum vestrarum, herbam licentiæ, ac petulantiæ, purgamenta desidiæ ac socordiæ. Exinanite Domini Nobiles animos degeneres, adque heroicarum virtutum messem proferendam enitimini. Exinanite Patresfamilias simultates, technas, machinationes, nimiam rerum temporalium sollicitudinem, sinceritatisque, ac veræ pietatis novalia serite. Exinanite famuli, famulæque infidelitatem, murmurationes, obtrectationes, torporem, malevolentiam, & spicas statui vestro consentaneas proferre satagite. Exinanite universi, quia ecce jamjam Libitina falcem exacuit, intentura certò, nisi præveniamus. Exinanite, quoniam breve momentum supereſt, quo mittet filius hominis, summus inquam Pater familias Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, seu de campo ejus omnia Zizania, mittentes ea ligata in fasciculos, in caminum ignis ardentis, triticum in horrea cœli congregantes. Exinanite, ne ignis in conspectu ejus exardesca t, devoretque terram vestram cum semine suo. Quod à nobis piissimus clementissimusque Assertor noster virtute passionis, ac mortis suæ avertere misericordissimè dignetur.

Psal. 136. v. 7

Amen

CON-

CONCIO XI.

IN DOMINICA VI. POST EPIPH.

Fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Matt. 13.

ARGUMENTUM.

Nidus tutissimus.

HOminem nequam ac versipellem vernaculô idiomate vulgo Aviculam indigitamus. Aud. An quod alienis pennis, perinde ac illa Æsopi cornicula sese exornet; An quod non tam Christum, quàm cristampræferat, meliore Calipino Christianus, seu Cristatus, quam Christianus nuncupandus? An quod non tam avis, ataviſque, quam avibus inconstantissimis edictus videatur? An alia de causa, incompertum mihi est. Id certum, quod alii pavonum instar caudæ syrmate expansô intumescant; alii veluti accipitres columbas persequantur; ut hirundines obstrepant; ut struthiones gulæ mancipentur; ut noctuæ perpetuis tenebris implicetur.

Homo vafer avicula cur dicatur

Ego, absit verbo injuria, omnes omnino mortales Aves enuntio. Non illas Platonicas implumes, sed probè plumatas, ac vestitas. Nemo enim facile est, quin vel in anima virtutibus, vel in corpore adventitiis fortunæ pennis plumescat. Nemo est qui vel cum Turture non ingemiscat, vel cum Corvo, cras, cras non reciprocet, vel cum Bubone flebiles, vel cum Alauda festivas non occinat Odas. Nemo ex fidelibus, qui subinde animum ad cœlestia à terrenis non attollat; nemo, qui cantu pio, ac devoto non delectetur, & cum Davide occinat: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ*, nemo facilè, qui non præsentiat tempora novissima. Nemo, qui desideriorum suorum alis jam huc, jam illuc, sursum deorsum circumvolet, vel escam quæsiturus, vel de nidulo in quo securè quiescat prospecturus. Ubinam verò, & in qua arbore id fieri queat commodissimè, dum ego peroro, vos Aviculæ conticescite.

Homines Aves

§. I.

In Arbore vastissima Nabuchodonosoris periculosè nidificatur.

II. Primâ fronte in silva SS. Codicis occurrit mihi Arbor procera, & vasta, à Nabuchodonosore *visa. Quippe proceritas ejus cœlos tangebat* & aspectus illius usque ad terminos universæ terræ. *Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea; subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli.* Arbor hæc neutiquam naturalis, sed mystica est, potentiæ, ac prosperitatis humanæ Hierogliphicum. Hæc enim identidem latissimè propagines suas in tertiam, quartamque generationem diffundit, hæc homunciones è trivio vilissimos nonnunquam sublimissimè extollit; hæc indies majores fundos occupat, sub hac populantur belluæ, in hac nidulantur ipsæ volucres cœli; eam quâ probi, quâ improbi frequentant, ejusque patrocinij umbræ se submittunt; illam adorant, ac venerantur; illi vovent sæcula, & annorum myriades apprecantur. Quô eventu?

Arbor Nabuthi quid signet

Dan. 4. v. 8.

Colligite ex eo, quod subdit sacer textus: *Ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit; clamavit fortiter & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus.* Ex toto illius corpore non supersit pars ulla; ex tota substantia, non inveniatur accidens unum; ex toto ente, fiat non ens, extirpentur radices ejus, præcidantur rami ejus, decutiantur folia ejus, & fructus ejus consummentur. Eò devenit arbor illa excelsa, orbis universi miraculum, bestiarum, ac volucrum umbraculum, receptaculumque.

ibid. v. 10 11

Idem omnino exitus imminet iis' qui in divitijs, ac possessionibus hujus mundi nidulantur. Cum arboribus in eo participant, ut vel ipsa suâ fœcunditate offocentur; vel cum florent, fructificant, umbrâ suâ hilarant, pulchritudine cunctos inescant, excidio damnentur. Nulla arbor in silva hujus mundi hodiernâ luce viget, quæ crastinâ sub ictum cadere nequeat; nullus nidus tam firmiter elaboratus; quin deturbari queat.

Prosperitas mundi caduca

III. Regustate paululum, ubinam sint potentes illi à sæculo, qui in ipsis lignis Sethim immortalibus nidos struere videbantur. Cogitate ubi illi monarchæ orbis prope universi, ubi Crœsi, Crassi, Augusti? Quot familiæ opulentissimæ periêre, quorum & nomina cineribus obliterata sunt.

Occurrat inter alios ille famatus *in sacris* paginis templi Hierosolymitani

Sobria præsumptio

mitani Præpositus Sobna, Mausoleum hic sibi magnificum extruxerat, eique in mente sua Epigraphen illud Jobi adjecit, *in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Evolvetur sæculum post sæculum, & ego in memoria posterorum perennabo; exque ipsis renascar cineribus. Nidus videbatur firmus, securus, etsi non amomo, aut casiâ virtutum refertus, certè elationis ac præsumptionis corticibus incrustatus. Quid verò inde?

Iob.29.v.18.

Is.22.v.16. 17.

Audite oraculum: *Quis tu hic, aut quasi quis hic.* Quid tibi imaginaris, aut quæ tibi somnia fingis? *Ecce dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus,* Vidisti-ne tu Domine Præposite gallum in atrio domus tuæ, aut villicæ tuæ cum gallina sua, & quandoque etiam pullis ruspari in fimeto, aut scalpere terram unguibus? Vidisti credo. Nonne itidem observasti eundem omnis periculi securum à matrefamilias capi, in corbem imponi, & sæpe cum tota sua familia alio transferri, aut jugulari? Vidisti hæc? Ita sane. Typum ergo habeto sortis tibi imminentis: *Ecce dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus.* Dum tu coacervas, & multiplicas non tua, dum ruspari in agello tuo, dum nidificas, venient hostes, & transferent te, & mittent te in terram latam, dissipantes nidum tuum, & exscindentes fruteta tua, in quibus eundem solidasti.

IV. Occurrat Ezechias Hebræorum Toparcha. Hic ex Regis Babiloniæ legatione, eam hausit lætitiam ut elatus animo, perinde acsi affluere fontibus aureis uberrimæ felicitatis, ostenderit illi Barbaro, in nidulo suo domum aromatum, aurum, argentum, pigmenta varia, supellectilem pretiosam, armamentarium suum, quidquid demum in gaza sua habebat absconditum. Quid verò inde? Irrisit tanquam fatui hominis levitatem Deus, & vatem misit ad illum grandi voce tonantem; ac denuntiantem futurum aliquando tempus, quo omnia illa ad pompam ostentata, cum nidulo ipsius, ac pullis in Babylonem asportarentur. *Ecce dies venient, & auferent omnia, quæ sunt in domo tua, & de filiis tuis, qui egredientur ex te, tollentur, & erunt Enuchi in palatio Regis Babyloniorum.* Sicut gallus gallinaceus asportari solet &c.

Divitiæ aliorum spolia

Reg.20.v.17 18.

V. Occurrant alii opulentissimi quique, qui ante vos in hoc eodem loco ædificarunt; in iisdem possessionibus nidulabantur, ex eodem agello granum colligebant, ecce avolarunt, & si ignoratis quorsum, disquirite cum Baruch Propheta. *Vbi sunt qui argentum thesaurisarunt, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis ipsorum.* Et respondet ipse oraculo Numinis: *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alii loco eorum surrexerunt.* Corpus ipsorum quod arboris instar terrenis possessio-

Divitiū exitus

Baruch.3.v 18.19.

nibus

nibus irradicatum erat, securi Libitinæ excisum est; anima; quæ avis in morem in eo nidulabatur fugata est ad inferos, cum Epulone sortem suam habitura. *Exterminati sunt* &c. Intendebant illæ quidem alas librare in æthera, sed quia vel pulvere terrenorum eæ studiorum aggravatæ erant, vel viscô desideriorum inordinatorum conglutinatæ, vel etiam lachrymis, si non sanguine oppressorum imbutæ, ad barathrum Erebi prolapsæ sunt. *Exterminati sunt*, & alii ignoti], peregrini, alienigenæ loco eorum surrexerunt. Hæc sors Nabuchodonosoris, hic exitus aliorum in eadem quercu nidulantium, & de possessionibus suis per vim, & omnes nefas alios exigentium, *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Si fuissent mediocri fortunâ contenti, etiamnum duraret genus, ac prosapia ipsorum; sed quoniam nimium impinguati, ac dilatati; etiam memoria ipsorum obliterata est; durante perpetuâ simplicium, & agrestium propagine. Nos tantô admoniti periculô, hanc ocius deseramus, & ad vicinam pennas libremus arborem.

§ II.

Ficus itidem dissuadetur.

VI. Ficus ea est, sub qua meridiari ac nidulari Judæis solemnissimum erat. Sunt & ipsæ multis in locis latissimæ, ac florentissimæ.

Strabo, Plin. Solin. Indicam omnium arborum maximam perhibent Hystoriographi, quæ ad eam altitudinem verticem surrigit ut ejus umbra, per duo sese stadia, diffundat. Ramorum autem latitudo tanta, ut in ea quadringenti equites commodè pabulari queant. Foliorum amplitudo, quanta militaris clipei, vel Amazoniæ peltæ. Fructus verò permodicus, & rarus.

Voluptas ficus S. Aug. h. l. S. Augustinus explanans Isaiam per hanc arborem intelligit vitam voluptuosam: *Ficus*, ait, *propter dulcedinem fructus felicttatem hujus mundi designat; & requiescunt sub ficu, qui tranquillitate & dulcedine hujus felicitatis fruuntur.* Illi nidificant in ficu, qui voluptatibus ac deliciis hujus mundi mancipantur.

VII. Verum quamdiu, quâ securitate quo successu? Haud aliô, quam in priore vel etiam deteriore. Voluptas enim omnis brevis est, ac temporaria, dolor autem perpetuus, & fine carens. Momentaneum est, quod delectat, æternum quod cruciat.

Amos. 6. v. 4. 5. Væ, vaticinatur Amos, *qui dormitis in lectis eburneis & lascivitis in stratis vestris, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti.* Væ qui dormitis in lectis, quia eæ vos plumæ nõ evolare sed jacere cogent, eritisque cœlo eò indigniores, quò densius plumis involuti. Neque enim plumescimus in pulvino, sed deplumamur; quique in totum aligeri devolavimus, inde implumes sæpius exilimus. *Voluptas transitoria* Væ qui symposia celebratis, & seclusis spiritualibus solatiis, carnalibus immersi estis voluptatibus. Causam subdit. *Quia nunc migrabunt in capite transmigrantium, & auferetur factio lascivientium.*

nos-

Noſtis probè, quid ſit factio Suetica, Hollandica, Danica: conſpirant in ea capita præcipua ad ſui ſtatus rationes promovendas. Hunc in modum helluones illi, ac paraſitantes animæ convenerant Jeroſolymis, (ut nunc moris apud nos,) id unum verſantes, quâ ratione, & viâ, gaudia ſua interruptô ordine propagarent. Quid verô ad ea Dominus. *Nunc migrabunt*, &c. Hoc proximô diluculô ipſi pertranſibunt, & tota illa factio, omnes conceptus ipſorum habiti, de voluptuoſa vita continuanda ad litus æternitatis alliſi, in ſpumas abibunt, S. Chriſoſtomus legit: *Quia tanquam ſtantia arbitrati ſunt, & non tanquam fugientia, hoc eſt avolantia, & nec ad momentum permanentia*; tantum non oſtendens, quod gutturis, & labiorum tenus eſt fruitio, & ultra non progreditur. Deſultoria enim ſunt omnia carnalia deſideria, & gaudia, antequam plenè adveniant, avolant.

S. Chriſoſt. loc. cit. in Gen.

VIII. Apud S. Lucam quæſitus Dominus de ſignis adventus ſui; *Quod ſignum adventus tui?* Reſpondit: *Ab arbore fici diſcite parabolam, cum jam ramus ejus tener fuerit, ſcitis quia prope eſt æſtas.* Quid hoc myſterii, quod ad hac arbore ſatius, quam ab alia proximi adventus deſumit parabolam? Nimirum quia nunquam certius, ac præſentius prognoſticum ruinæ, ac interitus apparet quam quod ex voluptatum effuſione deſumitur.

Luc. 13.

IX. S. Joannes Damaſcenus B. Joſaphato Indiarum Principi hanc adumbraturus arborem, ajebat in ſummitate ipſius modicum quid mellis à fucis, aut veſpis forſitan collectum fuiſſe, quod Sideratorum quiſpiam maleſanâ aviditate, ac ingluvie lanaberet, duobus interea muribus arborem arrodentibus, in præcipitium proximum plenum virulentiſſimis beſtiis devolvendum.

Barlaami Apologus

S. Io: Dam. in V. Barlaam

Quô ſymbolo edocere piiſſimum Juvenem intendebat, guttam non niſi mellis eſſe omnes mundi delitias, vitam arborem, murem candidum & atrum, diem ac noctem; ſenſim ſine ſenſu eandem admordentes; præcipitium, inferni periculum. Quantæ igitur fuerit amentiæ cum hoc ſiderato, in hac arbore jamjam ruitura nidulari? Quantâ veſaniâ, guttam mellis commutare cum cado fellis, & ob momentaneam voluptatulam, æternam ſibi concire lanienam.

§. III.

In Cedro nemo diu, & ſecurè hoſpitatur.

X. Evolemus & hinc ocius, & ad Cedros eminentiſſimas nos recipiamus. In his forſitan nidulari citra periculum poterimus. Præſtabit ſublimitas; quâ ſæpe ſuſtulit humilitas, ſecuritatem.

Credidiſſe id equidem, niſi contrarium experientia ipsâ Rex Sionis didiciſſet, edocuiſſetque. Ait enim: *Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut Cedros Libani, tranſivi, & ecce non erat, quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.* Quam cito me verti in partem alteram, tam facilè everſus eſt; quam properè, tranſii, tam celeriter evanuit; quam ſtudioſè cum quæſivi, tam difficulter inveni.

Dignitas male ſibi conſtans

Pſal. 36. v. 35.

Verum ubinam gentium, aut locorum, Regum sereniſſime eum quæſiviſti? Si abiit, aut aufugit, alicubi latere debet? Niſi omnino in nihilum redactus ſit, aliquo in loco exiſtere eſt neceſſe? Tranſivi pegaſo cogitationum mearum hunc mundum, & deveni ad alterum, & ecce non erat. Hic ſe Thraſones illi opulentos, ac potentes oſtentant in oculis hominum; ſed in ſublimiore curia exploduntur. Hic locum ampliſſimum, curules ſubſellia, dignitatum occupant; ibi locum non habent, quo figant pedem. *Quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.*

Exiſtimabam illum ex tanta majeſtate, & ſplendore hujus ſæculi, perinde ac Eliam, in æthereas ſubvectum ſedes, eſſedo quopiam triumphali; *& non eſt inventus locus ejus.* Non hæc eſt ſedes faſtuoſorum, aut multum ſibi ſapientium. Lege epigraphen ſedibus hiſce inſcriptum: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.* Virtutum curules hic non occupat, niſi heroicis ac facinoribus inclitus. Nec Principibus, aut Poteſtatibus ſociatur, ventris, ac vanæ gloriæ mancipium. Nec in Angelorum adoptantur Collegium emancipata ad quævis dedecora capita. Nec januam humilem, atque anguſtam ingredi queunt, arrogantia atque inſolentiâ prætumidi.

Pſal.100, v7.

Tranſivi ab æthereis ſedibus ad regna cathartica, & quæſivi eum, ſi fortè in balneis illis ſordes ſuas elueret, maculaſque expiaret. Sed fruſtra. *Nec eſt inventus locus ejus.* Hic intellexi mundari nævos minimos, quadrantes ultimos exolvi, non verò ſummas capitales; hic paleas vidi ſuccendi, ac ſtipulas, non trabes, aut ſtipites. *Non eſt inventus locus ejus.*

Quid ergo? Tranſivi, & quæſivi in ipſo inferno, fuſcos, deſperatoſque illos Æthiopes, percontatus ſum de illo, ſcrutatus ſum ipſum abditas inter latebras; mirum nec ibi *inventus eſt locus ejus.* Eſt ibi, ſed nec apparet. In tabula Geographica regna, ac provinciæ integræ depinguntur, aut excuduntur; ita tamen ut domus, palatia, & multa alia lateant. Æquatione compertum mihi eſt in ditione Averni eſſe locum ipſius, ſed uſque adeò exilem, & anguſtum, ut nec videatur. In hac valle miſeriarum Thraſones illi philacteria ſua dilatare queunt, non in illa; in hac poſſeſſiones poſſeſſionibus cumulare, non item in illa; in hac ſe magnificos, potentiſſimos, excellentiſſimos deprædicare, non in illa. Nulla ibi invenitur diſtinctio ordinum, aut officiorum, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Nulla lux effulget dignitatum, ubi Cimmeriæ cuncta tenent tenebræ; nullæ ibi divitiæ, ubi miſeria, fames, egeſtas, & longo ordine poſuere cubilia luctus. *Quæſivi eum &c.*

Impius nullo loco ſubſiſtit.

Dives exanimatus

Et quantumvis præferocem illum ibidem conſpicarer, ob nimiam metamorphoſim, ac cataſtrophen haud eum dignoſcerem. Eheu, quantum mutatus ab illo! Illa facies, quæ purpurâ, & ceruſſa pingebatur in delitiis, jam nigricat in tormentis. Illæ genæ vividæ, ac ſucci pleniſſimæ, jam totæ quantæ rugoſæ, & à vermibus

Superbus etiam in ſolio nigricat.

mibus corrosæ. Illa labia corallina, & oculi adamantini, illa frons alabastrina, jam tota versa est in cinerem, ac fuliginem. Minus inibi impius ab impio, quam in cripta quapiam, calvaria una ab alia dignoscitur. *Quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Psal. 14. v. 4. Quippe *ad nihilum redactus est, in conspectu ejus malignus.* Ad nihilum tota sustantia, quam hic possederat; horti, quos excoluerat; campi, quos seminaverat; pomaria, quæ plantaverat; palatia, quæ extruxerat, &c. Ad nihilum ipsemet redactus in fama, & aliis naturæ donis, inque omni eo quod est, ut nec quicquam sibi ultra, suisque præstare queat. Huc devenit nidus ipsius, huc Cedrus illa excelsa, ac vertice feriens sidera; idque momento prope temporis. *Transivi & ecce non erat.* Item & nos inanissimi homunciones, in hac struemus nidulos vanitate plenissimos? Non percellimur, ne ab aucupe Avernali illaqueemur, aut unà cum nido nostro in præcipitium abyssi æternæ protrudamur?

§. IV.

In arbore sinapis nidificandum

XI. Eja ergo assumite alas ferventissimorum desideriorum, assumite animos, & adhuc unum tentemus volatum. Quonam autem? Ad arborem sinapis hodierno Evangelio propositam.

Arbor hæc ut alias interpretationes mittam, teste D. Chrysologo, est ipsa arbor passionis Dominicæ. Ut enim dominus indicaret Evangelicam Philosophiam, in specie per ignominiam crucis contemptam, vi veritatis sensim ita invaliturum, ut totam terram occupet, hac parabula usus est. In hac arbore nidificandum nobis est, si ab Accipitre Tartareo, alijsque infestationibus securi esse gestimus. Nuspiam in sylvestrium arborum foraminibus, tam securè nidos suos construunt aviculæ, atque nos in vulneribus crucis Dominicæ. *In arbore crucis nidificandum*

XII. Subtili meditatione more suo S. Augustinus expendit causam, cujus ergo Notarius Domini Joannes Apostolus non scripserit militem lanceâ latus ejus trajecisse, aut transfixisse, sed illud aperuisse. *Lancea latus ejus aperuit.* Num illud fortè liber ille Apocalypticus clausus, & signatus erat, qui hoc stilo pandi, & explicari debuit? Num illud fons signatus, & obstructus, qui lanceâ relaxatus profudit largissimè sanguinem, & aquam. Num conclave quodpiam, quod lanceâ, perinde ac clavi reserandum erat? O crudele cor meum tibi hic ictus debebatur, cur te non opposuisti ad excipiendum illum, Cur vel nunc te oppilas Deo tuo? Cur pandis diabulo? Cur non contereris, & fontes lachrimarum profundis? Cur non hias latius ad enormitatem scelerum tuorum evulgandam? Audi, quod in tui solatium, præfatus antistes respondeat. *Vigilanti verbo usus est Evangelista, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostiū panderetur.* Apertum est latus Christi, quatenus nubis accessum, aditumque pius Dominus ad cor suum patefaceret *Latus Christi cur apertū dicitur*

ceret. Cor suum tanquam secretissimum cubiculum reseravit, ut in eo commoraremur, donec penitus mundati, digni sumus unà cum ipso in cor æterni Patris abduci. Admisit hoc vulnus Assertor noster, ut cum nos undique presserint hostes nostri; quum omni asylo destituemur, quum conclamatum prope fuerit de nobis; vitæ ac salutis janua nobis pateret. Intendebat nimirum, ut quod olim janua in latere arcæ paucis præstitit, id vulnus lateris ejus conferret universis. Ut contendamus intrare per angustam portam, angustam inquam vulnere, sed augustam munere. Etenim sive passer esse decreviſti solitarius, nuspiam convenientiorem nanciscēris locum, ad vitam abstractam, & contemplativam agendam, quam in foraminibus hujus arboris, in vulneribus Christi. Si columba es, inibi tibi patet locus ad nidificandum ad producendos fœtus tuos, ad fovendos, atque alendos. Si Turtur es, & castis calidisque suspirijs ad Deum anhelas, hic locus requietionis, ac consolationis tuæ. Si denique Erinaceus es, spinis peccatorum obsitus, huc intra, ut justificeris, siquidem Arbor hæc & Petra, & refugium Erinaceis. In his foraminibus *passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos, in his columba se tutatur, & secura circumvolitantem intuetur accipitrem*; ait mellifluus,

Vulnera Christi asylum

S. Bern. ser. 61. in Cant

Manut. in Apop. lib. 7. n. 35.

XIII. Memorabilis omnino est eventus in vita Xenocraris relatus, & proposito meo perquam accommodatus. Accipiter volatu vario, ac flexu, ad Chalcedonem insectabatur passerem, qui suis diffisus viribus, & unguibus hostis sui jam proximus, ad senatum sub sago confidentem advolans, Xenocratis in sinu resedit. Hic illius misertus, & ad Collegas conversus pro illo actutum peroravit. Æquum est ô viri profugum, ac supplicem protegere. Justum à rapaci vulture sese ad homines recipienti humanitatem exhibere. Vivat ergo beneficio nostro, qui perijsset insidijs alterius.

Tibi, tibi id dico anima mea, si te forte periculosiore aucupio Accipiter Tartareus infectatur, ut passerem illico dilaniandum, ecce senatum sacratissimum in Calvariæ monte sub crucis arbore congregatum, morientem scilicet pro te Assertorem, Joannem Notarium, Josephum Arimathæum, Nicodemum, alioſque de sepultura Domini consilia agitantes. Conjice te, si astutissimum, ac rapacissimum aucupem gestis evadere, in sacrum hunc consessum, confuge in sinum, immo in latus Salvatoris tui. *Nam ubi tuta, firmaque securitas, nisi in vulneribus Salvatoris*; loquor cum S. Bernardo. Tantò illic securior habitas, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremat mundus, premat corpus, diabolus insidietur, ne timeas quia in foraminibus Petræ secura es. Excellit omnem altitudinem mœnium hujus tabernaculi protectio. Exuperat omnium arcium, ac propugnaculorum robur, nidulus unus, in ijs foraminibus collocatus.

S. Bernard. ibid.

XIV. Hunc nidum ostendit B. Melch-

Vulnera Christi nidus

Melchtildi ipſe Dominus cum gravioribus capitis doloribus torqueretur, ne uſquam poſſet quieſcere. Vidit enim ipſum oſtendentem ſibi latus dexteræ, & dicentem ſibi: *Hac intra ut pauſes.* Moxque cum gaudio intravit, & viſum eſt ei tot cervicalia ſerica habere, quot ictus dolorum tunc ſenſit capiti ſuo advenire. Et ait Dominus: *Bombyces ſericum gerunt, & de me* ſcriptum eſt: *Ego ſum vermis & non homo*; hucuſque mihi in laboribus devotè ſervijſti, amodo in virtutum exercitijs exemplo meo placitis ſtudebis ſervire; & quæ tibi fuerunt importabilia, ego ea tecum feram. Hic nidus tuus de inceps ſit, hic quies, & refugium.

In Vita

Vulnera Chriſti in tormentis refrigerium

XV. Audiſtis identidem, vel etiam legiſtis intolerabiles cruciatus, ac lanienas, quibus SS. Dei Teſtes ſunt excarnificati, Audiſtis credo, ut Juſto Martyri, alijſque ignea caſſis impoſita; ut Pelagius articulatim diviſus, S. Laurentius & Nicephorus aſſati, S. Juliana & & Ephemia in pice, ac reſina vivæ frixæ, S. Victor in mola contritus, Euſtachius cum conſorte ſua Theopiſta, ac filijs in bovem candentem incluſus, &c. Audiſtis ut alios taceam, S. Cononem & S. Georgium pedibus clavis confixos, in curſum adactos; Audiſtis S. Triphonem in equuleo tortum, ferreis ungulis excarnificatum, clavis candentibus ad trabem in ſublime confixum, fuſtibus cæſum, facibus aduſtum. In his aliisque tormentis non modo fortiter rimantem viſcera lanceam, ſed & alacriter ſacrum è carne ſua intuebantur ebullire cruorem. *Vbinam tunc*, contatur Pater Mellitiſſimus, *Martyrum erat anima?* Nempe in tuto; *nempe in Petra, nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum.* In hoc aſylo, in hoc nidulo ridebant minas, ac tormenta carnificum, & quantò graviora illis inferebantur ſupplicia, tantò ſibi jucundius epulari videbantur. In hoc in tormentis relaxabant animum, relevabant dolores, & ſecuriſſimo in ipſo agone potiebantur refugio. Eò, eò invola fidelis anima in omni periculo, in omni tentatione, in omni agone, & in Crucifixo pone nidum, ſeu latibulum tuum. Quid foris per vana, & inutilia vagaris? Quid fruſtra, & cum diſpendio in quercu, ficu, Cedro nidularis? Recipe te ad hoc aſylum, ad vulnera non jam ſanguine, ſed bonitate, ac clementiâ manantia.

Ibid.

XVI. Abſcondere ſe juſſus Iſaias Vates in foſſa humo, etiam à facie placati Numinis; tu verò tutator te à facie irati, à vultu furoris Domini in foſſa manuum, ac pedum Aſſertoris tui, ſiquidem foſſæ ſunt manus ejus, & pedes. *Foderũt*, ait in perſona ipſius David, *manus meas & pedes meos.* Id eſt ab irato tibi fuge ad vulneratum prote; à Judice ad ſequeſtrum tuum, à tribunali ad crucem, ab eo, qui percutit terram virga oris ſui, ad eum qui inebriat terram ſtillicidiis cruoris ſui; ab eo qui labio oris ſui interficit impium; ad eum, qui ſanguine vulnerum ſuorum vivificat extinctum.

Iſa. 2. 1.

Pſal. 117. v. 20

Quin immo non ad ipſum tantum, ſed in ipſum fuge, in foramina Petræ ingredere, in foſſa humo abſcondere, in ipſis manibus, ac pedibus foratis

Psal.117.20. in fosso latere te ipsum reconde. *Hæc porta Domini justi intrabunt in eam.* Nec solum cum S. Thoma mitte manum tuam in latus ejus sed, perlatus ingredere in corejus, perinde ac ad nidum tuum, nec aliud gestias, quam cum Christo vivere in cruce, cum eodem mori in cruce.

Quod si vel semel admissus ibi nidulari occœperis, æmulator cœtera animalcula, & quodcumque poterit operari manus tua, illuc confer, inibi repone, sanguine continge, & tutare, inibi foetus tuorum operum educare, & fovere adnitere. In hoc cubiculo te contine, & Patrem tuum, qui videt in abscondito deprecare. In hoc nidulo morare, & immoriare, ac instar Phœnicis multiplicato dies, ne fortè egressus incidas in ungues Tartarei Accipitris. Ex hoc ne unquã exsudaris toto cordis affectu efflagita: *O Bone IEsu exaudi me, intra vulnera tua absconde me, non me permittas separari à te.* Fiat mi JESU. Fiat.

CONCIO. XII.

IN DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit dabo vobis. Matth. 20.

ARGUMENTUM.

Merces operum cumulatissima.

EVangelicus Paterfamilias, etsi numerosissimâ gaudeat familia, nunquam tamen animum ab aliis, atque aliis, jam per suos Oratores Angelos; jam per Apostolos, & Ecclesiastas, jam per semet conducendis avocat. A. Id unicè indolendum, quod cum permulti gratanter suam operam locent forensibus judiciis, ac pompis sæculi; perpauci sese illi sincerè, sanctèque subarrhent, vel seriò in vinea ipsius desudent. Unde hoc? Numquid levius est pondus sæculi quam vineæ? At si vel dimidium laboris illius impenderent; quam consecrant perditioni, amplissimam à munificentissimo Patrefamilias referrent mercedem, & citra dubium cœlestis patriæ incolatu potirentur. Numquid fortè minus honesta servitus vineæ Domini est, quam mundi immundi? At nemo ignorat servitutem à dominio decus suum mutuare, & quantò illud illustrius, atque augustius, tantò itidem famulatum. Numquid de mercede agitur? (Hæc enim

enim imprimis animum ad labores indefessos acuit.) At nemo in remunerando liberalior Evangelicô Patrefamilias. Hic enim tantam dependit mercedem, quantam vix animus noster capere sufficit. Quod cum haud modicum momentum habiturum ad excutiendam nostram vecordiam mihi persuadeam, planius facere, atque evolvere adnitar.

PARTITIO.

II. Operationes nostras, quocunque intuitu, ac modo consideremus; vel ut præcisè à corde seu bona voluntate eliciuntur; seu bona voluntate eliciuntur; seu prout ore proferuntur; seu ut corpore insuper obstetricante perficiuntur, inæstimabile trahunt post se meritorum pondus.

§. I.

Opera minima superaffluenter remunerata.

III. Tanti est apud Deum meriti opus quandocunque in gratia factum, ut si pro eo rependerentur universi orbis imperia, & quidquid in eis est gloriæ, ac splendoris, valoris, ac divitiarum, non adæquaret pretium ejus. Tantum est, ut excedat, atque exuperet valorem siderum, solis fulgorem, trahatq; secũ debitũ prope infinitum, à solo Numine, vi liberalissimæ promissionis & acceptationis suæ solvendum. Neque ullum tam exile est, sive in Prædicamento Actionis, sive Passionis, cui in hac vita gradus gratiæ, in altera gradus gloriæ non respondeat.

IV. De Actionibus testatum fecit ipse Dominus calamo Cancellarii sui D. Matthæi: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, non perdes mercedem suam.* In quibus verbis notandum non dixisse *Calidam*, ne in ea elargienda paupertatis, ex penuria lignorum, aut lebetis prætensio quæreretur. *Frigidam* dixit, quæ obvia est; ac nullius pretii, quò constaret rem quantumvis vilissimam, laborem quemvis minimum, donum levissimum amore ipsius, aut cujuspiam etiam servi illius factum è supernæ patriæ gazophilacio fore compensandum. Frigidam dixit, quod forsitan minus etiam ferventes actiones suâ mercede haud quaquam destituantur. Si itaque Numen rependit rem tam abjectam, tam obviam, opus frigidum, quantò liberaliùs ferventissimum, atque eximium. *Matth. 10. v 42.*

V. Pronum id est colligere ex ausu D. Petri Apostolorum Principis. Hic posteaquam se servitio Domini addixerat, præsumpsit confidentiâ plus quam servili eundem accedere; & hunc in modum expostolare: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid igitur erit nobis?* quid nobis daturus es mercedis? Quis hic non putasset primâ fronte repositurum non sine verborum sulphure Dominum: Petre, quantum quæso illud est, quod reliquisti? Cogita quis, qualis fueris, quo nido prodieris, ac socij tui. Non eras de cœtu illorũ, qui opes immensas in gazis suis strangulant, aut possessionibus basilicis abundant. Inter piscatoriam scapham neutiquam abstrudi solent mũdi cimelia, ac decora. Ret e quod unum extabat, vile erat, ac putridũ, ideoq; itentidé à te resarciri debuit *Apostolorũ merces* *Matth. 19. v 27.*

Remi-

Remigem te non Regem adlegi; nec in stagno Tiberiadis mundum demersi, quem in sagena extractum cum tuis comitibus in litus amore mei projiceres. Quid ergo te jactas, quod multum reliqueris, quem naufragium maris, & Laris prope nudum destituit. In gratiis debueras reponere, quod ad servitia mea admissus fueris. Obtumesce potius, ne ruborem pro purpura induas.

Ita planè convitiari eundem dominus potuisset. At ille perinde acsi rem magni momenti præstitisset, respondit: *Amen, amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regenerationem, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ* (quando & mortui de corruptione resurgent incorrupti) *sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Quantum hoc? quam insolitum, atque inexpectatum præmium, ut pro reti cœlestes divitias, pro pisce Deum nundinetur, pro modico servitio sempiternam occupet quietem? Repetundarum argueretur Deus pro orbe terrarum à remige, nisi tembo cœlum oppignerasset, & Curuli sequelam illius donasset. Tanti Deo stat unum lacerum rete pro se derelictum; tam munifico stipendio minimum rependit srevitium.

Matth. 19. v. 28. 29.

VI. Pronum idipsum ex alio Petro, cognomento Telonario conjicere; viro imprimis tam tenaci, ac immisericordi, ut prius stipite quemvis pauperem, quam stipe donaret. Evenit itaque ut prope agasonem mulum onustũ panibus agentẽ incedẽs, eleemosynã importunis precib⁹ exorare tur. At ille indignabũdus quũ circũspiceret, fremeretque: Nonne est hic lapis quispiam, quo importunum hunc interpellatorem abigam? arreptum de mulo panem in eum ejaculatus est. Quid ex tali quæso stipe omin is concipiendum? Ego dicerem non beneficium præstitisse, sed male ficio affecisse pauperem. Et ecce panis hic vel ab invito extortus, tanti apud Deum momenti erat, ut per eum gratia ad sinceram conversionem donaretur. Quippe tertio abinde die gravissimo conflictari morbo cæpit, in quo extra se positus vidit se sisti tremendo tribunali Domini, omniaque sua scelera in una lance appendi à dœmonibus; alteri adstare viros in candido amictu, & nec quicquam invenire, quod in illa appenderent operum sanctorum. Tum unus ipsorum, En panis hic est, quem triduo abhinc quamquam invit⁹ pauperi obstrusit nec insuper quidquã aliud totâ vita sua est elargit⁹. Hũc imponentes lanci deprehenderunt esse exigui ponderis, intuitu alterius, in qua flagitia ipsius librabantur. Et conversi ad eum dixerunt: Ito, & plura appone, quod si neglexeris, scito te à Mauris hisce ad sempiterna raptandũ supplicia. Evigilans itaque, & somnium neutiquam vanum fuisse expendens, tam liberalis subinde evasit, ut cum sua omnia in pauperes erogasset, se ipsum in mancipium venumdari fecerit, ac pretium in pauperes erogari. Ita Deus O. M. & largitor bonorum omnium, micam, & haustum frigidæ, pilum aut filum pauperi donatum; æternæ retributionis compensat mercede.

Petri Telonarii Eleemosyna qualis

Metaph. in Vita S. Io. Eloë & surius s. 1.

Eleemosynavis

VII.

Tribulationum merces 2. Cor. 4. v. 17.

VII. De Passionibus verò nostris ad stuporem differit Doctor Gentium in Epistola sua altera ad Corinthios ita scribens: *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* In quo acroamate elegantissimè parvitati operis opponit magnitudinẽ laboris. Etenim quid minus atque momentaneum opus, & leve; quod nimirum nec in se grave, nec ultra momentum perdurat? Quid item majus, atque æternum gloriæ pondus, id est immensum, atque incomprehensum gloriæ pretium? Et id totum pro momentanea, ac levi tribulatione dispensatur. *Quod in præsenti est momentaneum* &c.

Etenim Filius Dei assumptis nostris miseriis, divinum quodpiam esse illis contulit, in quantum erant actiones Verbi salutem nostram in illis operantis, & in quantum per ejusdem gratiam exercitæ dignificantur, fiuntque à nobis tanquam à membris ipsius.

Eapropter Sancti Dei, si in æterna beatitudine dolore quopiam confici possent, ille ex eo redundaret quod jacturam tanti proemii, ac stipendii, quod levi labore, ac patientiâ consequi poterant, neglexerint, tamque modicâ expensâ cœlestes divitias haud cumulaverint. Idcirco sanctâ quadam æmulatione incenduntur, ac terque quaterque felices nos proclamant, quod hic brevi, & levi opere, minima corporis, asselli nostri afflictatione, ad immensum gloriæ pondus ingentem etiamnum addere valeamus cumulum, *Quod in præsenti* &c.

Et nos eheu! ac si tempus foret recreationis & non studiorum; vacationum, & non laborum, placidissimè indormimus; afflictiones cane, & angue pejus execramur, labores quosvis in vinea Domini pro virili ab humeris nostris removemus, sinimusque tempus nullô unquam ævô irrevocabile in cassum elabi. O nos verè aut insipientes, quos rerum pretia fallunt; aut ignavos institores, & operarios, qui levi impendiô tantum pondus meritorum nundinari negligimus? Nisi fortè & hoc momentum cuipiam videtur longævum & hoc leve habeatur grave, ut mortificationem JESU in corpore nostro circumferamus. Hos quicumque ii sunt, leviore adhuc laborum impendiô, ad viam Domini evoco.

§ II.

Verba quævis apud cœlestem Patremfamilias pondus habent.

Deus Verba nostra remunerator

VIII. Jam quid levius, quid fugacius verbo? Ut flatu levi producitur, ita illico evanescit. At verô apud Numen optimum, immensum sæpe obtinuit minerval. Nunquam tam profusâ manu oratorum insigniorum, aut Vatum, remunerati sunt Principes hujus sæculi lucubrationes, atque illud suorum clientum minimam orationem, aut dictionem.

Sedente pro Tribunali Pilatô, totô quantô anxiô, & hinc

quidem innocentiâ Christi suspensô; inde clamoribus Judæorum ad crucem illum deposcentium exanimatô, Uxor ipsius (ut creditur à quibusdam) divinitus immisso somniô admonita, denuntiavit eidem Christi innocentiam, hortataque est stilô prorsus Laconicô, quatenus inhiberet attentatum scelus, & lapsabundam fulciret innocentiam. *Nihil tibi, & justo illi.* Cave ne si insontem opprimas, teipsum involvas. Hoc erat obsequium hujus Dominæ, per mediastinum quempiam Christo apud maritum præstitum. Et quid rependit pro eo æther? Magna prorsus, atque inexpectata, omnemque excedentia fidem. Quippe contestante SS. Patrum senatu, Christum verum fuisse Messiam subinde professa est, æternæque compos effecta beatitatis.

Latronis oratio efficantur Luc. 23

IX. Eadem brevitate Dominum in cruce Latro invocavit, enixè postulans, quatenus in regno suo illius reminiscereretur. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* q.d. Credo Domine te verum Regnum, instar Codri pro populo tuo occumbentem. Credo te Regem Regum, & Dominum dominantium. Credo regnum tuum non esse de hoc mundo, sed de alio, itaque Domine in illo tuo regno memento mei. Ecce hæc Laconica oratio tanti ponderis apud Regem dolorum habita est, ut eidem illico reposuerit: *Hodie mecum eris in paradyso.* Quia tu me confessus es Dominum in tormentis coram hominibus, ego te confitebor coram Patre meo in gaudiis paradisi; nec in multos annos, mensesve differam præmium confessionis tuæ, sed hoc ipso vespere, te participem regni mei efficiam: *Hodie mecum eris in paradyso.* Qui hodie, & hac hora mecum es in cruce, socius passionis, proximâ futurus es socius consolationis. O faustam humano generi vocem, cui post conditum hominem, nullam parem emisit Deus; quamvis sæpius amicissimè locutus legatur. *Hodie mecum erit in paradyso.* Ita per unum *momento* in momento latroni ostium apertum ab illo, qui si aperit, nemo est, qui claudat; ab illo, quô olim obfirmante paradysum per tot sæcula, nemo reseravit. Latro olim ejectus fuit, qui divinam scientiam ex vetita arbore, quasi pendentem se rapere posse, aut credidit, aut credenti se participem reddidit uxori. Latro nunc primum post tot annorum millia introducitur, qui incredibili quadam fidei scientiâ pendentem è ligno vitam in ipsa profundissima mortis umbra agnovit, ac liberè confessus est.

Orationum Ejaculantivis

X. Nec vos latet unicô regii Psaltis versiculô *Miserere mei* DEus; complures gratia donatos, ipsumque Lucíferum hoc unô hemistichiô cœlum mereari potuisse, si per superbiam potuisset. Sed plus est, quod idem Psaltes verbô unicô *peccavi*, obtinuit. Cum enim ob fœdissimum adulterii crimen, ac infandum homicidium ad sempiternos rogos damnandus esset, eô ipso, delictorum veniam, Numinis offensi gratiam, opes insuper ampliſſimas, & cœlestem gloriam est indeptus. En ait justa cum admiratione D. Ambro-

S. Ambr. l. 2. de pœnit.

Ambrosius) *quantum tres syllabæ valeant peccavi.* An quidquam levius excogitari poterit, quo regnum cœlorum ematur? Et hac itidem de causa superni indigites, tam sanctâ ardescunt, & inflammantur æmulatione, ut si indultum esset, illico ad augendum pondus meritorum suorum, sarcinam corporis iteratò induerent.

Paul. Barri in Anno Sancto 1. Nov.

XI. P. Paulus Barrus refert Virginem Deo dicatam in Gallijs lethali morbo fuisse correptam, quæ per septem supremos vitæ dies varijs doloribus, convulsionibus, angustijs in tantum conflictata, ut vel adstantibus commiserationis lachrymas excirer. Hæc ubi è vivis emigravit Abbatissæ suæ apparuit, deque salute sua certiorem reddidit; unâque edocuit, tantam Deum operibus justorum etiam minutissimis mercedem referre, ut si copia fieret ad vivos redeundi, id unicum in vobis habitura esset, omnesque dolores, ac cruciatus, quos extremis vitædiebus, gravissimos perpessa est, subitura; hac solum spe, ut vel tantillum gloriæ referret, quantum quis consequitur, vel unicum salutationem Angelicam, etiam mente nonnunquam exerrante recitando. Quis nunc pretium, ac præmium æstimare poterit eorum, qui indies multa rosaria evolvunt, qui non centies duntaxat, sed vel millies per Gaculatorias preces mentem ad Deum attollunt, qui omnes prope anhelitus suspicijs miscent.

Merces orationis & operum quanta

Sed & hoc forsitan mea Philothea tibi grave accidit, & inter irrequietas curarum vicissitudines tibi eadem excidere obtendis. Sit ita, necdum tamen causam justam nacta es, ob quam te à labore vineæ subducas. Leviorem etiam num assigno.

§. III.

Bona Voluntas in cœlis coronatur.

Voluntas stat pro facto

XII. Si quando opere ipso præstare haud sufficimus, quod intendimus; voluntate, seu pijs desiderijs suppleamus, Voluntas ea pia & efficax coronatur pro facto. Ipsa omnem dignitatem, ac perfectionem operi externo communicat & vitiatâ ipsâ, intercedit una decus omne, ac meritum. Actus externus ex se nec vitam, nec perfectionem, nec meritum habet, nisi ab interno voluntatis actu, tanquam vero, proprioque fonte omnis boni operis promanet. Ergo si fortè voluntas ab actu exteriore consummando impediatur, & ipsa in se perfecta fuerit, merebitur id omne, quod alioqui cum externo actu mereri posset. Ergo desiderium operis, acceptabitur pro ipso opere.

XIII. Quæstionem hanc multò ante versavit vetustissimus Tertulianus, de ijs imprimis, qui gestiunt conferre eleemosynam, & interim stipem emendicare coguntur; vel qui ambiunt splendidas Numini evehere basilicas, & ipsi vix humili inumbrantur tugurio; vel optarent

sanguinem suum prò Deo effundere ; illum non uno sed millenis efferre præcordijs , cum interea occasio profundendi sanguinis calva sit , Quæritat hac super re præfatus Author an hujusmodi desideriorum vir debeat facinoris sui voliti præmio privari ? Et respondet : *Nec tunc quidem privatur , quam aliqua difficultas perpetrationem ejus intercepit.* Ipsa enim voluntas sibi imputatur , nec accusari poterit per ullam perficiendi infelicitatem , operata quod suum fuerat. Voluntatis enim nostræ tanta est capacitas , vastitas , ac potestas , ut quantumcunque intenderit , consequatur. Unum enim , idemque in nostra voluntate sunt , quidpiam seriò , ac efficaciter intendere . & eodem pertingere. Itaque si voluntas libera, ac beneplacens Deo extendat sese desiderijs , ac intentionibus suis ad decem duntaxat gratiæ gradus , actio ejus tantumdem graduum reputabitur. At si se extendat ad centum millia , etiam actione centum millia complectetur. siquidem Voluntatis intendere est actione pervenire ; ita , ut ulterius nequaquam actione attingat , quàm intenderit, nec ulterius intendat , quàm pertingat.

Tertul. lib. de Pœn. c 3.

Voluntatis capacitas.

Quod ut Voluntati agnatum ita ab alijs potentijs omnino alienum. Non enim possumus oculis , & auribus præscribere , ut non nisi ad tantum audiant spatium videantve , quum sæpius citra , sæpius ultra extendantur , quem velimus. At voluntatis intentio , & ejusdem actio in tantum commeusurantur invicem , ut altera alteram nec quicquam excedat. Unde , ut dixi , tantum lucratur , tantum ditescit ; & meretur operans , quantum vel sola actione (si exteriùs possibilitas , aut occasio desit) interna intendit. Quod si ergo in actione una minima efficaciter intendat quispiam , Deum summum Bonum , eo quo par est cultu venerari , adorare , diligere ; si eidem pro beneficiis sibi , totique universo , sive naturalibus , sive supernaturalibus collatis gratias agere ; si quidpiam postulare , aut impetrare à Deo, si satisfacere pro peccatorum suorum , vel aliorum pœnis ; si supplere imperfectiones, omissiones , ac alia debita ; si mereri gratias actuales , & habituales ; si augmentum charitatis Dei, & proximi , si alia cupiat juxta intentum , ac beneplacitum Dei attinere tantum præstat , quantum si diversis actibus cum una simplici intentione ea perageret. Nec enim quantum , sed ex quanto Deus considerat ; & mentem , non mentum aspicit , & coronat.

Abraham placuit solo ded esirio

XIV. Liquidum id evadet ex heroico Patriarchæ Abraham facinore , seu potius ex ardente ad immolandum filium suum desiderio; quod ex prompta voluntate parendi concepe-

rat, sed ab executione ejusdem cœlius

Gen.22.16 tus deterritus est. Quid enim de eo statuit Dominus? Audite: *permemet ipsum*, inquit, *juravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Vnigenito Filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in litore maris, benedicentur in semine tuo omnes gentes. Quia fecisti hanc rem*, ajt, cum tamen re ipsa non obtulerit, nec opere ipso sacrificium obedientiæ compleverit. Quia nimirum quantum ad voluntatem attinet eruentaverat dexteram Patriarcha, & pet cervicem filii traxit gladium consummatumque obtulit holocaustum. Hinc Chrysostomus: *Considera Dei misericordiam; Non pepercisti ait filio tuo propter me.* Attamen *vivum ipsum reduxit. Non eventum considerat, sed voluntatem, qua faciebat mandata citra ratiocinationem curiosam.* Eapropter Dominus quasi de sacrificio consummato laudat justum: *Quia fecisti hanc rem*, &c. Homo, eò quod interiora minimè pervadat, manus & opus pensat, quod videt at Deus qui intuetur cor, & renes rimatur, solo affectu, si verus est, contentatur. Si Deus egestate quapiam laboraret, forsitan non exaturaretur nostra voluntate, quemadmodum mendicabulum non explet panis desideratus; sed datus, & masticatus. At cum bonorum nostrorum non egeat, cum ejus sit orbis terrarum, & universa, quæ in ea sunt, nec quicquam aliud sæpe, præter bonam efflagitat voluntatem. Hanc ille amplectitur, hanc remuneratur, hanc pro facto computat, imprimis ubi factum excludit impossibilitas, aut alia necessitas. *Quia fecisti hanc rem* &c.

S. Chrysost. hom. 47. in Gen.

XV. Compertum id probe erat tribus illis pueris à Nabuchodonosore in clibanum conjectis. Etenim orationes suas, gemitus & suspiria, pro sacrificiis, & holocaustis, quæ offerre nequiverant, acceptari postulabant: *Non est*, ait omnium nomine Azarias *in tempore hoc Propheta, nec holocaustum neque sacrificium, nec oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam.* libentissimè tibi Domino Deo nostro pro facultate nostra pinguissima quæque armenta litaremus, sed modus, ac possibilitas nos destituit. Quid ergo? *In animo contrito, & Spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo, ut placeat tibi.* Quid est, sic fiat sacrificium nostrum, nisi quia deest nobis facultas litandi; oratio, ac desiderium nostrum pro sacrificio, ac holocausto suscipiatur. q. d. Tu Domine, qui corda nosti omnium, & pia desideria pro ipso coronas opere, has orationes, hos gemitus loco incensi, & holocausti millenorum arietum admitte, quæ tibi, si impossibilitas non premeret, maxima devotione concrepassemus. *Sic fiat sacrificium nostrum, &c.*

Dan.3.28 29.30.

Ibid.

XVI. Quadam festivitate præsens aderat Dominus solenioribus Judæorũ obla-

oblationibus, in quibus principes magnifica dona persolvebant, aurique pondera dicabant; alii pro sua tenuitate siclos, & drachmas, vidua quædam obulos binos devovit. Vidit ea munera Dominus, & viduæ minuta omnibus aliis donis prætulit: *Sedens IESVS contra gazophilaceum, & multi divites jactabant multa.* Quanta cum magnificentia, ac discrimine? *Cum venisset autem mulier una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans, & convocans discipulos suos ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophilaceum.* Scitor, quâ ratione id fieri potuerit, quando illa duo duntaxat minuta obtulerit, alii talenta? Cum illa quadrantem, isti coronatos & aureos? Nonne inter hæc munera ingens differentia? Cur itaque non æquale duntaxat quodpiam, sed supereminens sacrasse dicitur?

Vidua minuta aqu anti æstimata

Marc. 12

Respondet brevibus huic quæstioni D. Hieronymus, & ait: *Non quantum, sed ex quanto considerat Deus.* Non tantopere donorum trutinat magnitudinem supremus Judex, quam animorum ponderat alacritatem; plus ille appendit quantitatem devotionis, quam muneris, plus pensat affectum, quam censum. Numquam coram illo, est vacua manus à munere, si arca cordis repleta fuerit bona voluntate. Tantum illa dispensat, quantum hæc ordinat.

S. Hier. h. l.

Non inficiamur, quod juxta proportionem facultatum plus itidem miserit hæc vidua pauper, quam divites; siquidem isti quo abundabant, id erogabant; illa verò omnes suas profudit facultates, quia nihil omnino sibi retinuit.

Nec contradico, quod præcise secundum materiam plus isti, minus illa offerebat; sed præponderabat in illa affectus non singulis tantum, sed omnibus. Quidquid in simul omnes offerabant idipsum in in voto sola ipsa dedicabat. Si tantum abundasset, quantum cæteri, plus omnibus consecrasset. Si milliones ad manus habuisset, eos omnes in cultum Dei profudisset.

O quoties idipsum etiamnum evenit, multi multa consecrant, aut saltem se consecrare imaginantur; at sæpius unius mendicabuli præponderat lucellus ex ore sibi subtractus. Deus enim, qui inspector est cordium non exteriora duntaxat oblata arbitratur, sed multo maximè affectum offerentium, quo quia excelluit pauper vidua, palmam tulit de omnibus.

Quantumcunque enim offerre voluit, tantum obtulit, non quantum, sed ex quanto considerante Deo. Quod si itaque intenderimus ad ea, quæ divites in ære contulerunt, pondus quodpiam majus deprehendemus, at si ad alias circumstantias oblationis nos obver-

obvertamus, viduæ primas conferamus necesse est.

XVII. Quæ cum ita sint, id unum mihi restare videtur, ut remissos quosque in servitio Domini ore cœlestis Patrisfamilias alloquar: *Quid hic statis tota die otiosi?*

Hic in loco tam laborioso, periculoso, fructuoso? Hic ubi dies merendi, dies fori, & nundinarum, ubi prostat officina veniæ, & gratiæ. Hic in vinea seu Ecclesia Domini, ubi non nisi seduli deberent esse cultores.

Quid hic statis, Via cœlorum patet, janua illorum aperta est. Quid ergo statis? Tanta vos gloria manet & statis, tantum præmium repositum & hæretis. Cur in bona opera non incumbitis? Cur pœnitentiam non agitis? Cur orationi non instatis? Cur suppliciorum, & præmiorum æternitatem non perpenditis?

Quid hic statis tota die, id est totâ prope vitâ otiosi, vobis nihil fructificantes, proximo non subvenientes, Deo non inservientes, hostibus non resistentes, futura non providentes? Si culpabile est stare aliquo tempore languidè, ac solutè, quid erit totam diem, totam ætatem, in lentitudine, ac veterno traduxisse?

Quid hic statis tota die otiosi & jocis somnis, nugis, inertiâ diem traducitis? Sic miseri animas vestras depretiatis, ut cum menses integros vanitati impendatis, diem, aut horam animæ denegetis? Eja vel semel socordiam excutite, & alacres ite in vineam Domini Dei nostri. Si Summatum terrenorum quisquam inveniretur, qui familiæ suæ quosvis gressus, quosvis nictus oculorum, quævis animæ suspiria, qualvis cogitationes de se, aut de rebus suis habitas certo pretio rependeret, quis ejusdem mancipari abnueret servitijs? quam avidè ad ejusmodi aulam universi advolarent? & ecce Evangelicus Paterfamilias is est, qui omnia opuscula nostra computat, qualvis intentiones redonat.

Ite ergo, quia valde periculosum, ac dispendiosum est morari. Ite quia vos vocat Dominus, Creator, ac redemptor vester. Ite quia ab ipso baptismate conducti estis. Ite quia instat nox in qua nemo operari poterit. Ite quia quod justum est dabit vobis; immo minimos vestros nutus, & nictus, minimas cordis motiones immensâ cumulabit mercede. Quam nobis largiatur, qui nos gratiosissimè conduxit Amen.

* * *
* *
*

CON-

CONCIO XIII.

IN DOMINICA SEXAGESIMÆ

Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes Verbum retinent, & ferunt fructum in patientia. Luc. 8.

ARGUMENTUM.

Anatomia boni cordis.

CONcio jam finita Aud; nec aliud prope coronidis loco adjicere valeo, quà fiat, amen. Alia Evangelia interpretatione indigent, & sensum quà Allegoricum, quà Anagogicum, quam Tropologicum admittunt; at verò hodiernum expositionem vix patitur, æternâ illud Sapientiâ planissimè enucleante. Ipse enim sub semine Verbum suum; sub terra trita, & advia, præcordia ad exteriora effusa; sub saxosa, impatientia & præfracta; sub spinosa, homines mundo divitiis, ac deliciis mancipatos, sub bona verò illos; *qui in corde bono, & optimo audientes, verbum retinent, & ferunt fructum in patientia*, intelligendos esse docuit. Quod ergo jam per semet veritas æterna interpretata est, id humana fragilitas discutere frustra præsumit.

Nihilominus cum hæc ipsa elucidatio subobscura sit, nec cuivis interior ejus nucleus etiam excusso jam cortice apertus, ego minima ipsius, quæ super sunt tegumenta detraham, & cor bonum, ac optimum pro recipiendo divino semine requisitum, nudum omnino, ac apertum spectandum dabo. Faxit D. O. M. quatenus verba mea cedant, ad Verbi divini suaviorem gustum excitandum, atque ad seminis hujus cœlestis ampliora fructuum incrementa demetenda.

Partitio.

II. Seraphicus Doctor D. Bonaventura explanando hodienum Evangelium animadvertit in singulis verbis Domini singularem vim, ac energiam, ad boni cordis attributa manifestanda latere; ita ut quot verba cœlestis Magister protulerit, totidem conditiones ejus explanaverit: Sic enim scribit *Boni auditores Verbi divini, Verbum recipiunt in corde bono, quoad cognoscentem potentiam, id est in bono intellectu; & in corde optimo, id est quoad affectivam, hoc est in bono affectu.* *Verbum divinum quomodo audiendum.* S. Bon. in c. 18. S. Luc.

Retinent

Retinent autem audientes quoad memorativam, & fructum afferunt in patientia, quoad passionem supportativam.

Ex cujus mente colligimus Dominum omnes vires corporis, & animi requirere ad Verbi sui debitam perceptionem, ne semen tam pretiosum piissimi Satoris incassum profundatur; illosque solos inveniri perfectos Verbi divini auditores, qui optimâ ad id voluntate accedunt, intellectu percipiunt, memoriâ retinent, reipsa exequuntur. Et reverà si quidpiam horum defuerit semen Evangelicum exoptatum fructum nunquam egerminabit.

§ I.

Verbum Dei audiendum cum pia affectione.

Verbum div. cum bona voluntate audiendum

Ier. 4. 3. Ose. 10. 12

III. De optima voluntatis dispositione jam pridem per Jeremiam Vatem, & Oseam sub allegoria campi exhortatus est nos Dominus dicens: *Novate vobis novale, & nolite serere inter spinas.* Hoc est, ut communis fert interpretatio: subigite perversas animi inclinationes, expurgate animum à sentibus, & tribulis vitiorum, extirpate irradicatos pravæ consuetudinis habitus, quatenus sementem optimum Verbi suscipere, & ad frugem meliorem redire valeatis. *Novate vobis novale.* Cujus animus ærumnis hujus mundi, aut etiam sceleribus mancipatus est, is ad sermonem Altissimi concipiendum, & fructum faciendum omnino sterilis esse reputatur. Quamdiu inordinatus quispiam affectus in corde fixus manserit, tamdiu perinde ac in agro inculto, sentibusque, ac tribulis obsito, nulla spes fructus, emendationis, timoris Domini affulgebit. Conferat se quispiam ad agrum ejusmodi, faciat sementem auream, nanciscatur ad votum cœlestes influentias quid quæso insuper, prærer zizania, ac steriles metet avenas? Suppar omnino telluris nostræ conditio, animæ, inquam senticosæ, ac depravatæ. Si enim voluntas ipsius pervicax sit; certisque obnoxia criminibus; si mancipata suis distortis propensionibus; optimum semen verbi Dei, ceu reprobus ager, in degener lolium convertet; quâvis se satyrâ perstrictum ominabitur, locô correctionis in rabiem contra Ecclesiasten exardescet, locô profectus se ab ejus exedra subduce t, livorem nutriet, calumniabitur. *Novate vobis novale.*

At verò si ager elementaris altius proscindatur, impigrè expurgetur, appositè reformetur; & ager cordis, piæ voluntatis desiderio, fuerit ritè dispositus, aratrô contritionis proscissus, fimô humilitatis fœcondatus; & hic, & ille fructum feret trigesimum, sexagesimum, centesimum; ipse prava aliorum consortia aversabitur, virtutes inseret, insertas custodiet, indies ad crementa frugum justitiæ sumenda enitetur.

Peccator obstinatus Ager sterilis

IV. Idipsum sub tropo inoculationis S. Jacobus Apostolus in Catholica sua inculcat, dicens: *Abji-*

Jac. 1. 21. *cientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ in mansuetudine suscipite insitum Verbum.* Id est, interprete Oecumenio, & Beda exuite peccandi consuetudinem, pertinaciam, conceptum, ac destinatum malevolentiæ propositum, quatenus digni sitis suscipere Verbum divinum. Prius odia, ac rancores mittite, & tum ad sacras exhortationes accedite; prius cor præparate, & tum aures arrigite. Nequit ramus inseri, atque inoculari, nisi alii silvestres fuerint præcisi: ita nisi circumcisa fuerit anima, ac vitiorum stolones resecti. Verbum Dei fructuosè implantari non poterit. Ut surculus firmius agglutinetur, finditur ramus ad intimas usque medullas: suppari ratione findenda est anima ad cor usque, per veram contritionem, divisionem, ac alienationem ab omni eo, quod Deo contrarium, quatenus Verbum Dei & in eo Christus ipse inseri, inoculari, & (ut ita dicam) inviscerari queat. Ubi stipes fuerit præcisa silvestris, quæ prius aut omnino sterilis extitit, aut nonnisi fructum acerbissimum produxit, per inoculationem progerminat, & enititur poma dulcia, ac sapida: ita anima à cupiditatibus luxuriantibus præcisa, quæ prius opera non nisi gulæ, luxuriæ, iræ, avaritiæ, pullulabat; per insitionem Verbi, ac Gratiæ divinæ protulerat fructus suavissimos sobrietatis, castitatis, humilitatis &c. *Propter quod abjicientes omnem immunditiam. &c.*

Oecum. Beda h. l.

V. Loculentissimè verò, & citra tropum ullum Assertor noster idem nos edocuit, quando stupentibus Judæis, & non intelligentibus profunda sacrosancti illius Eloquii mysteria ait: *Si quis voluerit voluntatem ejus* (id est Patris) *facere cognoscet de doctrina mea.* q. d. Nisi probam, ac pronam quis attulerit voluntatem, ea exequendi, quæ Pater meus cœlestis intenderit; incassum auscultabit, nec assequetur sensum, multòque minus fructum feret. *Si quis voluerit* &c. Quantumvis enim præfractus quisque audire queat, memoriâ retinere, de verbo ad verbum concionem integram decurrere; si tamen permanserit in inveterata peccandi consuetudine, actum est de semine, non exorietur in tali agro, multòque minus in spicas spei adolescet, aut in frugem virtutum matureſcet. *Si quis voluerit* &c. Perversus enim animus, quum caligine vitiorum obfuscatus sis, rectum, verumque corrumpit judicium, & ne lux veritatis in mente ejus diffundatur, nubem scelerum interponit. Quisquis autem bene divinis imperiis affectus est, is & radios illius innubi oculo excipiet, & quæ abstrusa sunt aliis, ut plana comprehendet.

§. II.

Verbum divinum exposcit attentionem, & intelligentiam,

VI. Ubi voluntas sic dispositа fuerit

erit, ibi procul omni dubio, aderit etiam attentio ad ea, quæ dicuntur, idque non ut verba aliqua capiantur auribus verum multò amplius ut sensus, & spiritus imbibatur animis.

Huc collimasse S. Gregorio Dominus videtur, in hodierno exclamans Evangelio: *Qui habet aures audiendi audiat.* Omnes enim quotquot præsentes aderant, corporis aures habebant; quorsum ergo egurgitat Dominus: *Qui habet aures audiendi audiat?* nisi quod non omnes aure debita auscultent. Audiatur præfatus Doctor ipse: *Qui cunctis aures habentibus dicet: (si quis aures audiendi habet) audiat, aures procul dubio cordis requirit.* Sunt enim plerique, qui magis personæ dicentis afficiantur, quam doctrinæ; illi satius, quam huic intendant. Isti sibi revocent, etiam per os asinæ DEum vaticinatum; etiam per corvum Eliæ, & Paulo Eremitæ in deserto non minus lapidum, atque per angelos Israelitis panem suffeciisse, etiam ex mandibula asini fontem eduxisse; atque per Baal, alioque fulminandos Numen oracula sua protulisse. Norint, quod affricanus scribit, Concionatorem cophinum esse seminatoris, nec attendendum ad vilitatem cophini, sed ad claritatem seminis, & potestatem seminatoris,

S. Greg. h. 15. in Evang.

S. Aug. h. 26. ex 50.

Alii in Ecclesiasta solam phrasim, vim, & energiam dictionis, acumen ingenii ad censuram vocant. Horum è numero erant Athenienses, apud quos, quum clarissima illa Evangelii tuba Paulus Apostolus detonaret; eò quod modicum de suadæ Atticæ leporibus admisceret, ac veritatem semotis umbris, ac parergis proferret, homo rudis, ac illiteratus illico est proclamatus. *Quid inquiunt vult hic semiverbius dicere?* S. Augustinus legit: *Seminator verborum.* q. d. Quid hic quærit garrulus iste, qui nihil præter verba effutit, & ad quæstum loquitur? Ecce quales hi Auditores fuerunt, quale judicium de tanto viro formarunt, quum tamen altissimum incorporati Filii Dei, & de morte triumphantis mysterium versasset.

In Ecclesiastæ non verba capienda

Act. 17. 18.

VII. Ejusmodi S. Antonius de Padua confert Bombijcibus, magis tinnitui, quam tonitrui intendentibus. Sicut, inquit in locis ubi sericum fit, si tonare, & fulgurare contigerit, ne vermes deterriti moriantur, tympana, & alia instrumenta musica pulsantur; quò vermes distrahantur, ne aliquam impressionem tonitrûum recipiant; sic diabolus cum tonitrua divinorum judiciorum, & pœnarum intus in conscientia, vel exterius in auribus peccatorum personant, ne quampiam inde impressionem timoris recipiant, comœdias, ludos, formas fœminarum, vel quidpiam simile peccatoribus proponit, ne fortè percellantur, ac convertantur. Ne nimirum ita attendant ad tonitru Verbi Altissimi, ut in aure ipsorum resonet, quam ad tympana, & pom-

Peccator similis Bombyci

S. Antonius.

pam phaleratarum dictionum eorum aures titillantia.

Alii demum sunt, qui quidē audiunt verbum Dei, sed oscitanter citra attentionem, nullâ intellectus applicatione alia totô cœlô diversa ab iis, quæ dicuntur, eô articulô, animô versantes. Apud ejusmodi semen cadit secus viam, & conculcatur, & volucres cœli comedunt illud, seu diabolus aufert à cordejpsorum.

VIII. Res consideratione dignissima, quod Christo Domino in cruce suffixo, etiam ex iis, qui prope aderant; & verbum divinum, quasi in pulpito crucis expansum legebant, non omnes pariter affecti. Inventi enim erant, qui illud despuerent, & exsibillarent, dicentes: *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud, salvum fac temetipsum, & nos.* Et. *si Filius Dei est descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Nonnulli verò perperam verba ipsius interpretabantur, Eliam pro Eli accipientes. Alii tamen tundebant pectora sua dicentes: *Verè Filius Dei erat iste.* Unde quæso tanta spectatorum, ac auditorum dissonantia? Eundem Christum aspectabant, idem Verbum vibicibus exaratum legebant, eandem patientiam considerabant, eadem miracula notabant, Et tamen hi intelligunt, illi non item; hi percutiunt pectus illi nutant capite, hi profitentur illi sublannant. Unde ajo tanta in iis discrepantia?

Christi confixi effectus varii unde

Matth.27. v.40. Marci 15. v.30.

Matth.27. v.54.

Resolutio ex Evangelio desumitur, quod Centurio, & alii, qui eidem concinnebant, adversum stabant serió, ac sanctè expendentes ipsius mansuetudinem, patientiam, charitatem, & quæcunque prodigiosè eveniebant. Alii autem, qui Christum sugillabant, aliò mentem avocabant, nec stabant, sed circumibant: *Prætereuntes blasphemabant eum.* Jam ille, jam iste accessit inspecturus Christum, & illico sese avertebat, atque ad alia reflectebat. Si paululum constitissent, si attentius vulnera ipsius observassent; si audissent, ut oraret pro inimicis; si vidissent, ut rupes finderentur, ut terra motibus quateretur insolitis, ut oculus cœli caligine obduceretur; ut tota creatura illi compateretur, ac parentaret, conversi fuissent & ipsi ad pœnitentiam, eandemque professionem edidissent. *Marci 15, v. 29.*

Quod si etiamnum quispiam alter miretur, quid causæ sit, quod tam exiguus fructus respondeat, tam incensis, ac intensis allocutionibus? Ajo non aliam esse, quam quod sint prætereuntes, aliò mentem deflectant, nulli rei minus, quam Verbo divino vacent.

Hosce meritò inclamat Dominus in præsenti Evangelio: *Qui habet aures audiendi audiat.* Audiat, & imbibat, non, verba duntaxat, sed spiritum; audiat non ut sunt verba hominum, sed ut verè sunt verba dei, audiant, non quæ aures titillent, sed quæ corda sauciant. *Qui habet aures audiendi audiat;* ne sit unus ex illis, de quibus Dominus:

Vi-

Videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt.

§. III.

Verbum Dei in thesauro memoriæ recondendum.

Verbum Dei mente recondendum

IX. Aliam insuper conditionem boni cordis tangit Dominus, quando adjicit, *retinent*, nimirum ut S. Bonaventura interpretatur per potentiam memorativam. Non enim qualiscunque attentio, aut intelligentia sufficit, sed requiritur continuata meditatio, seu quæpiam memoriæ fermentatio, ne fortè à volucribus inferni semen subtrahatur.

Luc.11.v. 28.

De hac conditione sentiunt nonnulli, loqui Dominum apud S. Lucam dicentem: *Beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* q. d. Beati qui aure auscultant, & mente retinent, & opere exequuntur.

Verbum Dei thesaurus

X. in hujus confirmationem adducit D. Augustinus egregiam illam Spiritus S. sententiam; *Thesaurus desiderabilis acquiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum.* Quis enim hic thesaurus in ore, vel satius mente reconditus, nisi ille, cujus meminit Salvator: *Simile est Regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Nisi ille, de quo Psaltes: *Judicia*, seu eloquia Domini, *desiderabilia super aurum. & lapidem pretiosum multum.* Servatur autem in ore, quam in corde retinemus, ruminamus, absondimus. Unde Augustissimus Præsul: *Admonemus*, inquit, *charitatem vestram, ut ea quæ audiendo, tanquam in ventre memoriæ conditis, rursus revolvendo, vel recogitando; quodammodo ruminetis. Hoc est thesaurus requiescat in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum.* q. d. Hæc est differentia inter virum stultum, ac sapientem, seu fidelem; quod iste Verbum Dei, ceu thesaurum, vel depositum Domini sui, fidelissimè custodiat, stultus autem, & infidelis dissipet eum, ac prostituat; quod ille verbum Dei ruminando cordi imprimat; hic aure unâ excipiat, alterâ emittat.

Prov.21.20.

Matth.13.

Psal.18.v.11

S.Aug.in P 141.ep.l.50 hom.h.45.

XI. Sub eadem depositi methaphora S.Paulus Apostolus suum Timotheum ad eamdem curam adhortatur, ita scribens: *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* q. d. serva tam accuratè Verbum divinum tibi communicatum, ac concreditum, ut ne quidem differendo de divinis rebus, nova quædam usurpes vocabula, quæ præseferant quidpiam singulare, & exoticum. Quod in sequente Epistola sua sic planius evolvit. *Formam habe sanorum verborum, quæ, à me accepisti in fide, & in dilectione, in Christo IELV. Bonum depositum custodi, per Spiritum S. qui habitat in nobis*, Id est, non vulgari, non humanâ, aut mundanâ, quantumvis solicitâ custodia servandum est hoc depositum; sed

1.Timot.6. v.20.

2.Tim.2.

ſpirituali, ſed divinâ, ſed quali Spiritus ipſe Sanctus illud cuſtodit; nihil planè committendo, quod ſit oppoſitum, nihil prorſus omittendo, quod ſit appoſitum.

Verbum Dei depoſitum

Depoſitum verò vocat, ut ſciremus tantâ cura illud ſervandum, quantâ pretioſiſſimum quodpiam monile fidei noſtræ concreditum. Tum etiam nos tanti criminis reos futuros, atque ad compenſationem Domino obſtrictos; ſi per incuriam noſtram excidi, & ab Alaſtore avernali ſurripi paſſi fuerimus; atque is, qui ſuâ negligentiâ depoſitum quodpiam eximium amittit.

Ex quo quivis intra ſemet exigat, in quas anguſtias demum redigetur, qui ſuo defuerit officio, atque inſuper habuerit illud? Quid enim æquale refundet perdito verbo Dei? Quid æquale reddet tot donis, & gratijs, quæ ſimul paratæ erunt, ſeſe in eum infundere? Quid æquale rependet divino ſanguini, qui pro illis fuſus eſt chariſmatibus? Quid æquale divinæ gloriæ; quæ inde reduntatura erat? Quid æquale ſaluti, & ætetnitati, cujus perit bonum, Verbo intermoriente?

Auditor Verbi qualis eſſe debeat

XII. Quod cum dico, non intendo, ut quiſpiam, integram concionem memoriter, ceu penſa pueri addiſcat, id enim pleriſque impoſſibile. Verùm quatenus id præcipuè notet, quod ſibi commodum, vel quò maximè collimat ſacer Orator, vel quod imprimis cor ipſius pupugit. Clarius ediſſero, ut volo, ut ſitis apes, non tam flores aſportantes, quam ſuccum ipſum, virtutemque illorum exugentes. Id cupio, ut ſitis convivæ, qui non omnia appoſita abliguriunt; ſed quod guſtuſ imprimis arridet, maſticant, & ruminant. Id geſtio, ut tanquam ex horto redeuntes floſculum quempiam domum reportetis, cujus odore vos ſubinde recreetis.

Beata Virgo Verbis divinis intenta

XIII. Hæc laus tribuitur illi Agnæ Genitrici, Agni Dei totius mundi crimina relaxantis. Agnæ ex qua Paſtor ovem induit, veteris mortalitatis tunicis diſſutis. De ea enim teſtatur Sacer Chronologus Lucas: *Conſervabat omnia conferens in corde ſuo.* Luc. 2.

Hanc itidem laudem ſibi vendicat Pſaltes regius occinendo: *in corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Pſal. 118. Id eſt menti meæ firmiſſimè impreſſi, ne unquam exciderent, & ex oblivione mandatorum tuorum, eadem fortè prævaricarer.

Hoc aliorum encomium, qui toti quanti ſu penſi pendent ab ore Eccleſiaſtæ, ut eligerent potius perdere vitam, quam Verbum Dei.

XIV. Ut verò ſyllabus horum exigus, ita ingens eorum, qui perinde

ac

Auditores Verbi similes vasi hederacei Pier. lib. 5.

ac hederaceum vasculum solidorum, ac præcipuorum momentorum oblivisc untur, minus utilia recondentes. De eo enim scribit Pierius, quod vinum defœcatum, & purum nullatenus retineat; & si infundatur vinum aquâ mixtum, aquam quidem conservet, vinum per poros evaporare sinat. Eundem in modum si præco quispiam vinum purum Verbi divini infundere conetur auditoribus, non in humanis sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, necquicquam retinet; per unam aurem immittunt, per aliam emittunt. At si quidpiam de lympha humanæ sapientiæ, leporis, ingenii admixtum sit id fixissimè retinent.

Hi quicunque ii sunt, percellantur, ne tanquam servi desides, ac infideles in depositò servando castigentur, & quanto pretiosius fuerat depositum neglectum; tantò graviori pœnæ subjiciantur. Siquidem non minus rei habendi sunt, quam ii, qui noxa sua inæstimabile depositum amiserint.

§. IV.

Cor bonum fructificat.

XV. Postremò bonum cor illud est, quod fert fructum in patientia; hoc est interprete Doctore Seraphico, quod exequitur id quod audit à Domino, *quoad potentiam operativam, & supportativam.* Hinc denique finis est seminantis, fructum referre in messe. Hic sacri Ororis persuadere, quod dicit. Hic boni cordis, operari in Verbo, quod audit.

Bacchantium is stilus est in capro, aut molosso arare, & serere ob solam voluptatem publica in platea, aut occare in catellis, vel gallis. Et sideratorum Auditorum est ex semente Verbi divini nullum alium quærere fructum, præterquam solatium quodpiam aurium ac phrasium, conceptuumque vanitatem capta re.

XVI. Hac nomenclaturâ; etsi sub alio tropo eos donat Dominus apud S. Matthæum dicens: *Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Sapientissimus ille Architectus est qui fundamentis firmissimis molem ædificii imponit, & ille auditor, qui suscipit Verbum Dei fide firma, ac fructificat in spe, & charitate. Nulla hos turbinum, aut tempestatum vis subruet, nulla subvertet Boreæ potentia, nulla temporum refringet diuturnitas. subdit enim: *Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra firmam Petram.* *Matth 7. v. 24.* *Ib. v. 25.*

At verò exadversum & Architectus stultissimus, qui supra arenam ædificium molitur, & auditor, qui non exequitur ea, quæ percipit. *Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam.* Quippe minima exorta, aut ingruente tempestate *Ib. v. 26. 27.*

pestate, seu tentatione corruet. *Descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.*

XVII. Conformia tradit S. Jacobus Apostolus, sub similitudine viri contemplantis sese in speculo, nec nævos suos detergentis, aut cœlatiem concinnè componentis: *Si quis auditor est verbi, & non factor hic comparabitur viro, consideranti vultum nativitatis suæ in speculo, consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit.* q. d. Quemadmodum stultus est, qui speculo, non eo, quo conditum est, fine utitur; ita & ille, qui Verbo divino abutitur.

Iac. 1. v. 17.

Specula ad quid inventa Sen lib. 1. nat. quæst. 17.

XVIII. De speculis refert Seneca præter alios, inventa esse, ut homo se cognosceret, & quod in vultu deesset, id morum honestate compensaret; quodve maculosum esset, detergeret.

Jam vero quid aliud sacræ paginæ, quam speculum terssissimum, in quo homo faciem mentis suæ inspiciat, & quam conformis imagini Dei, vel quam dissimilis sit cognoscat. Ita S. Augustinus: *Verbum Dei speculum quoddam est animæ, in eo videt immundus peccator immunditiem animæ suæ; & cum audit, aut legit lascivus, quanta sit luxuriæ immanitia, cognoscit.* Ergo quemadmodum ille stultus est, qui incassum speculum contemplatur; ita & qui verbum Dei ad sui emendationem & fructum non adhibet. Uterque enim finem haud quaquam assequitur, & suppari procedendi methedo persimilem demonstrat vesaniam.

Verbum Dei speculum S. Aug. ser. 112 de temp.

XIX. Refert Gotscalcus Rustícum quempiam Sorbonam Parisiensem ingressum esse, & cum literatos illos prolixa cũ altercatione disceptantes audisset, tandem victum tædio hanc ipsis quæstionem movisse. Quidnam obsecro Domini Doctores melius, ac perfectius est facere, quod scis, an discere multa, quæ ignoras? Ventilata illico à præsentibus quæstio, meliusque visum omnibus facere, quæ quis scit, quam addiscere, quæ nescit. Quod ut audiit simplex ille colonus replicavit: Ergo sapientes nos simplices sumus, qui facimus ea, quæ didicimus, & vos stulti, atque insensati, ætatem in addiscendo teritis, nec ea, quæ didicistis unquam opere explere contenditis. Optima profecto illatio, & æternæ Veritatis conformis oraculo *Qui enim audit verba Domini, & non facit, similis est viro stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam.*

Gotscalcus in h. Evang.

Ne itaque eadem laboremus censura, immo ne profligatæ sementis rei inveniamur, admitamur esse terra bona, seu suscipere Verbum Dei in corde bono, id est affectu bono, audiamus illud sedulò, & attentè, memoriâ teneamus, ac volvamus, opere compleamus.

XX. Revocemus nobis identidem casum

casum Pistoris, & Pincernæ Regis Ægyptiorum Pharaonis. Somniavit ille se tria canistra supra caput suum habere, & in uno celsiore omnes cibos portare; *quæ fiunt arte pistoria, avesque comedentes ex eo.* Hic vero somniavit se botros in vinum exprimere, regique suo porrigere. Josephus ubi ea sibi somnia referre inaudiisset, Pincernæ libertatem, Pistori suspendium, haud vano Tripode auguratus est. *Tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac lacerabunt volucres carnes tuas.* Quæro quid causæ sit, quod hic candidum A. ille funestum O. meritus sit; aut unde id Vates conjecerit? Non aliunde, quam quod Pistor cibos regios non in manu, sed in capite gestaverit, è contra verò Pincerna in manu.

Gen. 40. 18.

Umbra hæc processus de nobis formandi est. Si nos panem vitæ, quô anima vivit, ac sustentatur in capite duntaxat versabimus, si volucribus Tantaleis cor exposuerimus diripiendos, timendum plurimum, ne & nos suspendium Tœnarium incurramus, ne nos illaqueet suis tentationibus sathanas, & ad furcam suam protrahat.

At verò si manu Botrum versabimus, id est, si verba ex vite vera, Christo, opere ipso comprobaverimus, confidendum, quod etsi per noxam quampiam ab eo divisi fuerimus, facile in gratiam cum eodem redituros.

Id igitur faciamus, & suo tempore uberrimam messem in cœlestia nox invexisse horrea, triumphabimus. Quod nobis largiatur, qui cum Patre, & Spiritu S. vivit & regnat per sæcula Christus JESU Dominus noster. Amen.

CONCIO XIV.

IN DOMINICA QUINQUAG.

Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de Filio hominis. Luc. 18. v. 31.

ARGUMENTUM.

Calix Babylonicus exhibitus

INdique hodie ad symposium invitamur; undique nobis calix propinatur. A. Propinat Author Vitæ Calicem passionis suæ, & ad eum delibandum tacitus invitat in præsenti Evangelio dum dicit: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas, de filio hominis; tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum.* Luc. 18. v. 31. Hic enim Calix est, de quo ipse ad Petrum inconsultè se dehortantem: *Calicem, quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum?* Ioan. 18. v. 11. Itane Petre mihi adversaris, & poculum à Patre propinatum haurire non pateris? Ignoras calicem unum propinari ad hilaritatem, alterum ad sanitatem, & non minus hunc, atque illum à paterna manu sumendum?

Propinat minima Societas nostra, dñ SS. Synaxim propalam exponit, & ad eandem incensè ac patheticè invitat. Hic enim est Calix novi Testamenti? hic est Calix, de quo in spiritu Psaltes: *Calix inebrians, quam præclarus est.* Psal. 22. v. 5

Propinat & ipse mundus, dum Dyonisia, ac Bacchanalia sua celebrat. Quemadmodum enim hic DEus vini credebatur; ita eidem ab Ethnicis, (& utinam non etiam à Christianis) hoc tempore litabatur largius.

Quò me vertam? Quem Calicem arripiam? Num Passionis? At non est turbanda musica, nondum est dies Paraseeves. An Calicem Eucharisticum? Facerem id equidem, nisi vererer, plerisque magis arridere Babylonicum. Quid ago? Dabo prælibandum Babylonicum; quatenus fecibus illius deterriti ad Clicem Domini hauriendum sese recipiant alacrius.

Partitio

II. Calix Babylonicus, cui se non-

non nulli toros immergunt, non est tam meraceus ac defecatus, uti passim creditur, sed ad modum mistus, & feculentus. Est, ut vulgò dicimu Mischt masch/ seu *Kurremurre*. Proclamatus jam olim sub hoc nomine à Vate basilico est, sic de eo occinente: *calix in manu Domini vini meri plenus misto, veruntamen fex ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Plenus misto, quia nimirum & fecem vitiorum, & suppliciorum acerbitatem secum trahit; & Nili instar in mare, quà vitiorum, quà suppliciorum sese exonerat.

Psal. 74. v. 9.

§ I.

Calix Babylonicus scatebra vitiorum.

III. Primum mihi viderur obtensum Angelo Apocalyptico D. Joanni in muliere prostituta Babylonem equitare in hydra denis armata cornibus, & neptē capitum præferaoi Hæc corruptura sceleribus imperia è suis latebris emersit. *Et vidi mulierem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ habentem capita septem, & cornua decem.* Si monstro huic, scopoque mulieris respondere debet apparatus, coget in subsidium suppellectilem quamvis vitiorum, quâ Babylonem subruat. Ergo hinc faces, floresque præferet libidinis, inde cristas, coronasque arrogantiæ exhibebit; dexterâ pharetras furoris suspendet, sinistrâ pixides appendet, toxicaque invidentiæ? Demetet papavera, torporem satura in præcordiis; tibias inflabit, ad choros solicitatura, toros sternet roseos corpora effœminatura? Denique venena, flabella cervicalia, torques; idola, & fecem reliquam criminis aggeret vulgus pariter, ac principes ad cædes, stupra, scommata, perjuria, blasphemias inflammatura? Neutiquam. Præter fœminam grassantem nulla suppellex, aut armamentarium vitiorum. Quâ itaque viâ imperia subvertet? Unico quam præfert Codice. *Et mulier erat circumdata coccino, & margaritis habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia.* Solus hic Calix sat erat ad subversionem, excidiumque imperii, cui vix forent pares aliorum vitiorum acies coadunatæ. Hoc Calice assumpto stragis futuræ characteres fronti, incidit. *Et erat in fronte ejus scriptum mysterium. Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.* Nascituris è Babylone portentis sola pro Lucina, patera obstetricatur. Hæc si libetur, nihil non libet, & tunc draconi insidet, ac mater abominationum proclamatur. Trahuntur siquidem effusione calicis in abrupta populi, & in uno carchesio dum liberius salus velificat, naufragatur.

Apoc. 14.

Gula fons vitiorum Apoc. 17. v. 4.

IV. Ipsi Sodomitæ, quantumvis ad quævis dedecora recincti essent, nihilominus quamdiu sobrij intra modestiæ cancellos sese continuêre, at repleto abdomine, & potu fortiore inflammati, tum primum insanire cæperunt. Subierunt urbem palam hospites fronte, animoque cœlestes,

& tamen Sodomitarum nemo illos sollicitasse, seduxisse, infestasse legitur. Inviolatâ innocentiâ, ac pulchritudine à Lotho domũ deducti sunt advenæ. Quis non stupeat, in tanto obscœnitatis fimo viguisse duo lilia, ne quidem flammæ sulphureæ fumo afflata? Modico tamen interjecto tempore *Viri civitatis vallaverunt domum illius, à puero usque ad senem & dixerunt, ubi sunt viri, qui introierunt ad te? Educ huc illos, ut cognoscamus eos.* Quis tantam non horreat, & execrerur violentiam, petulantiam, libidinem? Urbs tota, nullâ hospitii reverentia, domum unum coronat, ne vel cœlestium hospitum secura sit pudicitia unam per noctem. Nec frigore senectus detinetur à scelere; nec pudore ullo pueritia à facinore. *A puero usque ad senem* Flagrat pestilentissimum sulphur, & in senum nive, & in lacte puerorum.

Ebrietas obstetrix lasciviæ

Gen. 19 4.

Verumtamen cum tam remissa principio Sodomitarum libido, ut quos intactos reliquerat subeuntes, eos ituros cubitum lacesseret? Tamnè patiens lasciviæ flamma est, ut non illico exardescat? Audite. *Prius autem quam irent cubitum.* Nempe sobria petulantia coerceri potuit, quantumvis nitore empyreo proritaretur; at ubi exaturata est, nec Angelis pepercit, nec precibus, nec portentis frangi aut frœnari valuit. Si sibi temperassent in epulis, forsitan ignis ille sodomiticus tales hospites non afflasset; quos subinde adurere nitebatur. Adeo invalescit libido, ubi largius, splendidiusque fuerit enutrita. Adeo Venus non enascitur nisi ex spuma non tam Oceani, quam poculi.

V. Commoveor animo, quoties casum Viri secundum cor dei mihi revoco. Et quis tam ferreus, qui ejus retractatione non expalleat? Vir erat electus ex millibus, Vir plenus Spiritu S. Vir supra modum amatus, & evectus à DEo. Et eheu quam turpiter lubricitavit? in quam detestandam provolutus est libidinem. Qua obsecro occasione? quo tempore & loco? Eo nimirum quo David saliaribus plenus dapibus per otium in salario suo inambularet. *Accidit ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in salario domus regiæ viditque mulierem.* Profectò somno litare secundum prandium inflexus non fuisset, nisi antea Libero patri liberius, aut liberalius propinasset. Decoquendis dapibus, tum somnus, tum post somnum deambulatio instituebatur. Consultius fuisset si arctius, profundiusque ad despumandum melius falernum indormivisset, quam quod se tam maturè proriperet. Ubi enim primum somnum detersit ex oculis curiosius per fenestram prospexit, notavitque mulierem lavantem sese, & illico exarsit, incendioque fœdissimo conflagravit. Gliscebat quippe etiamnum conceptus à calidioribus epulis fomes, & idcirco tam facili aciei afflictu exarsit. *2. Reg. 11. v. 1*

VI. Non fallebat hoc vini, ac epularum mysterium Vagao Eunuchum Holophernis; ut nulla validiore machina pudorem honestissimæ Judith sub hastam missorum crederer, quam deliciis. Cum enim Dux ille immanis illius venustate captus esset, sci-

sciretq; castitatis esse retinentissimam, Vagaum Enuchum expugnandæ ipsius pudicitiæ præfectum jussit. Facilè conjecit ille, quam ardua sibi provincia demandaretur. Emicabat enim ex ipsius Judithæ palpebris pudicitia, quæ vultu quidem pulchra, sed animo longè pulchrior, ut aurum gestabat in clamyde, haud secus in præcordiis gestabat castitatem. Itaque cum & hinc ducis libidine urgeretur, hinc viduæ inhiberetur impudicitiâ, tandem virile fœminæ pectus non dignitatibus, non ferro, sed deliciis ad illecebras propudiosissimæ voluptatis flectendum est ratus. *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate:* O scelus! ô monstrum! ô valida gulæ machinamenta! Non dubitavit Vagao lilium illud candidissimum refingendum in lappam, gemmam illam, ac carbunculum viduarum, in carbonem abiturum, Judeæ solem Cynthiam inconstantiæ evasuram, sidus Mosaicæ legis vertendum in scortum caliginosum, si paulò lautius cœnasset. Usqueadeò assuetus dolis semivir adversum heroinæ pudicitiam potentiorem fore machinam credidit ventris ingluviem, quam regni insignia. Noverat enim immunditiæ id cum herbis commune esse, ut pollulent irrigatæ fœcundius; jejuniis, arentique solitudine exiccentur; & pereant. Noverat pudicitiæ scyllas, & Acroceraunia non esse alia, quam peropsides; nec alias charybdes, quam paterarum. Noverat quod quævis guttula illecebræ pro mari sit, tum defundendis ex se aliis sceleribus, tum imprimis Venere procreanda.

Castitas periclitatur in gula

Iudith. 12. v. 12.

Vah & male discinctus nepos in otio, & crapula ad pietatem, pudiciamque colendam efflorescet; & fœmina quævis alia plenè madida nitorem suum servabit? Naufragata fuisset, si se oceano epularum, paterarumque credidisset Judith, & fœmina vaga, ac dissoluta inter symposia litus continentiæ tenebit? Demersæ in abundantia sodomæ, & tu enatabis? Correptus sulphureæ flamma, vir in virtute chalybis instar induratus, post epulas; & tu effœminate socie, atque arundinis instar inconstantiæ Euris agitate, innoxius, & illæsus subsistes. Efferati sunt innumeri alii per epulas, & crapulam ad cœdes, rixas, æmulationes, perjuria, blasphemias; & te Herculanæ pateræ, dapesque siculæ forsitan in Anachoretam recudent? Judas discipulus ad prodiditonem surrexit à mensa & scelus omnium maximum, quod excogitavit avaritia, gula obstetricante perfecit; Judæi post epulas surrexerunt ludere, & vitulo adolere; servus ille nequam cœpit bibere inebriari, & percutere, & tu manus compones, & innoxias servabis bene temulentus. Falleris, ô falleris, quisquis tibi indulgendo nimirum præsumis, si non ad extrema prolaberis, à maximis certe deficies. Non frustra faces nuptiarum, ac epularum caligo indixit; vix enim quisquam oculatus redit ab epulis, fumo oculos suffundente. Profectò enervatur virtus in epulis, & dum fercula sumant, friget ter-

Matth. 24. v. 25.

fervor, paterisque, animi, ac rationis clavus demergitur.

§. II.

Calix Babylonicus ferax dolorum temporalium.

VII. At ut tantis fecibus stagnat Calix Babylonicus vitiorum, ita non minus ferax est dolorum ac supplicio-rum.

Lustrando sacræ paginæ suppellectilem, vix unquam reperi pateram, vix unquam ollam, vix unquam abacum citra absynthium, amurcam, acorem dolorum, ac suppliciorum.

Calix Bab fecibus supplicio-rum mistus

Ier.1.3.

Jeremias Vates in utero matris canonizatus in prima oraculorum supernorum revelatione quæsitus quidnam videret? Respondit: *Ollam succensam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis.* Intueor. Domine mi Ollam non lactis aut mellis, non amphoram mussi, sed vini inflammati pice & sulphure. Cui Dominus, *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Planè inde redundant supplicia, unde promanarunt scelera. Per crapulam, & luxum seminantur vitia, per pœnas irrogatas metuntur. Ex uno lebete & crapula fecem scelerum egurgitat, & severitas eluvionem haurit tormentorum.

Gula dolo-ribus sociata

Luc.14.2.

VII. Vix ingressus erat JESUS, domum Principis Pharisæorum manducare panem, cum ecce hydropicus illi adstat super mensam. O miseras mortalium delicias! ô voluptates dolori nunquam non consanguineas. Itane epulis calamitas sociatur, falernis sitibundus missetur hydrops, dolores conviviis concatenantur? Ut vel hinc discamus nullam sanam, integramque felicitatem esse, semper illecebris gulæ confœderari supplicia. Imo ante hydrops infertur mensis, quam fercula inferantur. Ita non socii duntaxat deliciarum angores, morbique sunt; verum etiam antesignani. Iam sitiunt illi, atque excubant ad lanienam nostram, priusquam nos potavimus. Præripiunt nimirum palmam deliciis, & dum istæ suum nectar propinant, jam dolores, & miseriæ suum carchesium obtrudunt.

IX. Israelitæ quum suavissimum illud manna Angelicis præparatum manibus, & ab ipso Omnipotente omni saporis condimento ad delicias usque imbutum per summam ingratitudinem fastidiosè aspernati essent, concupiscentiis carnis laborare cœperunt. Annuit vel effrœnatis desideriis Dominus, *& pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.*

Gula exsti-gata

Psal.77.v. 27.

Hic mihi liquidum, plerosque Interpretum in his avibus intelligere, adumbratas nobis esse mundi delicias, quibus intantum inhiant, tamque protervè eas sectantur impii, ut earum intuitu, supernatum consolationum manna despiciant, ac nauseabundi fastidiant.

Voluptates fugaces

Sed notandum imprimis est, quod illæ turpissimæ voluptates, quibus irati Dei conniventia fruuntur peccatores,

tores, à Vate nominentur pulvis, & arena, avium instar sese demittens. *Pluit super eos, sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* Ut nimirum vel ex hoc hieroglyphico assequeremur earum fugacitatem, illasque perinde ac aves concito volatu transire, & si quam miseræ animæ adferunt jucunditatem, eam prope momentaneam esse. Ut sciremus non secus ac pulverem oculos obfuscare, & eluminare. Ut sciremus perinde ac saburram aggravere, vel prorsus
Ibid. v. 34. cymbam corporis nostri demergere. Nam ut idem subdit Psaltes: *Adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Adhuc escæ erant in ore, & anima non erat in corpore; fumabant semicoctæ adhuc in labiis aves, & calebant recenti cœde cadavera. Cecidere circa tabernacula in cibum hominum volucres, cecidere in ipsis tentoriis ganeones in escam vermium. Voraverunt Israelitæ aves, & vorantur à vermibus,
Voluptuamocia Planè non fœdus, sed fœnus cum morte iniisse visi sunt, quando mortem ab illa avium cœde pacti sunt, & vitas rependerunt suas. Heu quæ epulæ, quibus mors est invecta! Funera mihi, non fercula vorasse videntur, & ex comestis cadaveribus in cadavera demigrasse. Lento, lento igne coquite ô Judæi aves istas, quo enim tardius iis vos reficitis, eò & tardius deficietis. Uno pene gradu earum ac vestrum vita ad metam graditur, nec aliud quam feretrum vobis in mensa adornatis. Ita planè evenit, videreq; erat alium animam citius vomentem, quam escas; alium vinum cruore diluere; alium morte corripi, dum corripit carnes; hunc spiculo mortis sauciari, dum spiculo avem transfigit, illius exire vitam ex ore, dum intrat in os ferculum. Quam ego à cibis illatam stragem mirarer, nisi scirem è pomo latam pestem mortalibus. Nec enim vel in paradyso potuit à vetitis cibis abesse mors. In cibo latuit, omnesque morimur, quia unus in consulta humanitate, vel aviditate comedit.

Recte itaque Psaltes cecinit: *Sepulchrum patens est guttur eorum*; quando sepulchrum esse debuit, per quod Mors intrat viscera. Sapienter item; *Cinerem tanquam panem manducabam:* quando idem pene est perire, & bibere; exaturari, & exenterari; quando nonnisi pulveribus, id est cadaveribus vivimus. Sapientissimè illi *fuerunt lachrimæ panes die, ac nocte*, quando sciebat epulis subesse funera, atque idem prope manducare, & mori. Ideo ipse suis parentebat lachrymis, quotiescunque mensæ accumberet; ne fortè minus pius, ac religiosus inveniretur.

Psal. 5. v. 11

Psal. 101. v. 10.

Psal. 41. v. 3

X. Et quidem si tanta funera vel sola edidit gula lymphæ de petra emananti innavigans; quanta non edet in vini cado velificans? Innuit ea sapiens in Proverbiis, cum diceret: *Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo, & dices verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, & ego non sensi.* Quemadmodum navarchus alto sopore oppressus nec polum observat,

Ebrius moritur sine ratione

Prov. 23. 35

servat, nec temonem vertit, nec moderatur navim; sed temere fluctibus sinit abripi, & in scopulos illidi: ita qui potu fortiori sepulti, aut consopiti sunt, nihil sublime nihil cœleste meditantur, sed gubernaculo rationis amisso sese totos tentationum ventis abripi sinunt, donec tempestas aut per catharrum, aut aliud infortunium ad scopulum mortis allidat. Eheu quot heroes, quot potentes. quot juvenes robustissimi, hæc ratione impegerunt, & in ipso flore juventæ purpuream evomuerunt animam. Quot inquam aut per catharrum suffocata est anima, aut per imprudentem lapsum elisa, per fluctus, & undas submersa, aut per violentiam ferri, aliisque modis extrusa.

§. III.

Calix Babylonicus ferax suppliciorum æternorum.

XI. Verum quantumvis intemperantia sit obstetrix multorum scelerum, mater malorum, dolorum, ac funerum; illud mihi videtur gravissimum, quod per eam homo sæpissimè obnoxium æternæ se reddat damnationi. Proprium habet hoc Calix Babylonicus, quod peccatorem constituat in periculo certo, & prope inevitabili damnationis æternæ. Etenim ut nullius alterius mortiferi criminis sit reus, satis ei lethale peccatum est sua temulentia. In hac quisquis mundo excedit, Orcum intrat. Neque effugium patet ullum per januam pœnitentiæ, postquam sopita, meroque oppressa ratio viam ostendere nequit; postquam nec excitantis Dei, divinæque gratiæ tractus sentiunt, nec monentis Angeli stimulos, nec salutaria adstantium hortamenta percipiunt; Nempe ut Sisaræ dormientis caput, transmissus per tempora clavus, terræ affixit; haud secus eorundem cerebrum pulvinaribus affixum est, quoad telum Libitina insperatum transadigat, & Orco transcribat. Vel ut Juditha Holophernem obtruncavit temulentum, *& caput ejus non erat in illo*, ut sacer Hystoricus memorat: ita planè Sathanas hominem debellaturus, & infelicem damnatæ apud inferos turbæ, socium transcripturus, Caput petit, id est rationem ejusque usum tollit, quo solo distinguimur mortales à brutis animantibus. Id si impetret & homo per temulentiam suam sibi ipsi rationem omnem demergat; ut nullum amplius valeat facere discrimen inter turpitudinem, & honestatem; dedecus, ac decus; impotens sui actionumque suarum seriarum, cujusmodi potissimum sunt, quæ spiritus salutisque negotium involuunt; tunc verissime enuntiavero: *Caput ejus non est in illo.* Ratio excussa est, & ideo perit, æternumque perit, quia absque ratione velut capite, adhuc totus ebrius hunc mundum deseruit,

Gula causa damnationis

Judith.14. 16.

XII. Prædictum id olim perquam patheticè à Doctore Gentium, Paulo

1.Cor.6.9.

1.Cor.6.9. Paulo Corinthijs : *An nescitis quia impii regnum Dei non possidebunt ?* Nolite *errare neque ebrioſi regnum* DEi *possidebunt.* Et rursum Galatis idipsum asseravit. *Manifesta sunt opera carnis ebrietates, commessationes & similia, quæ prædico vobis, sicut & prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Puta, si (quod tamen rarum non est) mors in flagranti, gravique intemperantia occupaverit; sicque sine crux, sine lux, ut vulgò dicimus, hinc emigraverit, Quippe cùm ex fidei orthodoxæ axiomatis certum sit neminem peccati unius, aut plurium obnoxium admitti in beatorum domicilium; nisi eadem ante mortem expiaverit, aut per confessionis sacramentum (si copia est) aut per alios veræ pœnitentiæ, charitatisque actus eluerit, sit autem pariter manifestum, neminem perfectè, planèque ebrium ob defectum rationis ejusque usum, vel legitimè sacramentum suscipere posse, vel nominatos virtutum actus exercere, conficitur necessariò talem si moriatur extra gratiam dei hinc abire, atque interire flammis sempiternis arsurum. Ibi tum primum symbolam ad ultimum quadrantem cogetur exolvere, ibi fecem extremam, eamque nunquam deficientem exorbere. Ibi gustus ille fame enecabitur, qui in præsenti tantopere sibi indulget; ibi lingua illa quæ vinum nunc nauseat, & ad vomitum usque sese ingurgitat, bibet fel aspidum, & venenum insanabile; ibi stomachus ille, qui gestiebat piscis instar mero innatari, jam mergetur clibano sulphuris inextinguibili.

Ebrietas salutis impedimentum

Gal.5 21.

XIII. Attendite, si forsitan dictis meis quidpiam detrahitis ad divitem illum epulonem, *qui epulabatur quotidie splendidè, & intuebatur byſſo, & purpura*; cujus ad januam mendicus ille Lazarus jacebat plenus ulceribus, cupiens saturari ex his, quæ cadebant de mensa divitis. Quid illi evenit ? Paulo post cum esset mortuus cœpit rogare positus in inferno, quatenus extremum digiti sui pauper ille in aquam intingeret, refrigeraretque linguam ipsius vehementissimo excruciatam incendio. Ubi tunc illa abundantia ? ubi pateræ ? ubi calices ? Sitit, qui inebriebatur; abundat, qui mendicabat. Qui aperto gutture vina jam non bibebat sed infundebat; poculum sulphuris jam non libat, sed exinanit. Quantum delicijs, voluptatibus, poculis sese hic immerſit, tantum ibidem eidem commensuratur dolor, & luctus. *Luc.16.*

Et hæc est sors quæ vos manet vesani ganeones; hic est puteus profundissimus, cujus vos toties ruinæ, ac demersioni obnoxios redditis, quoties solius voluptatis gratia ita mero obruitis, ut rationem vobis adimatis. Videte itaque ne casus, qui vos sæpè transit tandem inveniat, & divina Nemesis eò graviùs ulciscatur, quò tardiùs. *Numerabo vos in gladio,* ait Dominus ore Isaiæ Prophetæ. Non quod in quemvis ebriosum Justitia divina animadvertat; sed quod ex ijs itentidem ad supplicia decimet. Facit Numen optimum, quod Principum quispiam in multitudine delinquente, aut rebellionem movente, cùm in omnes eum sævire clementis non sinat; in quintum, *Isa.65.v. 12.*

sextum decimum omissis aliis furorem suum effundit. Quod si iteratò delinquant, repetit rursum supplicia, & in gladio capita eorum præcipua numerat. Suppari ratione divina Nemesis Tribunal suum administrat. Intuetur illa plures in uno cœtu flagitiosos coadunatos, nec Deum nec homines reverentes; & ambulans inter eos incipit numerare: Unus, duo, tres, quatuor nec vindicat, sed bene decimum, aut duodecimum plectit. Rursum deflectit ad aliam tabernam conspicit persimiles Corybantes, & rursus calculat: Unus, duo, tres, & jam quartum, quintum ferit, monetque alios, ut eorum edocti sapiant, nec per omnem intemperantiam exorbitent. Et ita evenire evidentissima comprobatur experientia; quodque alii complices nonnunquam salvi evadant, soli divinæ Clementiæ imputare debent; timereque, ne quos sæpe gladius vindex transiit, tandem crudelius de medio viventium tollat.

Proinde seriò adhortatur ejusmodi Corybantes, & ganeones, nosque omnes Dominus: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superveniet in omnes.* Quemaddum rete insperatò comprehendit aviculam, cum necquicquam periculi suspicatur, sed inter grana, & epulas suas saltat, & cantillat: ita nobis mortalibus dies illa ultima sæpe laqueus est, & imparatos, sceleribus immensos, potu ebrios ad severum tremendi Judicis abripit tribunal. Id ne eveniat moneo iterum ore ejusdem Domini mei: *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis,* nimirum sobrii, & pii, in justitia & sanctitate. Quod nobis gratiosè largiatur, qui cum Patre & S. Spiritu vivit & regnat JESUS Christus Dominus noster Amen. Luc. 21. v. 34. 36.

CON-

CONCIO. XV.

IN DOMINICA I. QUADRAG.

Ductus est Jesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matt. 4.

ARGUMENTUM.

Panoplia Spiritualis.

I ECho Sathana quid agitas? quid moliris? quem tentas? Dominum tuum circumvenire vis in terris, à quo rudentibus inferni detractus es de cœlis? illum solicitas ad casum, à quo præcipitatus es in | abyssum? Illum invitas ad tui cultum; cui vel invitus genu lunare cogeris? Quæ est hæc vesania tua? quæ mentis impotentia? Ah non hoc est, quod intendit Orcus, vel certè non sui causa eam tentationem passus est Dominus; sed multò amplius; ut ostenderet quod passurus esset in membris suis. Quemadmodum enim juxta præsentis Evangelii lectionem in Caput nostrum laqueos suos aptare non erubuit: ita nos membra illius iisdem circumvenire haud desistit. Ut Christum Dominum non uno ariete est aggressus, ita in membra ipsius millena depromit jacula. Jam enim terret, jam palpat; jam ad præsumptionis promontoria allidit, jam desperationis scyllas, ac Charybdes deducere, ac præcipitare adnititur; jam propalam, jam clanculum offucias meditatur, & quem tentationibus, seu adversitatum procellis prosternere se posse diffidit; hunc felicitate supplantare contendit. Quum ergo hac ratione, & solertia nos lacessere dum vivimus haud desistat, videamus, quibus armis obviam ire possimus.

Narratio, ac Partitio.

II. Brusonius recenset, quod Dario Regi Persarum infestis agminibus Tartaros petenti, ab ipsis missum esse per Internuntium Ranam, Murem, & Avem in una arundine, nullo alio adjecto legationis argumento. Hoc symbolo accepto, concordi senatorum suorum interpretatione, sensit Rex ipsos in Pisce, aquas & flumina; in Mure terras incolentem, suam regionem in-

Bruson. l. 4. c. 10.

Salian. Annal. tom. 5. p. 65.

instare aërem sibi dedere, ac submittere. Verùm aliud multò idque è diametro oppositum replicuit Legatus, dicens: *O Persæ, Persæ* nisi Aves effecti subvoletis in cœlum, aut Mures subeatis terram, aut Ranæ insiliatis inpaludes, non remeabitis unde venistis his sagittis transfixi. Nisi vel cum Ranis vos fluminibus, & Oceano immerseritis; vel cum glitibus sub humum absconderitis; vel cum volucribus in aëra sublevetis, actum est de vobis. Quod Barbari hi minati sunt Persis, idipsum ego vobis Auditoribus meis enuntio; nisi in scutis vestris ranam aut piscem, murem, avemque habueritis; nisi vel pisces natando imitemini, vel cum muribus sub tellure commoremini, vel cum volucribus remigetis per aëra, Tartarea, seu Tœnaria spécula ad fidem, spem Charitatem vestram expugnandam decreta, neutiquam illæsi evadetis.

§. I.

Primum scutum ad elidenda tela contra fidem intentata.

III. Explico Hieroglyphicum, & dico in antecessum, nisi in tentationibus fidei pisces imitemini, seu præseferatis, actum agitis. In quo autem,

Cum diabolo non disputandum

Ut alias ipsorum prærogativas præteream, ajo in Taciturnitate. Qui enim cum Sathana, de arcanis fidei disputaturus, in arenam descendit, ab eo indissolubilibus sophismatis inodatus discedit, Id ut liquidum evadat exemplo tragico planum faciam.

Exemplum tragicum præsumentes

Paduæ in Athenæo, tunc Europæo, in orbe principe, inter alios insignes supremarum facultatum Auditores duo imprimis alijs palmam præripiebant. Nemo illis acutiùs, nemo clarius disputavit, Nemo visus aut magis pius, aut minus vitiosus. Solo domicilio disjungebantur, cætera erant illis omnia communia, libri, sermones, mensæ. Dixisset quispiam in duplici vultu, tanquam in Jano quodam unam habitare animam; dixisset Paladem, & Orestem convenisse; dixisset Castorem; & Pollucem ex eodem ovo prodijsse. Verùm hanc Societatem, quam nulla diversitas valuit, mors atra haud multò post dissuit; ita tamen ut alter ejus amaritudinem memoriâ innocentiæ defuncti, & vitæ, ut rebatur, æterna gloria dignæ non modicè temperaverit. Credidit enim divinis amuletis munitam illius ânimam rectis lineis ex ore ad cœlum evolasse. At ô tremenda dei judicia! Quum superstes alter in bibliotheca solus consideret, divinisque literis perscrutandis operam daret, adficit (Barocio Episcopo Patavino Authore) inopinato defunctus flammis undique, ceu è clibano prorumpentibus formidandus, Expalluit toto ad tam miserandum spectaculum corpore amicus alter; & timore nimio præcordia agitante, fauceque præcludente hæsit attonitus; quo ad remigrante spiritu

Barocius lib. 2. de arte mor. endi

spiritu, & desiderio jurandi amante in hæc verba prorupit: *Effare amicorum intime, quænam ista facies, aut quæ causa tam dira patiendi? & quousque sese hi tui cruciatus extendent?* Quis ex his eripiendi suppliciis modus? quæ ratio? si eleemosinis potes juvari, si precibus levari, si jejuniis liberari, si curari peregrinationibus sacris, indica, nullis pecuniis parcam; noctes, dieque pro te DEum precabor, pane & aqua contentus vitam traham; ad limina Apostolorum, Romam; ad S. Jacobum, compostellam, ad Domini nostri sepulchrum, Jerosolymam, trans ipsa proficiscar Maria. Amavi te semper, amorem meum mors tua haud extinxit, nec terminus ullus positus est charitati.

Hæc ubi fatus alto suspirio ignitus ingemiscens spiritus lamentabili voce reposuit: Omitte eleemosinas pro me fundere, preces tuas, ac jejunia tibi serva. Nihil efficies, si vel ad utramque Indiam pro me fueris peregrinatus. In eo statu sum, ut ea omnia nihil me amplius juvare valeant. A justo Judice Deo, ad atrocissimas inferorum pœnas præcipitatus sum, quorum tamen omnium atrocitatem tolerabilem judicarem, si post mille saltem annos ullus tormentorum terminus positus esset: si post myriades Olympiadum vel minimus spei radius illuceret; si post profusa ex oculis Maria lachrimarum, quippiam de culpæ maculis elutum foret. Verum eheu, eheu æternum est, quod patior, quamdiu DEus erit DEus, duratura sunt & tormenta mea, quæ verbis explicari, aut mente concipi satis nunquam possunt. Væ mihi nunc, & in perpetuum! Væ mihi, qui natus sum, & jam mori non possum! Mors hæc est sine morte, finis sine fine, vita sine vita, siquidem à Deo, & ab æterna vita sequestrata, ab Angelorum, & Beatorum omnium societate divisa; cum diabulo & angelis ejus concatenata, Ubi æternus dolor, æternum væ, æternus stridor dentium, & æternum pœnitere, æternus clamor nemine exaudiente; æterna desperatio nemine miserante. Heu mihi, Heu mihi?

Damnati lamentatio

Exhorruit toto corpore & animo ad tam inexspectatas, & tragicas voces, alter moræque Balthassaris agitante metu femora quatiebat, ne tamen origo damnationis lateret, percontatus quænam causa illius extiterit, & ob quænam scelera ad ea tormenta justo Deo judicio deputatus esset; & num personato vivendi genere orbi illusisset? Cui ille: Nihil horum, sed unica præsumptio scientiæ meæ mihi clibanum avernalem succendit. Nam cum prope animam agerem, accessit sathanas Theologum ementitus; interrogavitque quid crederem de Divinitate? Respondi me credere, quod in fidei simbolo doceretur. Mox ille institit, quatenus ei articulos quosdam obscuriores enodarem. Parui, & Apostolorum simbolum per symbolum S. Athanasii sum interpre-

tatus. Haud enim clarius exponi posse arbitrabar. Sed ille non acquiescens ait : Non est ita, non enim Deus tamdiu Pater, quamdiu DEus fuit, sed prius Deus, & postea Pater extitit. Exclamavi, ait fulminatus, & protestatus sum hanc hæreticam simul, ac diabolicam esse doctrinam, Ad quæ Satam, non clamoribus, sed argumentis est agendum; si ad veritarem quis velit pervenire. Quid ego hic sentiam, facile exponam, ad quæ si mihi respondetis solidè, magno me errore liberabis. Tum ille gryphis, ac sophismatibus suis ita in me scripturas sacras, ita rationes versutas, ita argumenta intricata contorsit, ut paulatim dubitare inciperem, ac demum in eum præcipitatus sum errorem, ut neque Filium amplius, neque Spiritum S. crederem esse Deum. Ita seductum mors oppressit, & divino stitit tribunali, ubi tanquam hæreticus æternæ damnationis sententiam à justissimo Judice accepi. Permisit autem Numen hanc in me tentationem, ob meam, ut innui, arrogantissimam præsumptionem. Siquidem dum viverem nullius expallebam oppugnantis congressum, atque ita persuasus eram, ut vel cum ipso Cacodœmone possem, & auderem de sanctissima Triade disceptare; non secus ac cum homine quovis. Dixit, & ex oculis amici evanuit.

Videte quò hunc infelicem sua deduxit præsumptio; videte quò abiit fastuosa cum Orco disceptatio. Ecce qui cum Lucipero sedere in monte testamenti tanquam doctor doctorum voluit; ut ejusdem argutiis, ac sophismatibus, tanquam rudentibus inferni detractus sit. Hoc nimirum est sapere, & non sapere ad sobrietatem; Hoc est immensum Divinitatis pelagus exigui ingenioli cymba tranare velle. Hoc est divina discutere, non credere velle. Eapropter non miror, hunc arrogantem tanti Oceani naufragio haustum, qui novi Aristotelem ignorantia Euripi, Plinium Vesuvii inscitia absorptum, illum aqua, hunc igni periisse. Naturæ inquisitio sæpe ardua est, & sui avara; quantò amplius divina erit inscrutabilis; ac periculosa.

IV Quid itaque factu opus? Superstes alter amicus tum rei novitate; tum fidi Achatis infortunio perculsus, ut in se primum reversus est, cum iis, qui sibi amicissimi fuerant, quod viderat, contulit; petiitque quidnam contra similes Sathanæ insultus optimum ducerent? Decretum in commune est, ut ad eam se quisque fidem referret, quam Catholica profitetur Ecclesia. Paulò post & ipse in morbum, eumque lethalem incidit. Et ecce ad eum idem Veterator Theologus prioris disputationis successu animosior venit, scisitatur de fide, quid credat? Respondit credere se, quæ sancta Romana Ecclesia credit. Rursus antiquus hostis, quid credit Mater Ecclesia percontatur? At ille, quod ego? sicque præsentibus aliis usque ad extremum Spiritum, veluti per circulum trahebat cacodœmonem, quoad animam redderet. Evolutus diebus paucis vultu eleganti, & nitido iisdem suis consultoribus optimis apparuit, gratias agendo, pro dato consilio; & signi-

Divina credenda non scrutanda

nificando se apotheosi sanctorum donatum.

Ex quo liquet credenda esse divina, non discutienda; in simplicitate recurrendum ad fidem, quam sancta Romana profitetur Ecclesia, non cum diabolo disputandum. Incomprehensibilis enim Dei sapientia inter angustias humanæ rationis coarctari nequit; nec illius acumine, sed pietate fidei capitur. Ita enim oportuit, & ordo reparationis nostræ exigebat, ut imago Dei quæ per superbiam deformata est, in ipso sacramento redemptionis nostræ per humilitatem rationis reformaretur.

§ II.

Alterum scutum ad elidenda tela contra Spem.

Præsumtioni quomodo obviandum

V. Alterum Scutum ad retundenda tela, & imprimis contra Spei anchoram directa *Murem* præseferat; hoc est summam sui diffidentiam, & fiduciam in Deo. Mus & sub terra moratur, & supra eandem; ita & nos per propriam diffidentiam infra terram, per fiduciam supra terram, sub cœlo, vel potius in ipso cœlo nos statuamus.

Si fortè nos Sathanas titillet vana gloria, præsumptione, aut ex aliis talentis; illico sub humo nos, & cineribus abscondamus, cogitemus ex nobismet ipsis nihil nos esse, nihil posse, & nisi divina nox dextera succollet, illico in nihilū remigraturos, ipsumque per omnem malitiam blasphematuros, ac negaturos esse. Reducamus in memoriam judiciorum divinorum formidandos exitus, & quod *nemo sciat, utrum odio, an amore dignus sit.* Quam multa sub specie, & nomine virtutum latent vitia; quam pauca sunt opera sine macula; quam multis in rebus hallucinamur; quam multa peccata vel non agnoscimus, vel obliteramus; & ea ipsa, quæ scimus perpetrasse, quam frigidè expiamus. *Eccle. 9.2*

VI. Vidit Anachoretarum Conditor D. Antonius quodam tempore mundum, usque & usque repletum lequeis, & prostratus exorabit Dominum: *Quis evadet Domine.* Audiit autem: *Humilis.* Qui de se nihil præsumit, nec quicquam sibi arrogat, sed totum quod habet DEo imputat, is evadet. Ubi superbi hæserunt, Gigantes, ibi humiles enodabuntur Davides. Araneus venenatissimus Orcus est, non tam in terra, quam in aere vanitatis laqueos suos adaptat. Quisquis auram popularem venatur, his retibus involvitur, & intricatur. Quisquis humilia sectatur, evadit, & Sathanam suomet gladio configit. Hæc sanctorum solidissimæ virtutis basis est, se semper minimi ducere, & infra se, quam sunt, sentire. *Humilis evadit laqueos S. Hier. in vita*

VII. Si verò, quod Orco frequentissimum, solennissimumque est ad pusillanimitatem, desperationemque, aut minimum diffidentiam sollicitet; tum imprimis ex humo oculos, animumque ad cœlum obvertamus; & in summa Dei Bonitate,

Fiducia in Deo firmãda

ac Misericordia spem reponamus.

Vix alia à tentatione, seu tribulatione cujuspiam vindicati causa, in divino codice adducitur, quam quod in Misericordia Domini anchoram suam firmaverit. *Quoniam* inquit per Psaltem, *in me speravit, liberabo eum.* Et per Danielem: *Non est confusio confidentibus in te.* Idem corroborat sapiens, contestando, neminem in Deum speravisse, & ab eo desertum esse.

Psal 90.14. Item 17.31. Dan.3.40.

VIII. Neque exadversum ulla res Deum magis exasperat, quam si de ipsius Bonitate, ac Misericordia ambigamus aut quod deterius diffidamus.

Desperatio Deo exosa Blosius mon. spir.c.1.

Compertum est illud, quod Blosius refert sanctissimæ Virgini senensi revelatum esse, peccatores qui in mortis articulo desperant de misericordia mea, multò gravius me offendunt, & magis displicent hoc uno peccato; quam omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiserunt. Qui enim desperat contemnit apertè misericordiam meam, & perversè existimat iniquitatem suam majorem esse, quam sit eadem Misericordia ac Bonitas mea. Unde detendus ejusmodi peccato, non dolet de offensa in me admissa, sed dolet de irremediabili suo damno. Qui si in veritate doleret, quod me offendisset, atque contempsisset, & in misericordia mea fideliter speraret, ipse eam certissimè inveniret. Quoniam in infinitum est major est ipsa misericordia mea; quam sint omnia peccata, quæ unquam fuerunt commissa, vel quæ committi possunt ab aliqua creatura.

Itaque quicunque hac via infestantur, alte præcordiis suis divinæ Bonitatis immensitatem imprimant, intuitu cujus peccata quãtũvis enormia telæ aranearum sunt, quæ flante vento rumpuntur, & annihilantur. Nam utut magna sunt, numerari, ac definire queunt; at vero miserationes Dei immensæ sunt, nec numero, nec magnitudine, nec tempore circumscriptæ. Omni enim tempore vitæ nostræ, & maxime illo ultimo momento parata est ad pœnitentiam nostram recipiendã gratiamque suam, imo & gloriam cœlestem elargiendam.

Id piissimus, ac misericordissimus Dominus ore Ezechielis Prophetæ abunde testatũ fecit, cum diceret: *In quacunq; die* (etiam ultima vitæ) *conversus fuerit impius ab impietate sua, impietas non nocebit ei, sed vita vivet, & non morietur.* Nullum diem, aut peccatum excipit, qui omni tempore reducem præstolatur, & quodvis peccatum pœnitenti condonare est paratus.

Ezech.33.vi 12. Et 38.22.

IX. Versatissima in hoc genere pugnandi cum Lemuribus Avernalibus inventa est Catharina Senensis, in tantum, ut ipsimet omnem sibi ab ea artem eludi quæsti sint. Quippe cum eã ad pusillanimitatem, & anxietatem animam impellere niterentur, persuadere illi volentes, totam vitam illius fuisse meram illusionem, nec ullam veram, germanamve ab ea exercitam unquam esse virtutem. Ipsa illico mentẽ elibrabat ad divinam misericordiam, tantò

Catharina Sen. victo in tent. In dialog. sui s.c.67.

tanto insignius in ea confidendo, quanto minus de se præsumere poterat; ideoque replicabat: Confiteor Creatori meo, omnem vitam meam meras fuisse tenebras; sed ipsa intra vulnera JESU Christi crucifixi me abscondam, illius sanguine me abluam, detersisque iniquitatibus meis, gaudebo in Domino Creatore meo: *Lavabit me, & super nivem dealbabor.*

Impellenti vero per contrarium omnino astum ad præsumptionem, suggerentique jam perfectum esse, ac Deo gratam, mitteret jam pœnitentias, & graves corporis afflictiones, reponebat: Heu miseræ mihi! Ipse Præcursor domini Joannes nunquam peccavit, & in ipso Matris utero fuit sanctificatus est; non ideo tamen quicquam de rigore pœnitentiæ usque ad finem vitæ remisit. Ego vero tot coinquinata sceleribus, nec unquam pro merito ea lachrymis expiando, deflendo, aut agnoscendo mihi indulgeam, & cuticulæ meæ lenocinabor? Per amorem tuum mi Jesu, & per salutem meam non faciam hoc. Ita illa. Quid ad hæc Sathanas? Impar ferendo tantæ ipsius demissionis, ac fiduciæ, indignabundus coram eam exclamare est coactus: Maledicta sis, ut & ille, qui hæc docuit; nescio enim; qua post hac parte te aggrediar. Si enim hinc te pusillanimitate dejicio; illinc ad misericordiam Dei te sustollis; si exadversum laudibus, ac præconiis te palpo, tu per humilitatem usque ad abyssum te dimittis; quin & in ipso inferno me persequeris & crucias. Idcirco eam subinde quietem sinebat, ne cum majore sui confusione campo cedere cogeretur.

Hoc itaque scutum alterum est, ad retundenda hostis versutissimi stratagemata, Murem circumferre.

§ III.

Clipeus Orationibus in. sultibus Orci opponendus.

X. Concludo cum eodem Tauricano Internuntio tertium, nisi in aliis tentationibus contra Charitatem, aliasque virtutes, avium instar evolaveritis, jaculis Sathanæ confixi cadetis. Id est nisi per orationem ad Deum vos receperitis immunes, & illæsi in tentationibus vix evadetis. Medium hoc generale est, & quà à SS. Patribus, qua ab ipso Redemptore nostro commendatum. *Vigilate,* inquit, *& orate, ne intretis in tentationem.* Intrer oratio vestra ad Deum, ne vos in tentationem intretis, & protuatis. Hoc idem scutum commendavit nobis, cum orationi suæ inserere voluit illa verba: *Et ne nos inducas in tentationem.* Id est; rogamus te Domine, ne nos sinas succumbere á tentatione, qua infestamur, seu in peccatum præcipitari, sed ut des cum tentatione proventum. Certet sanè nobiscum Orcus, dummodo non vincat, aut vulneret; apter laqueos, dummodo non inducat; infestet toto agmine, dummodo virtus tua in nobis triumphet. *Et ne nos inducas in tentationem.* Volucres, quum alarum subsidio in sublime feruntur, tutissimæ sut nec ul-

Oratio in tentationibus scutum

Matth. 26. v. 41.

lislaqueis obnoxiæ, & fidelis anima urgente mundo; & insectante Orco salis orationis sese ad sidera attollat; ibique Deum speculatorem, & adjutorem contempletur, ridet technas Sathanæ, ac universas illius explodit offucias.

Prov. 1. 12. XI. Innuisse id mihi persuadeo Salomonem, quando ait: *Frustra jacitur rete, ante oculos pennatorum.* In quem locum Glossa Interlinearis: *Laqueum in terra facile evadit, qui oculos habet in cœlis.* At paradoxum videri quipiam posset, ut quis averso quasi à laqueo vultu eosdem evitet. Etenim laqueos fugere aut cavere conantibus, oculi in terram defigendi sunt, in qua casses dispositi, non in cœlum, ne fortè tanquam Thales Milesius oculis astra inambulantes, in foveam ac laqueum incidamus. Quid ergo loquitur Glossa: *Laqueum in terra facile evadit, qui oculos habet in cœlis?* Nempe non de laqueis visibilibus, sed de invisibilibus fatur: Hos quisquis sapienter devitare cupit, in cœlum oculos attollat necesse est; unde & lux ad eos dignoscendos, & auxilium ad irritandos sperandum, ac sumendum est. Unde Psaltes coronatus; *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Nisi enim ipsemet fraudes, & fallacias Sathanæ detexerit, nisi vires submin istraverit; nisi gratiâ suâ præsens adfuerit conclamatum de te erit.

XII. Adumbratum hunc modum confligendi reos, in Jacobo Patriarcha, congressuro cum fratre suo Esau, in necem ipsius, ob ablata sibi ab eo primogenita, excubante. Quemadmodum enim prior appositè figuram refert justorum; ita Esau ipsius Orci insequentis. Quid verò ille fecit? Ubi inaudijt Esau copiosâ hastatorum cohorte contra se procedere, seque multò inferiorem ad confligendum cum ipso æquo marte cerneret; secessit in solitarium locum, genua flexit, oculis in æthera defixis supplices exoravit: *Deus Patris mei Abraham erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* Domine DEus meus agnosco enerve robur meum; prospicio leoninum animum fratris mei, nisi tu opem tuleris, cecidi. Succurre, protege, defende me in hoc articulo. Hoc egit oratione tam fervente, ut effusus in lachrymas totam in ea noctem transegerit, & cum deo luctatus fuisse, ac prævaluisse dictus fuerit: *Et invaluit ad Angelum, & confortatus est, flevit, & rogavit eum.* Invaluit non brachiorum robore, non lacertorum vi, sed lachrymis, & gemitibus, & in tantum roboratus; ut ultrò fratri obviam processerit, & ab illo citra illius capilli detrimentum fraternè acceptus sit.

Oratio prosternit hostiles acies

Gen. 32. 11.

Osea 12. 4.

Eheu quanto odio hominem prosequitur Zabulon, quantâ debacchatur rabie ob primogenita itidem regni cœlestis ab eo sibi erepta, quâtâve obviam procedit furiâ. Quid agimus? Confidite, cadet & ipse, si flagrantibus vocibus Deum Protectorem invocaverimus.

XIII. Adumbratum idipsum in famosissima illa Hervina Judith, quæ tametsi fragilis sexûs, ac complexionis esset, prævaluit contra Holophernem & acies regis assyriorum. Atquo stratagemate?

quo

quo astu? quibus armis? Vocavit ad se Presbyteros, intimavitque eis consilium dicens: *Nihil aliud fiat nisi oratio ad Dominum Deum nostrum.* Et ipsa perinde ac armis se loricaturà oratorium ingressa est, (id enim armamentarium muniendis Dei militibus convenientissim) & *induens se cilitio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamavit ad Dominum.* Hoc munita præsidio prodit in campum, ut tamde Duce Holopherne, quã exercitu ejus glorioſisſimam retulit victoriam. Ad eumdem modum si nos contra Tœnarium armati Holophernem processerimus; Dei freti auxilio, ac præsidio, & ipsum triumphabimus.

XIV. Ergo si vita nostra militia est super terram, si densatis agminibus nos imperant adversarii nostri; si instet conflictus; ne incautos opprimat; dum tempus est, accingamus nos ad prælium; & panopliam spiritualem accurremus, Si enim nemo tam incautus, ac improvidus est, impendente corporali discrimine, aut certamine, qui de optimo armorum genere sibi non prospiciat, qui militem non conscribat, non lustret, non computet, an cum decem millib⁹ possit occurrere ei, qui cũ viginti millibus venit ad se; tantò impensius id in spirituali pugna accurandum est, quanto est gravius animæ, quam corporis periculum. Si in præsenti Principes Christiani extrema quæque movent adversus Ottamannicam Portam, pro regnorum suorum defensione, idque piè, ac sanctè; quanto id æquius à nobis præstandum est, ubi agitur de cœlestis patriæ amissione, Si quisque pro aris, & vocis viriliter decertat, an non glorioſius pro cælo & Deo animose resistere, insultantem hostem conterere, triumphantem cum divinæ Gratiæ suppetiis ac supplementis in captivitatem ducere conandum est?

XV. Hoc est, quod nervose, in Epistola sua ad Ephesios Doctor Gẽtiũ inculcat ita scribẽs: *De cæteros fratres confortamini in Domino, & in potẽtia virtutis ejus. Induite vos armaturã Dei, ut posſitis stare adversus insidias diaboli.* Assumite animos, & roboramini in Domino, id est in fide, spe, gratia Christi JESU. Causam subdit: *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem; sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Induite panopliam fortem, & validam, siquidem hic hostis vester non est corporeus, carneus, visibilis, invalidus; sed est incorporeus, subtilisſimus, fortisſimus, versutisſimus. Nam & natura spiritus est, & specie invisibilis, & indole nequisſimus, ac malitioſisſimus, potestate Dominus, Arte & Marte inclitus. Induite, & confligite fortiter, quia nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit. Ille sedem hostis sui in cœlis obtinebit, qui eundem in terra strenue profligaverit. Ille cum Christo duce triumphabit, qui eodem palmas victoriæ demessuerit. Fiat auxilio tuo Christe JESU. Amen.

Eph. 6. v. 10. 11.

Ibid. v. 12.

* * *
* *

CONCIO XVI.

IN DOMINICA II. QUADRAG.

Apparuerunt eis Moyses, & Elias loquentes cum JESU. matth. 12.

ARGUMENTUM.

Comitia Thearchica

CONventum toto orbe, cœloque celeberrimum hodiernum nobis revocat Evangelium. A. Conventum, quem meliore fors Calepino dixero Comitia Electoralia, in quibus Princeps Orbis nominatur, ac promulgatur. Comitia, in suis constitutionibus in perpetuum æternatura. Comitia, inquam, in quibus Pater æternus, tanquam Primas Primatum præsidet; Christus more Veteri in vestibus albis candidatus proponitur; Moyses, ac Elias perinde ac Assessores assistunt; Apostoli, seu quod idem est Nuntii, Legatorum munere funguntur. Et cum non nisi tres orbis partes tum essent cognitæ, Asia nimirum, Affrica, & Europa; Petrus nomine Europæ adesse videtur, quia Romana in Arce suam sibi sedem constituit. Joannes ex Asia de quo S. Hieronymus, *totius Asiæ, fundavit, rexitque Ecclesias.* S. Hier. de Auth. Eccl. Jacobus monstrum sanctitatis habitus, in persona munstriferæ comparet Affricæ. Quis est, qui non gestiat tam sancto, tam stupendo, tam divino interfuisse conventui? Quis non ambiat eorum Senatorum excipere sententias? Quis non ardescat eorum minimùm auscultare decreta. Horum votis velificaturus sententias singulorum in Evangeliis strictè conceptas, paulo disertius explanabo. Cedet id ad Majorem inaugurati Regis gloriam, & nostrum spiritualem profectum.

PARS PRIMA.

In qua vota adducuntur.

§ I.

Votum Patris æterni.

II. Primum summatis, summatum omni-

omnium Principis, Patris, inquam æterni votum erat, quod brevibus strinxit in hodierno Evangelio Cancellarius ipsius: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Multifariam hactenus, multisque modis locutus sum vobis in patribus per Prophetas meos. Sed eheu surda ferè semper aure auditus sum ab eis. *Obturaverunt* enim *aures suas, & averterunt scapulas recedentes.* Recantatum illud Isaiæ Vatis identidem, *Manda, remanda, manda remanda.* *exspecta reexspecta, exspecta reexspecta.* *modicum ibi, modicum ibi.* Jam posthac in ipso Dilecto loquar, vobis Filio meo, quatenus tantò plus ponderis ejus verba apud vos habeant, quantò sublimioris is est Celsitudinis, ac Majestatis. Ipsi dabo Gentes in hæreditatem, & Reges in possessionem; Ipsum adorabunt universæ familiæ gentium, & ipsè curvabitur omne genu. Si quæritis, quis ille sit, *hic est* JESUS, *Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Hic est Filius meus,* cui ex me, & mecum esse sine tempore est, quia nec Genitor genitore prior; nec Genitus Genitore posterior. *Hic est Filius meus*, quem à me non separat Deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. *Hic est Filius meus* non adoptivus, sed propriùs, non aliunde creatus, sed ex me genitus, nec de alia creatura mihi factus comparabilis; sed de mea essentia mihi factus æqualis. *Hic est Filius meus,* per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, qui omnia quæ ego facio similiter facit, & quidquid operor, una mecum indifferenter operatur. *Hic est Filius meus*, qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec usurpatione præsumpsit; sed manens in forma gloriæ meæ, quatenus ad redimendum genus humanum, commune exequeretur consilium, usque ad formam servilem inclinavit in commutabilem Deitatem. Hunc ergo, in quo mihi per omnia complaceo, cujus prædicatione manifestor, cujus humilitate clarificor *ipsum audite*, ut præceptorem, docturum vos verba vitæ, ac disciplinæ, *Ipsum audite*, ut Pastorem, ducturum vos ad uberrima *Ipsũ audite*, tanquam Ducem, contra hostes vestros dimicantem. *Ipsum audite*, perinde ac Regem subditis imperantem, & mandata ejus prona devotione suscipite. Audite qui hactenus à matre vestra edocti, serpenti, malesana insufflanti, aures præbuistis. Audite qui antehac carni & sanguini obsecundantes post concupiscentias vestras ivistis. *Audite*, qui mundum, & pompas ejus amplexi estis. *Ipsum audite*; cujus sacratissimæ humanitati indulsi omnipotentiam ad patranda prodigia qualiacumque, & quandocumque liberet; Bonitatem, ac Misericordiam ad condonanda peccata; Sapientiam, ad docendum, & discernendum; aliave attributa communicavi, ad ipsum magnificandum. O verè felices, ac beatos, qui ab ejus ore pendent, eique in omnibus obsecundant. O plusquam felices, qui hoc domino gaudent, eique morem gerunt. Nam si Politicorum hominum apophteg-

Zach. 7. v. 12.

Isa. 28. v. 10.

Matth. 12. S. Leo hom. de Transfig.

Christo D. obtemperandum

Christus audiendus

mate, regnum illud felix, ubi aut Philosophi regnarent, aut reges philosopharentur; quantò felicius istud, ubi ipsa Sapientia increata, & incommutabilis flectet habenas. Si felix Jerosolyma Salomone, *Quoniam antecedebat eum Sapientia*; quantò fortunatius istud, eo regente, qui sexcenties eundem prudentia, & Sapientia exuperat. Si felix imperium, aut Respublica ubi virtuosi, ac pii imperant; quantò felicius ubi ipsa Virtus, ipsa Sanctitas effulgebit luce, & exemplo. Si beatum, ubi pacifici; (quoniam nulla tam dives aurifodina, nulla India, nulla Arabia tam ferax metallorum, atque pax regni) quantò beatius istud, cui ab ipsis incunabulis pax decantata, & proclamata est. *Et in terris pax hominibus bonæ voluntatis.* Si suaviſſimum onus regni, ad quod vehementius subditi invitantur exemplo, quam urgentur imperio; quantò suavius istud, ubi necquicquam docebitur verbo, quod non fuerit comprobatum exemplo: nec alia imponit ipse Rex subditis onera, quam quæ prius humeris suis succollaverit. Itaque hunc candidatum Filium meum tantis donis, & gratiis ornatum, Doctorem vobis trado; ipsum Regem Regum, & Dominum regni mei jubeo, & enuntio, ipse vivat & regnet per sæcula. *Ipsum audite.*

Sap.17.v.12.

§ II.

Votum Senatorum Moysis, & Esiæ.

III. Gratissimum, acceptissimumque votum hoc Grandibus Empyreis Moysi inquam, & Eliæ accidit. Perspiciebant enim nihil à Deo O. M. posse conferri dignius, nihil accidere posse humano generi utilius, honorificentiusque. Verum modus obtinendi diadema designatum, perquam arduus, ac periculosus videbatur. Perpendebant enim probè non patere præfato Candidato viam ad coronam, præterquam per mare rubrum, ac proprii cruoris diluvium. Eam ob rem dicebant excessum ejus (nempe passionis illius, Luca contestante) & his similibusque verbis sententiam suam edidere. *Luc.9.31.*

Nihil sanè æquius, sanctiusque, nihil humano generi utilius, quam ut tali Præceptore imbuatur, illeque imperet, & cuncti ejus obsequantur edictis, quem ut ipsa Divinitatis incunabula, & virtus, ac sapientia aspectabilem, commendabilemque reddidit. Verum, ut video, Candidatus hic purpuram prius non induet, quam eam sibi proprio cruore tinxerit. Novimus enim perbelle adversarii ipsius, quanta sit potentia, quanta possessio. Si minimam hanc orbis provinciam excipimus, totum quantum, quod superest, obtinet. Illi genua lunat Europa, illi poplites flectit Asia, illi thura adolet Affrica & america; illi Oriens, Occidens, illi Aquilo, Meridies procumbunt, & sub illius catastis gemit æquè Dominus ac servus nobilis & ignobilis, politicus & barbarus. *Ad regnum per crucem itur.*

In-

Insuper chyrographum deditionis ac servitutis sempiternæ, per inobedientiam conscriptæ tenet, quod non nisi sanguine, eoque copiosissimo elui poterit. Proinde si justitia magis, quam potentia Tœnarium principem detriumphare intenderit, ea utique in se recipere onera, ea nomina exolvere obstrictus judicabitur, quæ ipsi subditi contraxerunt. Hæc verò quum & contemptum, & confusionem, & dolorem, imò & mortem post se trahant, iisdem certè & Candidatus noster obnoxium se reddet. Desudandum itaque illi erit usque ad sanguinis profusionem, usque ad flagra, scorpiones; usque ad corporis & animæ divisionem. Tolerandi illi catenæ, & vincula, perrumpendi tribuli & sentes, crux ipsa perferenda. Id verò indignum tanto capite, Judæis scandalum, Gentibus stultum & visu, & auditu futurum.

Pati innocenter gloriosum

IV. Ad quæ illico Candidatus noster: Exerras toto cœlo mi Moyses, dum novo Calepino plagas dedecus, & ignominiam interpretaris. Privilegium id, amoris obtinet imperium, quod nihil vilescat, quidquid ex amore suscipitur. Nec quicquam indecorum, quod beneficium est, commendante ipso amore, ac beneficentia demissionem. An ergo excellens amor, ac benignitas homini exhibita erit indecora, aut se perdet, quia lucratur universos. Decorum erat vel ethnicorum judicio Codro principi, pro populo suo sanguinem fundere, honorificum Romanorum Regulo, tormenta sibi à Carthaginensibus destinata, invicto animo suscepisse; nec ultimo crucis supplicio deformata ejus majestas, sed multo augustior reddita. Glorioſum erat Machabœis, aliisque pro patria animas ponere; & minus admirabile, minusque virtuosum fuerit, pro universo vindicando populo mihi emori? Minus profectò deperitem genus humanum, nisi etiam vulnera pro eo susciperem; nec vim dilectionis meæ ostenderem, nisi hoc, quod amicus pro amico tolerat, ad tempus sustinerem. Minus æternæ gloriæ præluderem, si leviora quæque tantummodo perferrem, Grandiora vulnera insignioris & patientiæ, & benevolentiæ sunt argumenta. Tantumdem itaque mihi decedet gloriæ, quantum pœnarum; tantumdem itidem accedet, quantum mihi cõdensabitur supplicıorum. Insõs enim quotquot cruciatibus atteritur, totidem per patientiam meritorum, & coronarum præmiis cumulatur. Nemo proinde meæ, sed suæ indoleat cuticulæ, qui nõ una sed vel millena morte defũgi sum paratus. Tu quæsoPater amantissime *Clarifica Filium tuum claritate, quam habui priusquam mundus fieret.* Clarifica per vulnera, per sanguinem, per mortem atrocissimam. Clarifica per opprobria, sputa, irrisiones; clarifica per quidquid dirum, & crudele est, ut sciat mundus, quoniam diligis me, & ego te. Dixit, & toto ratum stetit senatui. *Ioan. 17. 1.*

§ III.

§. III.

Votum Apostolorum seu Legatorum.

V. At verò non Item internuntijs, Princeps ac Marscalcus ipsorum Petrus palam protestare contra ausus est, & dicere: Nequaquam hoc ita fiet: *Bonum est nos hic esse, Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Quid prodest tibi Christe mundum universum possidere, & animam Letho dare. Quid prodest occupare multa, possidere nihil. Quid profuit Machabæis nostris, aut alijs nundinari nomen, & mortem hæreditare. Nonne te etiamnum reverentur summi æquè ac infimi? domestici & externi? Nonne tibi obsecundant ægrotationes? Nonne se tibi substernit Oceanus, & conjurati veniunt ad classica venti? Nonne te tremit Erebus, & ad nutus tuos emancipat, quos longo tempore captivos tenuit?

Matth. 17.

VI. Cyneas Philosophus, quum Pyrrhum Epirotarum Regem Italiæ imminere cerneret, fretus ingenij dexteritate, posse eum de sententia deduci, ait ad ipsum. Si dij faverent nobis adeò, ut victoria potiremur, quid quæso nobis ultro agendum putares? Respondente Pyrrho se tunc cum Romanis militibus in Siciliam trajecturum. Tum Cyneas: His etiam devictis, quid ultra ageretur? Affricam trajiciemus, inquit Pyrrhus. Cui Cyneas; sed his demum partis, quibus rebus tempora nostra transigemus? Tum Pyrrhus, Læti inquit inter festos dies, ludosque agemus. His auditis scitè intulit Cyneas: Quis prohibet sine tantis laboribus, ac periculis, quin vel hâc ipsâ horâ, quum tu magnus, & opulentus Rex sis, lætè insimul vivere, ludosque celebrare? Huic si Pyrrhus intendisset, neque in Italia vulnus accepisset, neque ab Argis postea oppressus vitam amisisset. Idipsum ego recanto. Quid quæris ô Domine, per pericula, per vulnera, quod citra illa jam obtines? *Bonum est nos hic esse.* Mons hic undequaque amœnus est, campi circum quaque uberes, silvæ ipsæ fructiferæ, valles irrigui. *Bonum est nos hic esse*, procul nempe extra teli jactum, extra incursus malos; cũ amicis electis, in quiete morari optima, *Bonum est nos hic esse*, in tanta tua gloria, potestate, majestate, *si vis faciamus hic tria tabernacula tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* In his commoremur, jubilemus, & exultemus; in his tu dominare, nos ancillabimur; tu impera, nos parebimus. *Bonum est nos hic esse.*

Plutarch. in Vita Pyrrhi

Humorum vanitas

Ad eundem modum sæpiuscule nos in damnum nostrum arguti esse conamur; respicimus non fines ultimos sed proximos; pereat licet in anima servus, pereat familia, pereat filius, dummodo parenti sit bene in temporalibus.

VII. Audijt hæc pariave Zelosissimus Senatorum Elias, & impar ferendo non sine sulphure inscitiam Petri redarguit.) *Nesciebat enim quod diceret* Luca teste.) *Luc. 9. v. 4.*

Usque-

Usquequò Petre abuteris patientia nostra ? usquequo tuum *bonum est nos hic esse* recantatis ? An ignoras fluxa hic esse universa ? Nonne prospicis huic monti vallem miseriarum esse contiguum , & agnatum ? Vel etiamnum telatet , Christum venisse ad redimendum genus mortalium ? Ergonè fluxis & transitorijs hisce cor appones ; quæ ut affluunt , sic refluunt ? Itanè corneo oculo extremam fratrum tuorum cathastrophea intuebere ? Itane mundum perire gestis , ut tibi soli sit bene ? Non est hæc vox hominis Deum amantis ; sed secretum ambientis , suamque cuticulam curantis. Nec potest hic esse secura statio ; ubi itentidem deprætiantur Aquilones , ubi regnat egestas & miseria , ubi longo ordine sua posuêre cubilia curæ.

Terrena cuncta caduca

At inquis: *Faciemus hic tria tabernacula.* Videlicet , ut perinde ac Tartari sub tentorio habitemus ; Videlicet , ut veluti Jonas ruinam non urbis unius , sed orbis de supercilio hoc intueamur, *Faciamus tria tabernacula* ; ut instar tabernæ sint , in quibus edamus , bibamus, epulemur , quamdiu cœleste mustum defluit. An non satis tibi Deus habitavit in tentorio , & tabernaculis, cum nulla illi ædes sacra erecta esset ? An nescies brevi hoc tabernaculum tuum, perinde ac Jonæ hederam aridum evasurum ? & tum quid facies ? Cur non Satius meditaris basilicam Romanam , non palatium Pontificium ? Cur non porticus Vaticanas? Orbem , & Urbem cogita , ibidemque sedem fige in concussam. Vel cur non satius mentem reflectis ad superna,& cum coronato Vate occinis: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum , concupiscit , & deficit anima mea in atria tua Domine.* Cur non cum eodem ingeminas? *Melior est dies una in atriis tuis super millia* ? Cur non item ? *Unam petii à Domino , hanc requiram , ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ibi bonum est nos esse*, ubi vivit in tuto anima, in felicitate pectus , in delitiis sensus, in quiete voluntas. *Ibi bonum est nos esse*, ubi non approximant dolores, fugantur pœnæ, mors exulat. *Ibi bonum est nos esse*, ubi amœnitatem loci nimius haud excipit æstus , flores Autumnus haud spoliat, æternam ejus viriditatem contingere hyems haud præsumit. *Ibi bonum est nos esse* , ubi non est arrogans, qui nos despuat, non est avarus, qui rapiat; non est formidabilis , qui minetur , non est æmulus, qui incommodet , non est inimicus , qui damnificet, non est adulator , qui palpet, &c. Ibi ædifica sed mansionem æternam , non tabernacula , quæ hinc inde transferas. Illuc enitere , vel per spinas, & tribulos. Non enim est mollis ad astra via, non rosetis, sed salicetis amœna , aspera est , & confragosa, nec pede Tenero calcanda. Illuc comitare , si verus est discipulus Magistrum præeuntem , & ducem.

In cœlo non nisi bonum est esse

Psal. 83. 2.

Psal. 26. 4.

Beatitudo

His dictis coronis imposita

est comitiis, cunctis in vota æterni Patris concedentibus.

PARS II.
Constitutiones explicat

§. I.

Decretum I.

VIII. Sed numquid nullæ constitutiones, ut fieri assolet condite? Quin imo.

Christus Caput & mediator

Et prima quidem ex voto Primatis Primatum, ut deinceps sub interminatione, & bonorum omnium, & vitæ dispendio Christum in Dominum, ac unicum Assertorem ac sequestrum reciperimus.

Act. 4. 12.

Hoc consignavit subinde Cancellarius ipsius Lucas in Actibus Apostolicis ita scribens: *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Id est, non est alius, quam JESUS Christus, quē invocare, ut mediatorem salutis debeamus, & in cujus invocatione & virtute salvemur.

Rom. 3. v. 25.

Hinc graves Theologi docent post promulgatum Evangelium omnibus hominibus ad salutem; id est ad justitiam, & fælicitatem æternam acquirendam, necessariam esse necessitate medii, fidem explicitam in Christum, *Hunc enim proposuit Propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius.* ait Doctor gentium. Hunc, (qui est principium, & finis operum divinorum) pariter principium actionum nostrarum, ac finem habendum.

Quod sanè perarduum neutiquam accidet, cogitem? Angelos si bonos etsi nec eorum naturam assumpserit, nec suum pro iis sanguinem fuderit; aut pro eorum salute mortem oppetierit; tamen pro illo dimicasse in cœlo sub Michaele Primate, & illi primum nato applausisse, lætitia inenarrabili exultantes, ac triumphantes; illi esurienti tanquam dapiferos in eremo ministrasse, agonizanti in horto adstitisse, mortuum amare defleviisse, resurgenti sincero affectu, in candida veste congratulatos esse, illi in cœlos scandenti sese substraviisse, & omni in loco cultu Latreutico deveneratos esse. Item si perpendamus fulminatos Genios, ab pertinaciam suam eum suscipere nolentes, eumdem tamen agnoscere, & adorare in inferno, ad solum ipsius nomen procumbendo, & genua flectendo. Quidni igitur & nos jure meliore eundem adorabimus, pro quibus & carnem sumere, & pati dignatus est. Si quis Regum terrenorum filium suum, & hæreditarium, legitimumque terrarum omnium principem, ac Dominum iisdem proponeret, ipsi juramentum dicturis; quo animo conjicite acceptarus esset, si quem nationes exteræ Regem agnoverunt, eique homagium præstiterunt, incolæ ipsi, populique subjecti pro tali habere recusarent.

Eodem futurum credite in nos DEum Patrem, si Filium ipsius, eo, quo par est cultu, reverentia, ac amore prosecuti non fuerimus. Vel quod deterius est, si illos de Evangelio agricolas imitati,

(qui

qui in hæredem, & chariſſimum filium debacchati ſunt,) apprehenderimus, extra vineam (cordis nimirum) ejecerimus, vel omnino peccati cuſpide confixerimus. Vel ut loquitur S. Paulus Apoſtolus: *Filium Dei conculcaverimus, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerimus.*

Math.21.33.

Heb.10.92.

Verum hæc aliis ſint dicta, non vobis, qui eundem Regem gloriæ omnibus aliis præfertis; & millies occumbere, quam eundem offendere, aut dimittere præoptaretis.

§ II.

Decretum alterum.

IX. Secundum eſt, ex altero ſenatorum voto decretum deſumptum, & ab eodem Cancellario S. Luca acticatum, Ut ita dicam, contributio, oppreſſio, ſeu afflictio. Nam ut Chriſtum Dominum, ita nos membra ipſius; *per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum.* Et ut Apoſtolus ſcribit *Si compatimur & conglorificabimur.* Dedecet enim membrum eſſe delicatum ſub ſpinoſo capite. Si Chriſtus duntaxat imperaſſet, quid faciendum eſſet, quantumvis ipſe exemplo, non præiviſſet deberemus exequi, quanto magis cum ipſe primus fecerit; & fecerit, ut nos æmulemur; nec tantum dixit, ſed laudavit & prædicavit, afflictiones illæ acceptandæ, imo & inquirendæ erunt. Si Vatum quiſpiam ore Dei nobis retuliſſet, nullam inveniremus excuſationem fugæ, quantò minus, quum ipſa ſapientia Prophetarum, & Os Dei exaggeraverit, & in ſe perfecit.

Patiendum cum Chriſto

Luc.14.

Rom.8.18.

Via cœli ſtrux

Si non oporteret nos pati, exemplaris vita JESU omnino otioſa fuiſſet, & ſupervacaneus rigor, in paſſione imprimis toleratus. Etenim certum, & in dubium eſt potuiſſe nos unica ſanguinis ſui guttula, quin & mundos infinitos redimere; ut quid ergo tanta tamque crudelia ſuſtinuit? Cur DEus Pater voluiſſet tantopere affligi & excruciari Filium ſuum Unigenitum? Num fortè tam impius, & crudelis eſt, ut paſcatur ſanguine dilecti filii ſui? At animalia effera quantumvis, & ſæviſſima, pientiſſima ſunt ergo fœtus ſuos; quātò magis clemētiſſimus, & miſericordiſſimus Deus in Filium ſuum? Quid ergo? Ratio princeps erat, quatenus tanto exemplo duceremur ad ejus imitationem, odioque habendum peccatum.

Ipſe nimirum, qui optimè iter cœli perſpectum habuit, (*Nemo enim aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Chriſtus* IESVS,) ipſe nobis rectiſſimam, ſecuriſſimamque monſtrare intendit. Non fecit bonus JESUS, prout ruſticorum nonnulli faciunt? qui digito, aut verbis demonſtrant viatoribus iter; ipſi tamen manent, & recumbunt domi ſuæ, quieti, nec deinceps ſoliciti ſunt, an errent viatores; ſed ipſemet præcedit docens verbo, & exemplo. Cur itaque præeuntem non ſequimur? An putamus nos erraturos Sapientia duce? aut perituros præeunte Salvatore? Quis id ſibi imaginetur? Reſtat ergo, ut eidem viæ inſiſtamus, & ſi vel immoriendū in ea ſit, eam ipſā perſequamur.

Ioan.3.

§ III.

Decretum tertium

X. Postremum præsentium Comitiorum statutum est, ne commodis terrenis posthabeamus cœlestia, & transitoria æternis. Non enim bene consultum est hic thesaurizare, ubi tinea, & ærugo demolitur; non est bonum struere, & ardua moliri tecta super arenam, quæ à vento tollitur? vel supra glaciem, quæ facile liquescit? vel in aere vanitatis, qui omni momento mutatur. Timendum summopere est, ne dum terrena dilatamus, cœlestia tabernacula minuamus. Tantò enim minus capaces reddimur illorum, quantò propensiores ad ista invenimur. Timendum itidem ne dum mordicus his affixi fuerimus; in extremis avellere præcordia ab iis minimè valeamus. Timendum, ne dum indies profundiora hic manendi fundamenta fodimus, ad Tartarum ipsum iter nobis planius expediamus.

Beatitudinis bona

Non est itaque Bonum nos hic esse, ubi pericula, ubi morbi, ubi infectationes, ubi continua, ibique succedentia mala sunt, &c. Ibi, ibi, beatum est nos degere, ubi nonvexat cupiditas, non insidiatur invidia, non devenustat detractatio, non fatigat odium, non timetur vindicta, non molestat ambitio, non suspendit expectatio; non debilitant morbi, non premit fames, non affligit sitis, non alia terrent pericula. Ibi, ibi bonũ est nosesse, ubi est fons omnis Bonitatis, ac Beatitatis, radix bonorum omnium, finis desideriorum, & initium bonorum omnium. Illuc connitendum, si salvi, si sospites, si beati esse intendimus.

Quid nos ad ista? Num reclamabimus? Non consentio. Num protestabimur? Ah frustra. Concluſum, atque sanctum est, absoluto Dominio, & potestate, nec mutari potest. Acquiescamus itaque decretis optimis, & sanctissimis; confidamusque, si iis steterimus, beatitatem & pacem tam temporalem, quam æternam obtenturos, ac possessuros.

Tu ô Pater æterne, qui dilectum Unigenitum tuum, hæredem gloriæ tuæ Angelis, & hominibus adorandum proposuisti; eundemque ducem, ac doctorem proclamasti; da ut nullum præter illum Dominum agnoscamus, ipsius imperiis acquiescamus, non fugacia, sed sempiterna tabernacula struamus, & possideamus. Fiat.

* * *
* *
*

CON-

CONCIO. XVII.

IN DOMINICA III. QUADR.

Tunc vadit, & assumit alios septem Spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Luc. 11. 26.

ARGUMENTUM.

Epilepsia peccatoris morborum omnium perniciosissima.

MOrbos inter alios corporis, quibus invalidum, & caducum animal homo obnoxium est, pergravis, periculosus, & extremè pernicioſus meritò habetur Epilepsia. A. Alia enim morborum genera, utut discruciant, hominem sui compotem relinquunt; hæc verò & opprimit languore, & sui impotem reddit; & in tantum quà stridore dentium, quà jactationibus enormibus dehonestat, ut à malo genio obsessus videri possit; quisquis eidem morbo obnoxius est. Eam obtem vernacula nostra indigitatur, daß höchste / quasi summum, ac gravissimum malum, quod homini evenire potest.

Verum meliore Calepino id de morali Epilepsia, seu de relapsu in expiata paulo ante scelera intelligitur, diciturque, Hæc enim ob summum ingratitudinis vitium mirum in modum aggravatur, & quantò Majestatem divinam indignius exasperat; tantò graviora, ac certiora in se devolvit supplicia. Quod ut planum faciam à Spiritu tuo, Christe Assertor, gratiam efflictim exoro.

Partitio.

II. Triplicem infelicitatem, ac infortunium Servator noster reincidenti in peccatum in hodierno Evangelio denuntiat. Primò ubi unus erat diabolus, ibi reiterato peccato intrant agmine uno complures. Secundò ubi fuerat diversorium, ibi evadit patria diaboli. Tertiò quod in deterius semper proruat, ac severioribus obnoxium se reddat suppliciis.

§ 1.

§ I.

Primum Epilepsiæ malum præpotens malevolorum Spirituum dominatus.

III. Quod primum concernit infortunium, & damnum clarè de eo testatur Evangelium præsens: *Tunc vadit, & assumit septem Spiritus nequiores se.* Luc. 11.

Id ut liquidius reddam præmitto triplici ratione quempiam à malo Genio posse mancipari. Imprimis spiritualiter, dum ob crimen quodpiam lethale commissum evadit quadantenus vernaculus juris diabolici, & ejus tyrannidi mancipatur. Subinde corporaliter duntaxat, ut Energumenis, seu exercitatis multis usuvenit, quibus citra peccatum divino, inscrutabili consilio, ad eorundem aut exercitium, aut ad aliud gravius malum avertendum, dominatus. Tertiò corporaliter, ac spiritualiter simul, quum homo lethali crimine animam polluit, ac idcirco Sathanæ addicitur in corpore, & anima distorquendus; quemadmodum S. Paulus fornicarium illum Corinthiacum tradidit ei divexandum, quatenus castigatus resipisceret, & beatitate sempiterna potiretur.

Orig. hom. 8 in Exod.

Præmitto secundò cum Origine dœmones mutuò sese juvare ad exitium nobis creandum, identidem à pluribus unum; imò prout sacra testatur historia, ab integra legione infestante possideri.

Recidivus à pluribus obsessus dæmonibus

Quibus præmissis quæro, quinam sint hi septem deteriores Spiritus in recidivum debacchantes?

IV. Respondet Theophilactus: Cum quis semel grandi quopiam piaculo se contaminat, unus diabolus intrat, secunda vice alter, tertia tertius, & ita consequenter, non quidem corpus excruciando, sed quod multò deterius animam possidendo. Colligit id ex contextu sacrorum voluminum, ex quibus liquet post sumptam buccellam panis intrasse Sathanam in Judam. In quem locum scitè citatur vetustissimus Origenes, quotus ille? primus, an secundus? Et sibimet nodum solvit, dicens: Post primam buccellam primus, si secundam buccellam comedisset, secundus introisset. *Theoph. h. l.* *Ioan. 13.*

Infelix anima, quæ tales hospites recipis, quid agis? quid meditaris? Male tecum ageretur, si ab uno ejusmodi carnifice vincta fores; quid cum integrum infernum tecum circumfers? Unus avernalium tortorum accepta licentia quantopere desæviit in innocentissimum virum, quomodo igitur plures in noxium tuum caput non animadvertent? *Orig. in Ioan.*

V. Respondet secundo Dionysius Carthusianus septenarium poni pro numero multiplici; quasi dicat Dominus; redibit Sathanas expulsus cum cohorte integerrima. Videns enim dœmonium prius ejectum dispositionem hominis, à quo fuerat exturbatus, perversam, accommodatamque sibi; alia dœmonia se nequiora invitat, quatenus densato agmine in illum irruant, validius una depugnatura pro castro suo. Hi Lemures ad officiendum homini accinctissimi promptissimè annuunt, advolantque cum illo; & Numine permittente homine illo pos- *Dion. Carth. h. l.*

potiuntur, Ibi tum primum firmius moliuntur præsidium, ibi tyrannidis suæ Babylonem condunt; ibi regnant, ibi perinde ac flamma in omnem partem spargunt incendium. Ex corde enim, tanquam ex ipso foco ignea spicula vibrant in omnes animæ facultates, sensusque, graviora profundioraque illaturi vulnera. Inde spargũt fumentem veneni virorem iram inflammaturi, inde vulnerant jecur, ad illicitum impotenter excitaturi Cupidinem, inde splenem feriunt, ad lasciviam extimulaturi. Indidem ardentem jaciunt phalaricam in oculos, ut luxuriosè, ac curiosè circumquaque intueantur; aures reserant, ad excipienda verba inhonesta, & detractoria; linguam solvunt ad verba calumniosa, mendacia, blasphema; gustum ad exquisita ferc[u]la, & intemperantiam acuunt; crassas offundunt nebulas memoriæ, ne vel Dei, vel minarum, vel beneficiorum recordetur; intellectum obtenebrant, ut amores esse indultos; ultionem, laudabilem dexteritatem; crudelitatem justitiam arbitretur; voluntatem demum ad præposteros avaritiæ, libidinis, ambitionis affectus inflectit, cogitque. Prô quanta hæc crudelitas! quanta tyrannis!

Dæmonis tyrannis

VI Respondent tertio alii, in sensu mystico per hos septem Spiritus designari septem vitia capitalia; quæ multo nequiora sunt ipso Tartareo vastatore, & longe gravius nocent homini, quam officere queant ipsi Lemures Averni. Ita S. Ambrosius: *Septem Spiritus sunt septem vitia, quæ quidem & diabolum, & omnes carnifices, & tyrannos in homine perdendo longissimè superant.* Hi enim semoto peccato parum, aut nihil obesse possunt, certe auferre salutem nullo modo queunt. Sciens hoc itaque dæmon omnes vias scrutatur, quibus hominem in graviora & graviora scelera præcipitet.

S. Ambr. c. 3. in Apoc.

In hunc finem scite quispiam commentus est, diabolum malitiam sibi desponsasse uxorem, & ut lolium semen per fertilissimè propagatur, ex ea septẽ proles puellas procreasse. Harum uni nomen inditum Superbiæ; alteri Avaritiæ, tertiæ Gulæ, quartæ Iræ, quintæ Invidiæ, sextæ Acediæ, septimæ Luxuriæ. Has jam maturas viro, amicitiam sibi mortalium conciliaturus, variis procujusque genio despondit. Primam cognomento superbiam summatibus hujus mundi; divitiisque pollentibus, ac nobilitate generis inclitis copulavit. Et cum virgines illam summopere deperirent, iis etiam communem reddidit. Juniorem paulo Avaritiam Mercatoribus, atque circa rerum commutationem distentis jugavit. Illis inquam, qui vel usuris dediti, vel fraudibus; vel triplo carius res vendunt, quam mercati sint. Tertiam inde Gulam Asclericidis, illisque sodalib⁹ denupsit, qui quidquid integra septimana lucrati sunt instante die solis totum de coquunt. Quartam Invidiam nempe Opificibus, & gregarias artes exercentibus exposuit. Quintam Iracundiam, (contra naturæ leges, quæ fœminas imprimis miles reddidere) mulierib⁹ elocavit. Sextam Acediam dictam studiosis addixit, qui non nisi recreationibus, lusibus, deambulationibus delectantur, parentum suorum sũpt⁹ prodigũt, cerebrũ nõnisi inanitate

Fabula de diabolo malitiam sibi desponsante

&

& vanitate replent. De septima autem teniore Luxuria id consilii cepit, ut nullius quidem propria foret, omnibus autem in sua familia communis. Hac ratione arbitrabatur sese quam plurimas in suam amicititam pellecturum. Nec callidum versuti Alastoris consilium eventu caruit, innumeros hoc astu cepit, atque ad Tartara præcipitavit.

Vitiorum fœtus

VII. Ego id unum addo, & contor, num fœtus quispiam ex ejusmodi matrimonio, seu copula subsecutus? Et invenio, quod copiosissimus. Quippe superbia genuit Jactantiam, ambitionem, Hypocrisim, Præsumptionem, Tumorem, Contemptũ aliorum, Pertinaciam, Discordiam, Inobedientiam, Rebellionem. Avaritia enixa est Immisericordiam, Usuram, Fraudulentiam, Mendacium, Perjurium, Oppressionem pauperum, Simoniam. Invidia parturiit Odium, Contumeliam, Convitium, Gula edidit Immunditiam, Ebrietatem. Ira protulit Juramenta, Blasphemiam. Acedia Teporem, Mollitiem. Somnolentiam, Otium, Tarditatem, Negligentiam, Inconstantiam. Luxuria denique prolem prope innumeram profudit. Ita ubi non ocius contractum cum Sathana dirimitur matrimonium, sine fine vitiorum pullulant capita, soboleſcunt nepotes. *Venit diabolus, & assumit septem nequiores.*

Videat itaque quisquis spurcissimarum harum filiarum uvam sibi copulavit, quatenus illico rescindat contractum, ne prole spuria ipsemet aggravatus distabescat, ac perditè pereat. Invigilet ne instar viperæ in parentis viscera dæseviant, aut Furiarum loco in abyssum inferni præcipitem agant. Caveat inquam ab Epilepsia voluntaria, ne diabolus, assumptis septem nequioribus, ipsius præcordia occupet.

§. II.
Alterum Epilepsiæ spiritualis malum.

VIII. Aliud damnum quod Dominus denuntiat Epilepticis est, quod ex hospite, Sathanas evadat Inquilinus; seu hospitum animæ in suam domum, ac possessionem convertat. *Ingressi habitant ibi.* Et ipse diabolus de ea domo tanquam sui iuris facta egurgitat: *Revertar in domum meam.* q. d. Satis superque hactenus peregrinatus sum per devia, & invia, per loca sterilia, & arida; jam domum propriam in qua quietus degam, nanciscar: *Revertar in domum meam.*

Recidivus non facile convertitur

Quum semel exorbitat homo, tum diabolus primum pedem figit in cordis atrio, ibique hospitatur, dicente Domino: *Cum fortis armatus custodit atrium suum,* tum est indifferens ad manendum, vel migrandum; faciliusque exturbatur. Sed ubi secundo animam alicujus voluptatis illecebra suam reddiderit, habitat ibi, nec tam levi brachio eliminatur. Quippe si nec Hercules contra duos, quid contra septem, imo plures Tartareas potestates elumbis peccator vincet? Clament contra ejusmodi obsessum Ecclesiastæ, admoneant amici, percellant

Confes-

Confessarii, inspiret Deus ipse, in calsum recident omnia, ipse petræ instar manebit immobilis, quoniam fortis armatus habitat ibi.

IX. In domibus emptis augustioribus magnates sua stemmata, marmori, aut æri incisa statuunt, tum ad nominis sui gloriam evulgandam; tum ad indicandum se esse possessores stabiles earum, nec cessuros eas aliis. Videte quid faciat Sathanas, ut primum & ipse domum splendidam cujuspiam animæ absoluti prope juris sui reddiderit; & ipse inibi, Philone contestante, (accedente imprimis perversa consuetudine) characterem imprimit; vix unquam serio abolendum. *Habitat ibi. Inibi characteres malitiæ exarat.*

Philo.

X. Quid igitur fiet ejusmodi domo? *Requiescent ibi bestiæ*, ait Isaias Vates, *& replebuntur domus eorum draconibus, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ in domibus ejus.* O misera anima, ô infelix recidive! ecce quæ te sors manet. Ubi Deus habitabat, ibi nidulabuntur dracones dœmones, & Faunorum instar insultabunt tibi. Tu autem velut noctua quæpiam inter mille erumnas assidue ingemisces, & exululabis, nec tamen ex cavernis tuis egredieris, ut ad vitam meliorem te recipias. *Requiescent ibi bestiæ.* Deus à te spretus ipse sua subsidia singularia subtrahet, nec favores tam uberes ultra dispensabit. Nam ut ait Apostolus: *Voluntariè nobis peccantibus, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccatis nostris, terribilis autem quædam expectatio judicii.* Elongantibus

Isa.13.21.

Heb.10.26.

sese voluntariè à Christo, sive per Apostasiam, sive ut interpretatur Clemens Alexandrinus, per quodvis peccatum lethiferum ægre, aut vix relinquitur hostia pro peccato, qua illud expient, & ad Deum sincere se recipiant. Non quod nullum omnino supersit remedium ad Sathanam exturbandum, & domum Christo reconciliandum; sed quod merita Christi ejusmodi recidivis difficilius applicentur.

S. Clem. Al. lib. 2. Strom

X. Hinc acutissime observavit S. Ambrosius, facilius inveniri, qui innocentiam servaverint, quam qui congruenter egerint pœnitentiam. Facilius dari, qui primum liquorem gratiæ in Baptismate haustum minimè profuderint; quam effusum iterato clarum, & limpidum collegerint. Facilius numerari à sagitta lethifera illæsos, quam post vulnus peccati susceptum perfectè, & citra cicatricem sanatos. Facilius decuriari posse amicos, qui amicitæ cingulum nunquam dissuerint; quam qui eundem dissutum æquè bellè resarserint. Fucata enim ut plurimum horum assolet esse pœnitentia, & umbratilis dolor, vix infra fauces unquam ad cordis sese demittens penetralia.

Innocentia facilius custoditur quam perdita recuperetur

S. Ambr. lib 7. de pœnit. c. 20.

XI. Exinde dijudicare pronum est, quam ampliter sibi imponant, qui animæ suæ omnem securitatem pollicentur, & redituros cum ejurato à se Domino in gratiam ubi libuerit, perinde acsi omnia resipiscendi media sui juris essent. Audiant hi Apostolorum intonantem: *Non est volentis, neque currentis, sed miserantis Dei.* Non est inquam tam volentis, aut currentis,

quam Dei miſerantis, & adjuvantis; gratiæ prævenientis, concomitantis, & ſubſequentis. Vel ut Molina ex Enchiridio S. Auguſtini exponit: *Non eſt volentis ſcilicet velle, neque currentis ſcilicet currere; ſed Dei, qui ſua miſericordia, & gratia nos excitat ad velle, eique cooperatur. Nam velle etiam noſtrum eſt, ſed præparatur, ut velit voluntas à Domino.* Etſi enim tua voluntas requiratur ad converſionem, (non enim te ſalvabit ſine te, qui te creavit ſine te) illa tamen manca eſt, ad aliquem actum ſupernaturalem eliciendum, niſi divinæ gratiæ adminiculo adjecta fuerit.

Lud. Molin. ex S. Aug. Ench. c. 32.

Quantæ igitur dementiæ eſt eum offendere, citra cujus dexteram nec ſurgere, nec movere, nec aſpirare ad bonum queas? Quanta inſania ſeſe in abyſſum quampiam præcipitare, ex qua nullis humanis viribus extrahi valeas? Quanta phreneſis, cum ſolius Numinis auxilio ex eo evaſeris, iterato eidem liberrima voluntate immergere ſe profundo? O peccator, dum tempus eſt, muta mentem; & ad ſaniora conſilia te recipe. Deus non irridetur, quem centies in miſericordia, & in miſerationibus multis recepit, tandem juſtiſſima inflammatus Nemeſi repellit.

§ III.

Tertium Epilepſiæ moralis detrimentum.

XII. Tertium ex Evangelii contextu Relapſus damnum eſt, quod graviora poſt ſe trahat ſupplicia. *Erunt pejora prioribus*, nempe ut in culpa, ita & pœna. Quod ut in genere omnibus & ſingulis dictum eſt; ita particulari Paralitico illi ad Probaticam piſcinam ſanitati redonato: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ex quo loco S. Chryſoſtomus tria corollaria deducit.

Recidivi graviùs puniuntur

Ioan. 5.

Primum eſt hominem illum occupatum fuiſſe ea ægritudine ob crimen aliquod perpetratum: *Admonemur*, ait, *quod ex peccatis morbi generantur.* Unde eidem Dominus: *Ecce ſanus factus es jam noli peccare*, ne nimirum iterato incidas, & gravius plectaris.

S. Chryſoſt. h. 37. in Io.

Alterum eſt: Supplicii tempus eſſe prolixius tempore perpetrati flagitii. *Admonemur*, ſubdit, *quod verum eſt, apud gehennam maximum, atque perpetuum eſſe ſupplicium.* Momento prope peccatum homicidii, aut alius alterius committitur criminis, & tota æternitate non expiatur. Non enim tempore peccata, ſed peccantium animo, & ex innata ipſorum malitia judicantur, ac diſcernuntur. Ipſe hydropicus unico forſitan quadrante, aut dimidio peccavit, & totis triginta octo annis multatus eſt; multandus ultra, niſi Dei benignitas ſeſe interpoſuiſſet. Ita brevi peccatum patratur, & longiſſimo morbi tormento plectitur.

Tertium quod propoſitum meum concernit eſt, daturum illum, qui in eadem peccata relabitur pœnas graviores. Qui enim ſupplicio non fit melior, tanquam ſtupidus, & contemptor graviora ſibi creat tormenta. Jure in eum Dominus ſæviore animadvertit flagello, qui funiculis renuit atrahi

trahi charitatis, nec virga eruditi correptionis. Eapropter non illum duntaxat infirmum; sed una nos omnes Dominus adhortatur: *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Noli peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam, ne acerbiora in te devolvas supplicia. *Tantam enim*, ait præfatus Pater, *pro his, quæ post baptismum commisimus dabimus pœnam, quasi & illa revocata sint, ac multo etiam graviorem.* Non quod DEum concessæ indulgentiæ pœnitent; sed quod illius bonitate abutamur. Eapropter quò major Dei benignitas extitit erga nos eo sævior erit & ultio.

S. Chrysost. hom. 1. in Acta

XIII. Deprehendit Dominus semel, iterumque, ementes & vendentes in templo, & quantum colligere licet ex S. Joanne principio modestè eos redarguit dicens *Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Templum destinatur orationibus, non commerciis, præcibus ad Deum fundendis non profanis colloquiis, & susurris. Anno postmodum evoluto Christus rediit ad templum, invenitque iterum institores vendentes; & plenas nummulariorum mensas. Sed jam eas tolerare non potuit: *Ejiciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit: Et dicit eis: scriptum est: Domus mea domus Orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Quænam hæc metamorphosis? Primum indigitavit eos negotiatores, nunc autem vocat latrones; primum pacatè eos redarguit, jam vero in furore ex templo exturbat; primum nec nummos, ac merces tangit, jam vero & nummulariorum mensas evertit. Quid obsecro causæ; Illud sane, quia vidit illos secundum sua monita, anno integro in sua culpa perstitisse; idcirco asperius objurgat, & plectit nocentius. Qui enim, præfractè in peccatis perseverat, is tandem eo graviorem in se accersit Domini manum, quo tardiorem.

Cur Christus flagello ex templo expulit.

Joan. 2. 16.

Matth. 21. v. 12. 13.

XIV. Magnus ille secretarius Numinis, intimusque S. Joannes inter alia mysteria divinitus sibi concredita; vidit *equum unum pallidum, & qui sedebat super eum nomen illi Mors; & infernus sequebatur eum.* Ex sensu nonnullorum interpretum per Mortem sedentem super equum pallidum intelligitur peccatum; quod sane mors est miserabilis animæ. Verum cur illud præpropere sequitur infernus? Si quodvis peccatum illico pœna inferni multaretur, quotusquisque salvus fieret? Divina pietas spatium pœnitentiæ prorogat; & reditum prodigorum filiorum sæpiuscule in patientia præstolatur. Ut mysterium assequamini notate colorem illius equi; en totus pallidus erat, canis obsitus, inveteratus, Acheronticus. Ah eheu hunc sequitur infernus, quem in senecta ipsa nulla revocare à scelere poterant monita.

Apoc. 6, 8.

XV. His damnationem extremam ore Isaiæ Prophetæ minitatur Dominus dicens. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo vanitatis.*

Relapsus damnat.

Isa. 5, 8.

Væ ait, quod ſonat ſæpiſſimè ultimum, & inevitabile ſupplicium, abſque ulla ſpe veniæ. Væ qui ex culpis funem texitis, qui alia peccata aliis adſtringitis, qui inſtar torni eadem continuò rotatis, ex illis funiculum ſtrictiſſimè colligatum elaborantes; qui æmulantes funium artifices culpas in longum protenditis, & per menſes, annoſque protelatis, culpas culpis intexendo. *Væ vobis quia miſerè peribitis,* Nam ut interpretatur S. Hieronymus: *Nō Plangit eos, qui peccare cœperint, ſtatimque deſierint, ſed qui longo funiculo peccata protraxerint.* Non lamentatur Vates ſupra Novitios peccatores, ſed ſupra Profeſſos. Non minitatur incipientibus peccare; ſed trahentibus peccata in funiculis. Primi pietatem ſperent, alii ſupplicium expaveſcant. Minatur hic Vates illis Chriſtianis, qui ut per prava, & devia in circuitu ambulant; ita in eadem ſcelera relubricant; qui ſerpentinis quaſi voluminibus eurrendo, recurrendo, iiſdem flagitiis implicantur ad idem malitiæ centrum revertentes; aut inſtar navis fatiſcentis tantumdem parte ex altera aquæ attrahunt, & ſordium, quantum ex una fuerit extractum. De his enim enuntiat Apoſtolus: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſtè, & participes facti ſunt ſancti Spiritus, & prolapſi ſunt rurſus renovari ad pœnitentiam.* Non quod omnino fieri nequeat, ſed quod tam rarò contingat, ut prope impoſſibile Apoſtolo viſum fuerit. Merito itaque dictum eſt, & *ſiunt poſteriora deteriora prioribus.* Deterira, quod homo improbus frequentiſſimè relapſus in ſcelera, quo deſtinavit tempore ſe reſurrecturum ad pœnitentiam non amplius, aut vix amplius reſurgat.

S. Hier. hocl.

Heb. 6.

Epilogus.

XVI. Hos quicunque ii ſunt moneo & adhortor per pretioſiſſima redemptionis noſtræ pignora, per animæ ipſorum ſalutem, tanto impendio accuratam, per quidquid carum, & ſacrum, quatenus ſerio reſipiſcant, animumque contra vitia quævis obfirment, ne fiant noviſſima ipſorum pejora prioribus.

Statuant ſibi ob oculos Exemplar illud veræ pœnitentiæ, Sanctam inquam M. Magdalenam, de qua Dominus ſeptem Spiritus nequam profligavit.

D. Magdalenæ propoſitum quale

Recenſet de ea D. Cyprianus, id, reſipiſcendo, in animo ſuo decretum firmius ac in ſilice inſculpſiſſe: *Si totam faciem meam ferream, & aneam non reddidero, ſalvari ex turpi inundatione laſciviæ meæ non potero.* O verè ſanctum! ô verè firmum! ô verè adamantinum animum! Illa quæ ante ambiebat in alabaſtrum, in gemmas, in margaritam tranſformari, jam geſtit inexpectata metamorphoſi in metallum duriſſimum tranſmutari. *Si totam faciem* &c. Illa quæ curas, ſtudiaque omnia eò direxerat, ut cuticula ad inſtar auri effulgeret, Splendida, & incruſtata, amaſiis placitura; jam mutat vota, ardetque aurum hoc in æs refingi, teneritudinem in ferrum, ſplendorem formæ in ærugi-nem converti. *Si faciem meam* &c. Illa quæ prius tota quanta cerea exti-

D. Cypr.

tit,

tit, faciliſque in vitia flecti, jam geſtit in ſypilum aut ferream columnam recudi. *Si totam faciem meam* &c. Quorſum hoc? Non aliò quam ne reſpectibus ullis ſubinde à propoſito abduceretur; ut ferri inſtar conſtans ſubſiſteret, nec vi ulla, aut ullis illecebris abripi ſineret. *Si faciem meam* &. Si oculi mei etiamnum ſcintillabunt, ſi huc atque illuc rotabuntur; ſi lingua itidem, quaſi in funda girabitur; ſi inflammaverit rotam nativitatis, ſi inſtar gladii ancipitis acuetur; ſi pedes feſtini ad ſaltum, ad choreas, ad declinandum per Semitas obliquas; *non potero ſalvari.* Ferreum, æneum, adamantinum habeam pectus neceſſe eſt, ſi ſalva eſſe intendo. Facile lædi-tur, traiicitur, & perit, quiſquis præcordia ſua conſtantiæ clipeo non obfirmaverit. *Si totam* &c. Hoc propoſitum obſtetricabatur ſaluti ipſius, hoc ſanctitati, hoc perfectioni. Hoc effecit, ut aliis recedentibus, & deficientibus ab amore, ipſa intenſius inflammaretur, ac proficeret. Hoc ipſam ut in hac vita ſtabilem, ita de futura reddidit ſecuram. *Si totam faciem meam* &c.

Quod hæc beatiſſima pœnitens ſibi altè impreſſerat, idipſum tibi ô peccator infixum ſit: Si totam faciem meam ferream, & quaſi æneam non reddidero, ſalvari non potero. Temet, temet decipis, quamdiu Prothei inſtar formas quaslibet, etiam abſurdiſſimas induis. *Si totam faciem* &c. Salus enim non tam in inchoata pœnitentia, quam in perſeverantia conſiſtit. Bene multos, quos primordia ad cœlos uſque provexiſſe videbantur, inconſtantia ad barathrum inferni egit præcipites.

Itaque ſi ſaluti veſtræ conſultum itis faciem ferream adverſum vitia induite, propoſitumque tam firmum concipite, ut malitis ſatius de vita perielitari, quam deliberato animo à Deo voſmet ſequeſtrare, & capitali veſtro hoſti adhærere. Ita fiet ut noviſſima veſtra non fiant deteriora ſed meliora prioribus.

Amen.

CONCIO. XVIII.

IN DOMINICA IV. QUADRAG.

Unde ememus panes? Joan. 6.

ARGUMENTUM.

Ars artium multiplicandi panem.

VUlgarius hæc mundanorũ quæstio, vel potius querela est: *Vnde ememus panes?* A. Hanc quæstionem proponit solvendam uxor viro, vir uxori: *Vnde ememus panes?* Annus est longus, dies multi, hyems dura, tempora gravissima, lucrum exiguum: Unde ememus panes? Instat contributio, census est persolvendus, vestes atteruntur, oleum deficit in vase; potus in doleo, farina in lecytho. *Vnde ememus panes?* In te ob ætatem fractam spes exigua, in sanguine minor, in amicis minima, vel nulla: *Vnde panes?* Quid comedemus? aut quid bibemus? aut quo cooperiemur? Hanc eandem volvit, & revolvit mater quæpiam senicula: *Vnde ememus Panes?* Multos educavi filios, filiasque, multæ filiæ, & filii unam ægrè educant matrem. Eandem sibi obiicit Sodalis quispiam: *Vnde ememus panem?* Cogito de uxore ducenda; *Vnde panis?* Si modò memet ægrem sustento, qui subinde filios, & servos, & ancillam sustentabo? Unde ememus panes? Caequidem non adeo carò prostat, non item panis, non item vestimentum. Facilè acquiram uxorem, sed non perinde victum, & amictum. *Vnde panes?*

Agitatur quin etiam eadem quæstio non in magalibus duntaxat, & tuguriis; verum in ipsis basilicis ædibus. *Vnde panes?* Familia multa, expensæ majores, possessiones alienatæ, supellex obærata: *Vnde panes.* Huic problemati, præsenti sermone, respondere adnitar, illius fretus gratia; cujus benedictione hodiernæ saturatæ sunt turbæ.

Narratio, & Partitio.

II. Non ita pridem libellus in lucem prodiit de arte lucrandi panem; quo viso quidam nostrorum Summatum Censuram adjecit: Ad lucrandum panem, & adrem familiarem magis est opus capite quam libro. *Non libro vivitur ingenio.* Pone enim Patremfamilias, aut Matrem sine sale, numquid tibi sapiet Oeconomia ipsius? Pone Jnstitorem destitutum cerebro, an non fortunas ipsius in spumas abire perspicies? Pone de gente fungorum opi-

Ingenio vivitur

opificem, an non tam parum panis, quam artis apud eum reperies? Utergo quis belle sibi cōsulat, ut fortunis prospiciat, opus est ad rem familiarem magis capite, quam libris. Hæc ut ad speciem glorioſè jactantur, ita ad rei veritatem minus appositè. Quis enim cogitans potest ad staturam suam adjicere digitū unum? Aut quis ingenio suo Pactolum sistere, aut compedes Fortunæ injicere? sæpenumero ubi sublime ingenium, ibi exigua felicitas.

Multo rectius ego artem lucrandi panem, non tam in ingenio, quam in manibus sitā dixero. Nobilium Aquitaniæ unus, quum in summa annonæ penuria plus cæteris abundaret; quæsitus, unde illi tanta rerum omniū suppeteret abundantia? Reposuit: *Hoc facit manus Dei, manus villici, & manus Damiani.* Idem ego omnibus aliis dictū concupio, & ex hodierno Evangelio præscribo. Vultis, ne penus vestra exhauriatur, ardetis, utin omnibus abunderis magis, contendite, quatenus vobiscum sit *Manus Dei, Manus villici, & Manus Damiani.*

In Apopht. Heroum

Manus panem multiplicat

§. I.

Manus Domini panem multiplicat.

Deus ditat

III. Ut de Manu Domini auspicer, vero verius est, quod scripsit sapiens in Proverbiis: *Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.* Non casus, aut fortunā; non fraus, aut usura; non ars, aut industria propria; sed favor, ac beneficientia Numinis, propria, ac præcipua causa est ditans homines protegensq; eos ab omni graviore molestia.

Prov. 10. 22.

Benedictio Domini divites facit.

Reducite vobis Patrem credentium Abraham, quam pauper eratille, quum exiret de terra sua, & de cognatione sua; at ubi accessit Manus Domini benedicens eum; *Erat dives valde in omni possessione auri, & argenti.* Alter textus habet: *Erat gravis*, nempe opip°, & possessionibus. Unde istud? Legite Hagiographum, & audietis: *Benedixit ei Dominus: Benedicam tibi & magnificabo nomen tuum.* Revocate nepotem ipsius Jacobum, quam pauper, & mendicus ille, quemadmodum de se testatur: *In baculo meo transivi Iordanē*; paulo post cum duabus turmis hominum, & armentorum reversus est. Unde istud? *Benedixit ei Dominus.* Sistite Josephum Salvatorem Ægypti, quam miser is erat, cum venditus, compeditus; mancipatus, & hic paulò post in solium evectus, & secundus post Pharaonem in illo regno fasces tenuit. Unde quæso? *Benedixit ei Dominus.* Mementote Jobi in sterquilinio sedentis, testaque saniem radentis, ut illi paulò post restituta sunt omnia duplicia cum redonata sanitate. Quibus artibus, & mediis? *Benedixitque Dominus magis novissimis ipsius, quam principio ejus. Benedictio Domini divites facit.*

Abraham benedictus à Deo

Gen. 13. 2.

Gen 12. 2.

Gen. 37.

Iob. 42.

IV. Divitiæ in S. litteris identidē Rori, Cisternis, & Fluminib° conferuntur. Cisternæ in Proverbiis Salomonis: *Bibe aquam de Cisterna tua, & deriventur fontes tui foras.* Id est, ut erebonis, & noli nimium esse parcus in corpore tuo nutriendo, & in subveniendo alius. *Flumini* apud Psalmistam; *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Fluunt enim, & defluunt Euripi instar

Psal. 61.

stat, nec sine periculo nimium exundant. *Rori* in benedictione Patriarcharam *Det tibi deus te Rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam.* Et *de pinguedine terræ, & in Rore cœli erit benedictio tua.* Sed quærere cum Jobo libet: *Quis dedit imbri vehementissimo cursum, & viam sonantis tonitrui ut plueret super terram? Quis est pluviæ Pater, vel quis genuit stillas roris?* Quis hoc agit, ut in hoc loco decidat imber copiosissimus, illic verò tellus in pulverem arenæ similem redigatur? Quis vaporat de cœlo rorem, aut solvit cataractas cœli? Quis inquam, nisi à quo cuncta dependent, à quo cuncta aluntur, vegetantur, conservantur! Idipsum sibi quivis de opibus dictum putet, flumina sunt quæ affluunt, & refluunt: Cisternæ sunt, quæ facile exhauriuntur. Ros sunt, qui reficit & recreat, sed à Domino cuncta redundant. *Benedictio domini divites facit. Dominus pauperem facit & ditat. Paupertas & honestas à deo sunt.*

Gen. 27.

Iob. 38. 28.

1. Reg. 2. 2. Eccli. 11. 14.

V. Aulici Vespasiani per summam Assentationem manum ipsius vocitare soliti: *Omnium rerum artificem*; perinde acsi cuncta, quæ intenderet, perficeret; Hunc efferret, illum pro libitu deprimeret; hæc pessumdaret, illa construeret; hunc locupletaret; illi vitam infunderet. *Manus Majestatis vestræ rerum omnium artifex.* Verum solius Omnipotentis dextræ hoc elogium est: Manus ipsius omnium rerum artifex: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra. Dixit & facta sunt.* Nostrum benedicere idem est quod bonum recognoscere, aut apprecari; at DEi benedicere, est facere, seu communicare bona. Unde cuicunque ille benedicit, benedictionibus adimpletur. *Dixit enim, & facta sunt, voluit & creata sunt.*

Val. Max.

Psal. 32.

VI. Ite ad hodiernum Evangelium, indagate unde tanta abundantia, unde tantum incrementum in deserto? Patet abunde ex contextu: *Accepit IEsus panem, & cum gratias egisset distribuit discumbentibus, similiter & de piscibus quantum volebant.* Inter ipsius distribuentis manus crescebat obsonium, sola benedictione exundavit inexhaustum alimentorum seminarium.

Io. 6.

Panes, ait Basilius Seleuciensis, *pariebant panes absque rustico labore parti, non de spinis erumpebant, sed de Domini manu efflorescebant.* Panis in manu Domini benedictus illico augmentabatur, efflorescebatque in uberrimos Cereris manipulos.

Basil. Sel. Or. 33.

VII. Subtrahatur hæc manus à nostris conceptibus & utut semina verimus, sudaverimus, mercati fuerimus, operam ludemus parum, aut nihil lucrabimur. Etenim *nisi Dominus ædificaverit civitatem frustra vigilat, qui custodit eam.* Impende curas, statue vigilias, confer omnem industriam, frustra vigilas, frustra desudas. Hinc tot infaustæ nuptiæ, tot rei familiaris jacturæ, tot rerum publicarum eversiones, ac omnis prope calamitas originem trahit; quia nimirum in consulto Deo sua prudentia, suisque nixi vixibus ea sunt aggressi.

Labor sine Deo irritus

Psal. 126.

VIII Liquidumid ex S. Petri etiamnum lini magistri irritis vigiliis: de quibus ipse: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Non nos pœniteret operis, si vel parum ad explendam

Luc. 5. 5.

plendam famem nacti fuissemus; sed nec oculum extraxisse emacerat. Tam irrito labore totam noctem illam peritissimus alioqui cymbæ, liniique magister traduxerat. Mox accedente manu Domini, & eodem in Verbo ejus rete laxante, concluſit tantam multitudinem, ut rumperetur rete. O opifices, cæterique Patres familias, quibus nihil ex voto fluit, quid est quod multa negotia vobis minus succedant, quod diu meditata in transversum agantur? Quid est quod totas sæpe noctes in negotiis excubetis, quod oleum & operam perdatis? Verum est desudatis, verum est vigilatis, in suendo, fabricando, secando vos prope rumpitis; fateor pretium duplum sæpe exigitis, captatisque; & tamen hæc omnia parum aut nihilum proficiunt, semper idem inopiæ saxum volvitis, omnia lucra in sacculum pertusum mittitis, quidquid influit, effluit; quasi ad Danaidum dolia damnati in cassum laborem vestrum impenderetis. Quin illa ipsa, quæ vobis profutura videbantur, officiunt. Illa ipsa, in quibus rosas vos decerpturos ominabamini, aculeos infiunt; illa ipsa, quæ decus paritura videbantur, infames reddunt. Unde hæc? Quia manus Domini abest, Nisi Dominus &c. Ergo si incrementum frugum exoptatis manum Domini invocate, & cum eadem auspicamini.

§ II.

Manus Villici panes multiplicat.

IX. Verum etsi ita ditet Manus Domini, illique potiores partes in acceptis referendæ sint; attamen & nostras manus jungere Dominicis pareſt. Etsi Deus det panem in campo, nulli tamen assa columba de cœlo venit, nulli in furno cœlesti pistus excoctusque exhibetur, subigendum hic far est nostris manibus, atque ita masticandum. Eapropter præfatus nobilis Manui Domini junxit manum Villici; industrii nimirum, & fidelis. *Phil. Apoll. lib. 3. c. 8.*

X. Philostratus Apollinaris recenset Jorcham Brachmannorum Antistitem mensas eo struxisse artificio, ut suopte motu incederant, conviviſque obviarent. Itaque Regi ab ipso invitato obviam proceſſiſſe, perinde acsi animatæ forent, & signo dato cõstitisse

Celeberrima item est solis mensa in Ægypto, quam vulgo inscio adornare soliti magnates, plebi eam opinionem ingeneraruntquasi ab ipso Phœbo ea obsonia illis cummunicata, altiliaque assata, frixaque devolascent. Verum ejusmodi abaci nobis minime expectandi, siquidem ut dixi: *Nullis de cœlis assa columba venit.* Vel ut canit Horatius: *Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.* *Hor.*

Irrevocabilis illa lex Protoparentibus lata: *In sudore vultus tui vescēris pane tuo.* Non in otio, somno, torpore; non in lusu, & recreationibus; non in fallaciis, & offuciis, sed *in sudore vultus tui vescēris pane tuo.* Utut aliis arrideat panis mēdatii, & fraudū; utut furtivæ aliis aquæ dulciores, beatior, conducibilior, salubrior est proprio partus labore. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*; occinit Hymnopæus. Quia non alienum panem comedes, non furtiva pocula liguries, sed manibus tuis partum *Gen. 3. 19.* *Labore vivitur* *Psal. 127. 2.*

tum, beatus est, & felix.

XI. Compertum id opinor erat illi simplici Vinitori, qui cum multos relinqueret filios superstites, morti vicinus, iis convocatis, hæc in postremis commisit: Ego ô filii mei carissimi à diuturno labore tandem ad quietem evocor, antequam tamen à vobis omnino sejungar bona vobis reposita indicabo. Nec verbis multis utar. In unica mea vinea reconditum thesaurũ habetis, fodite, & invenietis. Dixit, & vixit. Filii à funere vix regressi vertere palâ cespites, confringere glebam, sarrire terram, & totam adeo itaque circumfodere vineam sunt aggressi, thesaurum reperturi. Verum nullo invento vineam fertiliorem reddidere, quæ illis thesauri instar est reddita. Ita & manus movendæ cum Jove, si bonorum illius participes esse intendimus.

XII. Langueat hæc manus, & parta duntaxat dispenset, si vel Cræsi, aut Crassi opes fuerint exhaurientur.

Val. Max

Cleomenes Rex Spartiatarum mirabatur nonnunquam incoram consorte sua quod licet regno amplo, & divite potiretur, tributisque gaudere: amplissimis nihilominus in exodo anni parum, aut nihil in thesauro supereset. Cui Consors: Ne mirere Domine mi Rex; cum multos in aula nostra servem fucos, ac passeres, videlicet mimos, & assentatores otiosos. Quod enim fuci in alveariis, passeres in campo; id adulatores in aula; & illi & isti mel, & frumenta decoquunt, depredanturq;.

Non applico ne impingam in quospiam nugivendulos, sed tantum addo pergratam accidisse Regi Consortis suæ admonitionem; & ab ea id consilii accepisse, ut subinde munificentiæ suæ cataractas nonnihilum sisteret; *Nolim*, inquit, *te Domine Rex amphoram esse domituæ, sed anchoram.* Nolim ut te trahant palpones mercenario præconio instar amphoræ per mensam, jam in hanc, jam in illam partem, quoad exhauriant. *Nolim te amphoram, sed anchoram*, ut sistes, ut firmes, ut solides regnum tuum, & bona tua. Nolim ut quidquid in portum tuum invehitur, illico evehatur; quidquid in horrea congregatur, absumatur; quidquid in thesaurum infertur profundatur. *Nolim te amphoram sed anchoram.*

Temporalium bonorum usus qualis

Idem ego aliis enuntio, etsi sensu paululum disparato. Nolo vos amphoras, ut totum id, quod per septimanam infudistis, die solis exhauriatis. Malim amphoram, ut quidpiam pro futuris necessitatibus reservetis; ne in tempestate belli, aut alterius infortunii, ad scopulos desperationum allisi naufragemini. Volo ut dispensetis, ubi dispensandum; retineatis, ubi retinendũ. *Volo vos anchoras non amphoras.*

XIII. Invitata Mater JESUad nuptias cum eodem dilecto filio suo, intuensque præsentem in mensa defectum, in aurem demisse eidem insusurrat: *Filii mi vinum non habent.* Succurre, opitulare, & manifesta divitias gloriæ tuæ. Si id intuitu aliorum præstare renuis, me Matrem, quam semper observare es solitus, respice, & amore mei elargitor. Quid ille? *Nondum venit hora mea.* Veniet tempus, quo dispensanda illis est gratia mea; quo propinandum vinum, quo amicus excipiendus; sed nondum venit hora mea. Præstolare paululum, quatenus desideria

Ioan. 2.

desideria dilata acuant saporem, & gratiam reddant acceptabiliorem.

XIV. In hodierno Evangelio Dominus hospites suos non volucrum, aliorumque animalium carnibus saginat, non delicatioribus convivium bellariis cohonestat, non vinum massicum propinat, sed panem nauticum; & pisciculos à puero paupere præstinatos dispensat. Quorsum hæc? Ut nos doceret, tempora tempore temporenda; necessirati, non cupiditati indulgendum; anchoras esse, non amphoras.

Imitetur hanc Christi frugalitatem bonus Villicus, sit manus ipsius prudens, sit compendiosa, sit laboriosa; sit anchora, non amphora, reddat unicuique, quod suum est, & panis haud defuturus.

§. III.

Manus pauperum augmentat panem.

XV. Tertio ad augendum panem plurimum commodare rectè existimavit præfatus Princeps *Manum Damiani*; pauperis nimirum miserrimi à se aliti. Eleemosina enim semen quodpiam est, & manus pauperis ager, cito reddens serentibus fructum. Sat liquido Doctor Gentium id Corinthiis in hæa verba inculcavit: *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Exiguum seritur, & plurimum metitur, micæ distribuuntur, & latifundia implentur, panis particula sæpe fasto non capitur granario. *Qui seminat in benedictionibus* &c. Qui seminat abundanter, metet itidem benedictionem copiosissimam.

Eleemosyna semen fertile

2. Cor. 9.

Fœtilitas rara Plin.

XVI. Ad stuporem exaggerat Plinius feracitatem Affricæ, testatus ex uno modiocentum quinquaginta identidem colligi, & ex uno granoquadringenta germina Augusto Cæsari ad miraculum fertilitatis exhibita fuisse. Verum ut ait S. Chrysostomus: *Fertilior est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum.*

S. Chrysost. in Ep. 2. ad Cor.

Mirandum est illud fœnus, quod Ægyptus, aliæve gentes gloriantur, mundante imprimis Nilo. At Fœcundior est ager pauperum &c.

Stupendum illud quod in Provincia Cothoc, & in Pannonia evenisse perhibent Historiographi, ut triticum in auream messem excreverit. Verum & istis fœcundior est ager pauperum, fertiliorem reddit serentibus fructum. Quid enim est, quod quis serit in manibus pauperis? particula panis. Quid metit? Temporalem, & æternam saturitatem. Quid serit? obulum? Quid metis? inæstimabiles thesauros? Quid serit? vestem attritam, lacernam. Quid metit? Stolam gloriæ. Quid serit? pusillum terræ. Quid metit? portionem cœli. Sere, sere ô bone colone, cum tam copiosa sit messis, tam fructus abundans, tam ingens compensatio. Sere, quia fœcundus est ager, cito reddit serentibus fructum.

XVII. In agro terrestri industrius etiã agricola falli potest, & vel ob aëris inclementiam, vel aliis de causis spe excidere. Quisquis serit in manu pauperis falli non potest. Tenet oraculum Omnipotentis, quod cælo etiam, ac terra dispereunte inconcussum subsistet: *Date, & dabitur vobis? Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam dabunt in sinum vestrum.* Tu dabis modicum & multum metes; erogabis cochleari, & modio recipies, fragmenta dispertie, & coagitatam mensuram re-

Eleemosyna non fallit

Luc. 6.

feres. Unde hoc? Loquatur D. Gregorius: *Quidquid tribuitur pauperi si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum. Quia quod datur, sine dubio multiplicato fœnore compensatur.* Christus nos ditare voluit, non nudare, manere nostra vult, non perire; fœnus accepit non donum. Quoniam, *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Quam verus est Deus, tam verè recipies cum fœnore, & quidem si tibi proderit ad salutem etiam in hoc sæculo, sin minus in futuro.

S. Greg. h. 40 in Evang.

XVIII. Ingravescente in Palæstina summa annonæ penuria Dominus consulturus Vati suo, eundem in Sareptam Sidoniorum ad viduam quampiam destinavit. *Vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi, præcipi enim mulieri viduæ, ut pascat te.* Elias actis Deo gratiis sese ad futuram Nutricem suam accingit, salutat, & fame pressus quidpiam panis & aquæ efflagitat. *Da mihi paululum aquæ in vasa, & aquæ in vase, & buccellam panis in manu tua.* Bona vidua, quam læta ex adventu hospitis, tam afflicta egestate illico reclamat: O bone hospes deus tuus sit testis bonæ voluntatis meæ, sed & extremæ indigentiæ. Etenim eò redacta sum miseriarum, ut nec quicquam ultra habeam in potestate, nisi quod funeri meo, & filii mei prælibē, & moriar. *Vivit Dominus DEus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hideria, & paululum olei in lecytho. Colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam mihi, & filio meo, & comedamus, & moriamur.* Quis quæso hic ultra ursisset? illius fuisset? Non admisit tamen excusationem

3. Reg. 17.

Vid.

Elias; sed ait: Ne timeas ô bona Domina, sed perge, & mihi prius, quam tibi pinse, pistumque è vestigio affer. Tibi consules, si mihi quidpiam erogaveris, & quidquid dederis ad te cum auctario revertetur. Confide Deo meo, cujus tum primum auxilia luculentiora evadunt, quum humana deficiunt. Ille est cujus nutu hæc potens mundi machina regitur; qui ut vitam elargitur, ita etiam pro suo conservat arbitrio. Quid factum? Credidit mulier Vati, accinxit se labori, miscuit farinam, & en oculatissimo prodigio in ipsa subactione augeri conspicit. *Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus.* Defecerunt divitum copiæ; defecerunt, & cellaria Regis Achab, at non defecit viduæ modicum, quod habebat. Pugillus unus farinæ, & guttæ aliquot olei abundavere Prophetæ, viduæ, filioque ipsius in triennium sustentandis. Quod si vidua hæc Eliam non exaudisset, si modicum hoc panis denegasset, si sibi, filioque prius pinsuisset, si servum Dei tabescere sivisset, verò verius id quod verebatur accidisset, & farina cum oleo uno jentaculo consumpta fuisset. Jam verò quod miseratione haud vulgari, quin & naturæ ad speciem adversæ, virum Dei pluris, quam vitam propriam fecisset; tam largè illam Numen remuneratus est, ut modicum illud indeficiens cornucopiæ evaderet.

XIX. Discant hinc pusillanimes non diffidere de Dei bonitate, & si vel unus panis ad manum sit illum depromere, eumque indigo partiri, con-

confidendo de Dei clementia illum ipsum abunde remuneraturum. Monitum hoc D. Basilii in suis de eleemosyna homiliis: *Si unus tantum tibi sit panis, & ad fores rogatur, deprome illum, & tollens manum in cœlum dic: De modico do fratri, & tu Domine succurre periclitanti.* Tu nosti ô Domine, quod modicum habeo, hoc ipsum tamen, quia Te in paupere hoc reverear, communico. Tu vicissim mei miserere, & mihi egenti, ac periclitanti auxiliare. Subdit mox in solatium sequentia. *Ne dubita, quin panis, quem in hac vita dabis esurienti, agriculturæ semen ad copiam ministrabit.* Ditior eris, postquam minus habere cœperis, pauperi elargiendo. *Fœcundus est enim ager pauperis &c.* Nec potest largitatis deesse materia, ubi Christus & pascit, & pascitur. Ubicunque misericordia intervenit, res distributæ pauperibus, deficere nequaquam queunt. Augmentatille, qui implet omne animal benedictione.

Eleemosyna quomodo danda

S. Basil h. 13. de Eleem.

XX. Quod si tamen alto Divum consilio vel ne usuræ, aut versuræ gratia videare erogare, vel ut spem altius attollas, vel alio tuo bono, messis non actulum centuplum responderit, crede fide indubia responsuram in altera. *Quoniam quicunque dederit calicem aquæ frigidæ uni ex minimis istis, tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.*

Matth. 10. v. 42.

Audiit hæc quondam Evagrius Philosophus, quem Synesius Antistes ad Christi scholam, cultumque traduxerat, & tercentum auri pondo in pauperum stipem eroganda consignavit, dicens: *Accipe hæc & distribue pauperibus, & da mihi cautionem manu tua, quod Christus ipsum mihi reddet in futuro sæculo.* Accepta conditione Præsul, & auro, syngraphum exarat Philosophoque tradit. Aliquot inde annis supervixit Evagrius, syngrapha hac bene obserata, quam tandem fatis proximus sibi in manum à filiis dari unice efflagitavit. atque cum eadem tumulari. Paruerunt filii, & pro pietate debita genitori parentarunt; eadem cautione apposita. Tertius jam à sepultura in noctem dies ierat, cum Evagrius Sinesio Antistiti se visendum exhibet, eumque ad sepulchrum pergere jubet, recepturum chartam fidei testem datam. Sibi enim abunde satis factum esse, & idipsum ibidem contestatum. Facto die Episcopus cum Clero locum sepulchri adit, reperitque reseratam sandapila Syngraphum à se confectam; in defuncti manu, hac norma subscriptam: *Ego Evagrius Philosophus accepi debitum in his literis, manu tua conscriptum, satisfactumque mihi abunde est, & nullum habeo contra te jus propter aurum, quod dedi tibi, & per te Christo Deo, & salvatori nostro.* Quod miraculum procul dubio accidisse censendum est, quatenus eodem & fides pusillorum firmaretur, & liquido constaret, quod ait Sapiens: *Fœneratur omino qui miseretur pauperis.*

Evirat. in Prato spirit. c. 159.

Quod si tamen ejusmodi incredulus in hac urbe raperiretur, qui vadem, ac syngraphum etiamnum exigat, ego primum memet interpono, syngraphamque daturum polliceor, cui si non fuerit satisfactum à Chri-

sto Assertore nostro, (quod animo implicat) veniat post mortem, diem mihi dicat, refundam cum fœnore, si vel ostiatim emendicandum foret.

Sed cum saniora de vobis præconcipiam, ratum deinde, fixumque in animis vestris esse concupio, si Manus Domini, Manus villici, Manus Damiani vobiscum fuerit, vos in tempore, & in æternitate abundaturos paribus. Fiat.

CONCIO XIX.

IN DOMINICA PASSIONIS.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dœmonium habes. Joan. 8.

ARGUMENTUM.

Dominica Passionis Dies Parasceves.

DIes hodierna, nomenclatura ab Ecclesia recepta, vulgò Dominica Passionis indigitatur. A. Et hoc ex quo capite? Nondum legitur Passio Domini, nondum auditur is ductus ad Annam, & Caipham, nondum illusus, & spretus ab Herode; nondum flagris concisus, & damnatus à Pilato; nondum in crucem trabalibus clavis confixus à militibus; nondum alio quopiam supplici genere affectus a Judæis, & tamen Dominica Passionis proclamatur. Et licet mentio fiat lapidum in Evangelio, eo tamen grandine neutiquam percussus est Dominus, sed solis minis, calumniis, convitiis prosciissus. Qua ergo de causa Dominica hæc transit in Parasceven, in Passionem? Ea ipsa; quod tam enormibus sit impetitus calumniis ac convitiis. Hæc ipsa tantum Christo, vel etiam majus intulere tormentum; quantum unquam sub tempus Passionis suæ sustinuit. Quod mihi & ad elucidandum præsens Evangelium, & morum institutionem argumentum esto.

Partitio.

II. D. Jacobus Apostolus depingens nobis virulentiam linguæ humanæ,

Lingua malorum Vniversitas

manæ, nuncupat eam Universitatem iniquitatis q. d. Est unus Mundus malignus plenus injuriarum, ac scelerum. Est una Academia, cui loco Magistri præsidet Furor, ac Maticia. Una Universitas, quæ omnes Artes profitetur nequitiæ. Quemadmodum Universitas literaria septem nobilitiatur scientiis; ita & Universitas linguarum circa septem vitia Capitalia versatur, eaque promovet, ac defendit?

Calumniatrix lingua Vniversitas scelerum

Quod Sanctus hic Apostolus universim de Linguæ Phaetonte definit, id ego de Calumniatrice sola dici posse optima ratione decerno. Ipsa, ipsa est Universitas una injuriarum, ipsa officina scelerum, ipsa carnificina una tormentorum. Ipsa Academia, in qua, vel à qua Dominus septem calculis promotus est in doctorem Patientiæ; Ipsa est, quæ ad obtinendam hujus lauream, illum oppugnavit; Ipsa quæ solidissimè fundatum ostendit. Ipsa hodie experimentum sumpsit virtutis, in extremo agonæ ab ipso demonstrandæ. Ipsa Christum vinculis ferreis constrinxit, ipsa alapis, & flagris cæcidit, ipsa spinis coronavit, ipsa cruce oneravit, eidemque afflixit, ipsa demum cor eidem trajecit.

§ I.

Christus captivus à lingua calumniatrice factus.

III. Et primum quidem citra omnem id mihi cum Siracide daturi estis controversiam, gravis esse vinculum linguæ convitiantis, quam manus iisdem inodantis. Ille beatum prædicat, *qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, & qui non attraxit jugum illius.* Beatus est quem Numen protegit à lingua calumniatoris, quique in illius violentiam, maleficentiam, & maledicentiam non incidit, vel certè eam non sentit, & excutit. Cur istud obsecro? Subdit causam: *Iugum enim illius, jugum ferreum est, & vinculum illius vinculum æreum.* Vinculum sericeum linguæ edixerim, quo nonnunquam in disputationibus innodantur, intricanturque discipuli, ut nec hiscere queant.

Eccl. 28. v. 23.

Lingua convitians vinculum æneum Ibid. v. 24.

Cannabinum item, quo quispiam fulsitatis convincitur, ac redarguitur. At vinculum ferreum jugum tyrannicum, acerbissimum est, quo calumniis stringuntur ingenui, iisque innoxii. *Iugum enim illius ferreum* &c. Vinculum æreum ex multis circulis, tanquam oribus conflatur; & calumnia ab uno transit ad alium, & ex oribus illorum catenam conflat, quæ ad multa sæpius milliaria protendatur. Sonora perquam est catena ærea, sonora itidem calumnia; Fortis illa, fortis & ista, & vix Samsonis virtute rumpenda. *Vinculum illius, vinculum æreum.*

Sit aliis controversum, an Christus Dominus in captivate corporis, vinctus fuerit catenis ferreis, id mihi certum, quod captus sit in peccatis nostris seu propter peccata nostra. Certum item hamis catenarum

Thre. 4.

plus-

pluſquam chalibeis per calumnias, ac convitia in præſenti Evangelio coangustatum, oneratumque fuiſſe in anima ſua.

IV. Senſit graviſſimè hæc vincula Sara, filia Raguelis viri inter exules Iſraelitas eminentis. Hæc, ut de ea meminit libellus Tobiæ, præſciſſa à pediſſequa, quam forte redarguerat, & ſeptem virorum ab ea proclamata interfectrix, tantum animo dolorem concepit; ſeſe à communione aliorum ſequeſtraverit, inque jejuniis Deum obteſtata ſit, ut vel convitiantis linguæ vinculis, vel ipſiuſmet corporis animam ſuam expediret: *Peto Domine, ut de vinculo improperii hujus abſolvas me, aut certè deſuper terram eripias me.* Ea verecundia, ac pudore, perinde ac diploide involutam aut cataſtis quibuſdam concatenatam ſe ſenſit: ut mallet emori, quam diutius hæc vincula ſuſtinere. *Peto Domine ut de vinculo improperii hujus abſolvas me.* Si inveni gratiam in oculis tuis ô Domine, ſi tibi eſt cordi mea integritas, ſi innocentia quidpiam apud te ponderis obtinet, exaudi afflictam, & eripe. Peto te Domine per omnes favores Abrahæ, Iſaaco, Jacobo, dilectis tuis conceſſos, exaudi me, & libera. Malo terra obrui, ne ſolem videam, malo proteri in pulverem redacta, pedibus aliorum, quam hæc ſuſtinere vincula.

Sara dolor ob convitiũ Tob. 3.

Tobiæ v. 4. 13

Quod ſi unam puellam ancillæ viliſſimæ improperium tam atrociter admordit; quid cenſendum de Aſſertoris noſtri convitiis, à conferta multitudine in eum ingeſtis? An non hæc ipſa multò acerbiora eidem evenere, quam vincula cannabina, aut ex fibris arborum contorta? Tanto enim profundius penetrat, acerbiuſque torquet convitium; quanto honeſtius, ſanctiuſque impetit ſupercilium.

§. II.

Chriſtus à lingua convitiantis alapis cæſus.

V. Evenere profecto duriora his; evenere acerbiora ab ipſis alapis, ac colaphis eidem inflictis. Injurioſa perquam extitit illa, utpoteà ſcurra viliſſimo, armata manu, validiſſimè inflicta ei, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Fuit hæc alapa tam terribilis, ut ſaturatus dicatur hoc opprobrio, ſitimque graviorum expreſsè tormentorum. Veruntamen gravius dico vapulat hodie à linguis calumniantibus, ac convitiantibus.

Calumnia gravior alapa

Perditiſſimi Judæi exacerbati ſanctiſſimis monitis, miniſque Jeremiæ Vatis, extrema quæque eidem machinantur. *Venite*, inquiunt, *percutiamus eum lingua, & non attendamus ad univerſos ſermones ejus.* At quænam hæc percuſſio? Quænam alapa? Quid mollius lingua? quis livorem ab ipſa induit? Vel quænam hæc lingua? Hac oſcula aliis figimus, baſia, ſuavia damus nobis dilectis. Quænam itaque iſta? Chaldæus eam nobis explanat: *Falſa teſtimonia teſtificemur contra ipſum.* Texamus in eum contumelias,

Jer. 18. 18.

hæc

hæc sentiet acutius, quam alapas ullas alias.

Typus hic Christi Domini alapa convitiorum percussi, gravius ea ipsi accidit à lingua facta, quam à manu irrogata. Et sane nemo generosioris animi est, qui non eligat alapa cædi, quam siniſtris sermonibus proscindi, aut contumeliis onerari. Hinc vulgaris increbuit paræmia; Mallem mihi alapam impegisses, quam hæc probra in me conjecisses. Et non multo verius id de innocentissimo, sanctissimoque sequestro tenendum est? Maluisset herclè millies colaphis, cædi, quam tam enormibus lacerari convitiis,

§. III.

Christus à lingua calumniatrice flagellatus.

Lingua calumniatrix flagellis gravior

VI. Parum dico, optaret cædi non tantum alapæ, sed & verberibus, quam verbis. Incredibilis prope erat illa laniena, & dolor redundans ex conciso flagris corpore. Cæsus est enim virgis admodum duris, & scuticis asperrimis; neque in dorso, humerisque tantum dilaniatus, sed toto corpore excoriatus, ipsa carne ad usque ossa hinc inde avulsa. *Violentia crudelium flagrorum sæpe iteratorum cutem laceravit,* (loquor ore Augustini) *& carnem sanctissimi corporis Domini aperuit.* Grave, ac summè ærumnosum Domino id erat tormentum; audeo tamen propugnare, graviorem extitisse calumniam. Causam ex Ecclesiastico desumo: *Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ minuit ossa.* q. d. Gravior, ac nocentior est maledictæ linguæ percussio, quam flagrorum asperrimorum proscissio. Hæc enim in cutem duntaxat exteriorem dæseviunt, lancinant, fœdant cruentant; at lingua profundissimè vulnerat, & ad intima ossa penetrat, omne animi robur elidit, omnem gloriam devenustat. *Flagelli plaga livorem facit.* Perpendite itaque, & exigite, an non intollerabilius prope Christo Domino acciderit, proscindi verbis amarissimis, quam verberibus atrocissimis. Et alte in præcordia demittite, quoties vos alii convitiantur; toties ad columnam consistere, & flagris prope immitioribus proscindi; relaturi fructum passionis suæ uberrimum, si cum eodem Agno, coram tondente, obmutescente in vindictam non assurrexeritis; sed æquo animo irrogatas calumnias tolerare sciveritis.

S. Aug. ser. de Pass.

Eccl. 28. v. 21.

§. IV.

Christus à Lingua detractorum spinis confixus.

Lingua prava spinis acutior.

VII. Quid dicam de spinis? Si illæ verticem sacratissimum Christi pupugerunt, convitia animum ipsum confodiunt. Æculeji hæc sunt (& ut vernacula dicemus Stachelwort) qui non sentiuntur quidem in tergore, sed vel maxime in capite. Metaphora hæc Sapientissimi Salomonis est: *Quomodo si spina nascitur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum.* Quemadmodum helluo quispiam rixando, altercando, convitiis proscindendo perinde ac spinis alios confi-

Contumeliosa verba spina

Prov. 26. v. 9.

git, sauciatque; suppari ratione stultus quisque, sideratus, vel inconsideratus obtrectationibus suis alios confodit. Æquè spina, ac calumnia aculeata est. Æquè illa, & ista, si non profundius lædit, & cruciat. Quemadmodum ergo ebrius spinis suis tum realibus tum mysticis putalitibus, ac rixis proximos quosque præsentes exasperat; haud secus insipiens quisque, licet nonnunquam sententiam, aut sermonem serium proferre videatur, eum detorquet ad alios petulanter objurgandos, irridendos, vexandas probris, & injuriis afficiendos. Histricem dixeris, qui quoquo se vertit, horret aculeis, pungit, & vulnerat.

Sentibus hisce hodie coronatus est Christus Dominus, quando tam falsis admorsus calumniis. Hæserunt silvestres illæ spinæ in vertice ipsius ad usque tumulum, at istæ oppidò diutius in Judæorum, ac infidelium mentibus. Exceptis ibi sannis, & ludibriis, non minus itidem isthic. Quem, inquiunt, *te ipsum facis? Numquid tu major es Patre nostro Abraham?* q. d. Videte & obstupescite insaniam hominis, videte Patriarcharum Patrem, videte messiam personatum. Quem te ipsum facis?

Joan. 8. v. 53.

O afflicte homuncio, quisquis ejusmodi sentes capiti tuo inoculatas experiris, conare quatenus tibi in sertum, ac diadema gloriæ, ut Christo, efflorescant; Ex spinis egerminant rosæ, & ex calumniis gloria. Illis sublatis, in cassum istas præstolaris, semotaque patientia. *Si compatimur*, insonat Tuba *Apostolica*, *& conglorificabimur.* Haud incingent verticem

Rom. 8. v. 17.

rosæ, nisi prius spinæ ambiverint. Hæ coronarum omnium parentes, & obstetrices sunt, quibus soli & poli honestantur Imperatores. *Stimulus mortis*, stimulus ignominiæ, ac perditionis *peccatum est*, impatientia est, stimulus ad gloriam & regnum; adversitatum, calumniarum, convitiorum tolerantia.

§. V.

Christus per contumeliosam Linguam Condemnatus.

VIII. Postquam Christus Dominus in Passione sua corporali tam ignominiosè captus, tam indignè alapis cæsus, tam atrociter flagellis excarnificatus, tam dirè tribulis tribulatus est, vociferantibus inconditis clamoribus Judæis, & Pilatum ad ferendam in Christum sententiam urgentibus ab eodem per summam injuriam ad mortem crucis condemnatus est. Habebatur autem hoc supplicium qua apud Barbaros, qua ipsos Iudæos atrocissimum turpissimum, ignominiosissimum.

Crucis supplicium gravissimum

In libro Deuteronomii præceptum per Moysen à Domino est, quatenus ejusmodi affectus supplicio ante noctem deponeretur: *Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed eadem die sepelietur, quia maledictus est à Deo, qui pendet in ligno.* Hebræus legit: *Maledictio Dei est suspensus.* Alii: *Convitium Dei est suspensus.* Unde istud? Nempe quia supplicium hoc erat scelestis simis quibusque constitutum. Alii enim ex lege lapidibus obruebantur apud illos, alii securibus cervicem supponere coge-

Deut. 21. v. 32.

re cogebantur, alii fluminis ustulabantur; atqui in cruce evomebat animam, habebatur omnium scelestissimus. Neque enim cujusvis criminis crux pœna erat, sed duntaxat gravioris blasphemiæ, tyrannidis, latrocinii, rebellionis; ita ut maxima scelera summo hoc multarentur supplicio. Jubebatque autem confixus eadem die sepeliri, eò quod censeretur contaminare terram, nec solem illum ultra ferre posse, adeoque cœlo, terræque invisum fuisse spectaculum.

Verum si ibi proclamatus reus mortis, si ibi iniquissimam subiit sententiam, subiit itidem in hodierno Evangelio, in quo gravissimorum scelerum incusatus, reus mortis judicatus, & prope trucidatus erat à furenti populo. Et quidem à Pilato honestiore ex causa tanquam Rex Judæorum condemnatus; at vero à populo seditioso, à lingua contumeliosa tanquam Magus, Impostor, blasphemus habitus & traductus. Non minus itaque tunc à linguis passus est, quam subinde à manibus.

§. VI.

Christus Lingua maledica cruci affixus.

IX. Illud unum in dubium vocari posset, an Linguæ convitiantis tormentum, tormento Crucis Christi conferri valeat. Erat enim tormentum crudelissimum, utpote in quo per partes maximè sensitivas, ac nervosas clavi adigebantur, in quo violentissimè membra distrahebantur, in quo tota moles corporis non nisi tribus illis clavis cum incredibili dolore incumbebat. Numquid quidpiam simile etiam à linguis injuriosissimis passus est? Etiam.

Fundamentum desumo assertionis meæ ex ipsis Historiographis Passionis Dominicæ. Horum unus testatur hora tertia confixum esse Dominum; alter hora sexta. Illud tradit S. Marcus: *Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum.* Marc. 15. Istud S. Joannes: *Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Joan. 19. v. 24. Quænam obsecro est hæc discrepantia? aut quodnam in iis textibus reconditum mysterium?

Si litteræ intendamus, Caduceatores habebimus Lyranum, Carthusianum, atque alios, conciliantes sacros Notarios, & dicentes Christum crucifixum esse inter tertiam, ac sextam. *Christus cur hora tertia crucifixus dicitur.* Cum vero medium à duobus extremis participet, Marcum scripsisse hora tertia, Joannem autem hora sexta confixum esse Dominum. Quemadmodum enim nox in quatuor vigilias dividebatur, quarum singulæ tres horas continebant; ita dies apud Hebræos in quatuor partes præcipuas, (quarum quævis tres horas cõplectebatur) id est in primam, tertiam, sextam, nonam discriminabatur. Dici ergo potest Dominus hora tertia, & prope sexta crucfiixus, siquidem intra has duas præcipuas in crucem actus est.

Si mysticum sensum scrutemur, decernet pro mea parte Augustissimus Doctor S. Augustinus & *Detractor Christum crucifigit*

hora tertia, & hora sexta crudelissimo crucis supplicio Christum Dominum esse affectum. Quomodo dicitis id jactari potest, cum semel duntaxat opus redemptionis nostræ absolverit. Et ut primus Adam semel duntaxat, vel Eva Consors ipsius extendisse manum ad lignum vetitum creditur; ita & Christus in ligno crucis semel affixus. Qua ergo ratione & hora tertia, & sexta? Audite oraculum S. Patris: *Hora tertia crucifixus est linguis Iudæorum, cum clamaverunt crucifige eum. Hora verò sexta crucifixus est manibus militum.* Nempe cum Judæorum procaciſſimæ linguæ in domo Judicis Pilati sævissimè pupugerunt, ex illo momento dicitur Christus cruci affixus. Neque enim linguarum furor, ac rabies pro merito alioqui expimeretur, nisi diceretur, tunc Christum esse cruci affixum. Nimirum acerbissimum Christi tormentum Crux fuit, supra omnem humanam tolerantiam arcanis cruciatibus pœnas exasperantibus. Nam doloris augmentum factum est Amoris immensi argumentum. Ergo ut Evangelista Marcus exactè mundo propalaret, quam graviter tulerit Christus Deus contumelias Judæorum, qui Christum insimulantes acuerunt linguas suas, Evangelico ore ex mente D. Augustini palam ait; hora tertia Crucifixum esse Dominum non immanitate clavorum, sed punctione linguarum. Ac si non satis explicuisset Evangelista maledicentiæ acerbitatem, nisi illam assimilasset patibuli cruciamentis. *Hora tertia crucifixus est linguis Iudæorum.*

S. Aug. tr. 117. in Ioan.

X. Urgeo quæstionem, & percontor uter vobis videtur graviora vulnera Christo inflixisse, an Iudæi convitiando, an Pilatus immiti ligno configendo? An illi verborum tela jaciendo, an hic manus pedesque ferro transfodiendo? stabitis fortasse pro Iudæis, & minus nocuisse illos, quam Pilatum Christo, propugnabitis, Verum contrarium adstruit idem S. Pater, dum pilatum quasi occidisse dicit, Judæos verò interemisse. *Ille dixit in eum sententiam, & jußit eum crucifigi, & quasi ipse occidit, & vos O Iudæi occidistis. Vnde occidistis? Gladio linguæ.* Perpende Pilatum non absolute occisorem, sed quasi occisorem vocari? Judæos vero semoto diminutivo vocabulo expresse dici Occisores. Etsi enim ille Christum in crucem egerit, illi tamen verbis acerbissimis vulnerarunt, & verborum dolor crucis sensum longè excedebat, duriusque erat contumelias audire, quam crucem ferre. Si conferas Pilatum edictis dumnantem, cum Judæis contumeliis lacessentibus, invenies Pilatum quasi occidisse; Judæos vero sævius laceraſſe, quia dirius est convitiorum patibulum, quam lignorum. *Ille dixit in eum sententiam & quasi ipse occidit, & vos occidistis. Vnde occidistis? Gladio linguæ.*

Dirior lingua ipsis clavis in cruce.

S. Aug. in Psa. 63. ad v. 2.

XI. Triplici cruce oneratum, seu triplici clavo confixum constat fuisse Jobum veræ patientiæ exemplar absolutissimum. Primo quidem in bonis fortunæ, quando armentis à latronibus abductis, campis grandine quassatis, prole inter conviviorum delicias tumulata, factus est ex divite pauper

Iob. triplici clavo confixus.

pauper, ex abundante egenus, ex felicissimo miserrimus; ex Domino abjectissimus. Secundo in bonis corporis, quando tam gravi percussus ulcere, ut in toto corpore pars nulla superstes foret intacta; sed vulneribus ingeminatis testa saniem raderet; nactus pro cubili plateam publicam, pro lecto fimetum, pro medicis canes, pro aulicis vermes, pro fasciis scabiem, pro remediis vulnera. Tertio in anima à suismet amicis variis perstrictus contumeliis. Ex his omnibus quem putatis penetrasse profundius intima cordis ipsius? Quæ Crux illi omnium visa gravissima? Quis clavorum durior? Planè Contumeliæ. In aliis sese divinæ voluntati conformavit, ipsius sanctissimum nomen extulit, at ut ventum ad convitia, si non impatientiæ signum, profectò doloris excessivi ostendit; dicens: *Vsquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? En decies confunditis me.* Affligitur, atteriturque verbis, qui dœmonis machinas viriliter, & strenuè frustratus est. Filiorum strage impetitus, divitiarum direptione vexatus, in corpore excruciatus adversarii ridet ignaviam; & patientiæ ipsius leve est, quidquid ingenium Dœmonis machinatur. Et modo fatigatur illius patientia, vixque non subvertitur fortitudo? Hucusque vulneraverat Jobum diabolus, non verborum contumeliis, sed adversorum plagis; modò amici convitia evibrant, & contumeliosa verba in Jobum contorquent; adeoque graviora sunt verborum vulnera, quam dœmonis cruciamenta. Nam ut ait Origenes: *Qui corporis cruciamenta toleravit, non passus est verba. Iobus qui hæc dicit est athletarum fortissimus, in cujus libro nihil ita eminet, atque fortitudo illius ac patientia. Labores tamen sentit, quos ex eorum duro sermone, qui ad eum visendum venerant, hauserat.* Sic verbis fatigatur patientia; quæ dolor, atque artes diaboli ante fatigaverat. Tolerantia, quæ explosérat tormentorum ferociam, hæc prope duriore sermone subiit ruinam. *Iobus qui corporis cruciamenta toleravit, non passus est verba.* Adeo dire torquent irrisiones, ac contumeliæ, ut propemodum palmam eripiant patientiæ.

Orig. in Car. Græca

Iob. 19. v. 2.

XII. Verior Jobus noster Christus Deus eadem certamina cruces immaniores, clavos feraliores sustinuit Desertus & ipse, quin & proditus à suis, & in tantum exutus omnibus, ut nudus in cruce penderet; nec haberet, undique prementibus spinis, ubi caput suum reclinaret. Passus subinde eos in cruce cruciatus, quos impossibile est recensere; impetitus demum calumniis ac opprobriis, iisque blasphemis, ac virulentissimis: *Blasphemabant autem moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce, & credimus tibi.* Nihil intactum in eo reliquere, quod non ore blasphemo polluerent, infatuarent, carperent. Ridebant verba, explodebant Divinitatem, despiciebant potentiam. Obsecro vos, ex his omnibus cruciatibus, quisnam vehementius exagitabant Dominum? Revolvite oracula, & audietis, quod in

Matth. 27. v. 40.

cœteris doloribus, ac tormentis tanquam Agnus coram tondente opmutuerit, nec os suum aperuerit. Illi ipsi cruciatus præ amoris magnitudine videbantur quæpiam deliciæ, & sitientis animæ refrigeria. At ubi ventum ad improperia, ad probra, ad irrisiones continere se non valuit, quin Deo Patri suum testaretur dolorem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Incredibili quidem patiendi tenebatur desiderio bonus JESus, vehementissimo amore plura gravioraque pro nobis pati avebat; attamen cum furor Judaicus in tantum excreviſſet, ut nullius prope capax ultra esset incrementi. Cum jam non verberibus, sed verbis Majestas ipsius violaretur dentatissimis, cum contumeliarum sarcasmate conspueretur, voluit hisce verbis dolorem suum testari, & se saturatum esse juxta vaticinium Psalmistæ opprobriis. Ideoque in cœteris Passionis suæ asperrimis cruciatibus obmutescit, dum autem hæc patitur, à Patre se derelictum ingemiscit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!*

Matth. 27. v. 46.

Hoc ipsum ut piè meditatus est D. Cyprianus, ita subsequentibus verbis posteritati consignavit: *Conſideravi opera tua, & expavi, clavos ſacros pedes terebrantibus, foßiſque manibus de vulnerum anxitate non quereris, de Spinis ſacrum caput pungentibus non loqueris; ſed ſatagis ut innoteſcat poſteris, quare derelictus à Deo videaris, expoſitus contumeliis, & ludibrio Iudæorum.* Hucusque dolor de opprobriis, ac injuriis efferbuerat, ut se derelictum à Patre Christus quasi queratur, cum in aliis cruciatibus supra fidem atrocibus, nullum verbum profuderit. Debebant ergo hi clavi convitiantis linguæ, multò graviores accidisse Domino, quam ferrei illi, quibus in stipite crucis confixus est.

S. Cypr. ſer. de paſſione

§ VII.

Christus à Convitiante lingua lancea transfixus.

Calumnia lancea acutior

XIII. Postremò Christus Dominus in corporali sua Passione lancea transfixus est. Sed transfixus non ut excruciaretur, sed ut expirasse cruciatus illus designaretur.

At verò per contumelias eidem affricatas in vegeto etiamnum corpore omni lancea crudelius, profundiusque est sautiatus; Nam ut ait Ecclesiasticus: *Romphæa bis acuta (est,) cujus plagæ non eſt ſanitas.* Romphæa calumniatrix lingua est, quæ non latus duntaxat pungit, sed cor, animam transverberat. Sitam validè à Longino trajectus est Dominus, ut per alteram partem corporis, opinione nonnullorum, lancea pertransiverit; lingua Judaica ad ipsam animam penetravit. *Romphæa bis acuta.*

Eccli. 21. v. 4.

Thearidas olim interrogatus de cultro, quam bellè scinderet? Respondit: *Acutior calumnia, & profundius penetrat.* Culter ferreus corpus hominis, contumelia animum transadigit, & dissecat. Inficiari proinde nemo poterit, gravius contumelias Christo Domino accidisse, quam lateris transfixionem, cœteraque tormenta

menta corporis. Consequens ergo est diem hodiernam ritè nuncupari diem Passionis, utpote cum ea pertulerit in hac à linguis blasphemantibus tormenta in anima, quæ subinde pertulit à crucifigentibus Judæis in corpore. Consectaneum, promotum esse, in hac Universitate calumniæ, ad confusionem in summo, quemadmodum assumpsit in passione dolorem in summo.

Ut verò se gessit in illa? Erexit illi ex opposito gymnasium patientiæ, idque in tres classes distribuit. In prima, & summa classe docuit silentium, eoque solo objecta diluit. In altera professus est modestam excusationem: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum.* Qui enim publicum gerebat dei Ministrum debebat scommata detergere, ne si illis illitus permaneret, doctrinam suam prostitueret. In tertia seu infima, fugam persuasit. *Exivit de templo.*

Auditores mei nemo nostrum est qui cum Christo minimum in fama non patiatur. Æmulemur eundem, & Universitati Calumniantium opponamus Gymnasium patientiæ. Discamus nonnunquam silere in contumeliis; vel si eam perfectionem nondum attigimus modestè diluere objecta; vel si nihil respondendo proficimus, exire de templo. Fiat.

CONCIO XX.

IN DOMINICA PALMARUM

Dicite Filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super Asinam. Matth. 21.

ARGUMENTUM.

Ingressus triumphalis Christo adornatur.

Si animus noster non tam est, ubi animat, quam ubi amat, pronum est mihi conjicere, plerosque vestrum hic corpore quidem præsentes, animo absentes esse. Aud. Credo enim pias mentes, quum alios in corporali ingressu Domini præsentando distentos videant, illos in Spirituali adornando, haud postremos inveniri velle. Credo in hoc uno pervigiles, ut cum oculis nequeant corporeis, certè Spiritualibus hanc galaxiam Domini obeant accuratius, ac prosequantur. Credo ipsos non paludamenta duntaxat sua, sed se ipsos coram eo prono corpore, animoque provolvere, ramos pravorum affectuum pampinare, festivum cum innocentibus Pæana acclamare.

In tantum ejusmodi æstuabat desideriis Virgo religiosissima S. Gertrudis, ut ab ipso Domino methodum

dum pie, sancteque obeundi hunc Ingressum efflictim exoraverit. A quo & audire cœlitus meruit: *Exhibe mihi jumentum, cui insideam, turbam gaudendo obviantem, turbam laudando comitantem, turbam ministrando consequentem.* Quum itaque benignissimus JESUS hoc imprimis tempore, suum iterare ad nos adventum per S. Synaxim non dedignetur, æquum profecto est traditæ ab ipso Domino regulæ, ac viæ insistere. Quod qua ratione fieri debeat videamus.

Lib. 4 instit. div. pietat. c. 24

§. I.

Asina soluta Christo adducenda ante S. Communionem.

Præparatio ad S. Synaxim qualis

II. Imprimis postulat Assertor noster jumentum, cui insideat. Quodnam illud? Ex priscis silvarum cultoribus D. Hilarion Abbas hoc imprimis gloriari titulo solitus, quod unum esset cum Asino. Eoque in hac sua opinione ascendit, ut cum gravaretur, tabesceret, aut etiam insolesceret corpus, perinde illud, ac Asinum tractaret. Hinc illæ in ipsum minæ: *Curabo Asine ne recalcitres, non hordeo, sed paleis nutriam.*

S. Hier. in Vita

Psaltes regius quemvis hominem juxta concupiscentiarum suarum ductum vitam ordinantem jumentis, & onagris æquiparat, dicens: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Licet enim à natura ad imaginem Dei conditus sit, nihilominus per luxum, lasciviam, aliave vitia, in tantum deformatus, ut non jam Angelicam, seu cælestem, sed bestialem vultum; geniumque referat.

Psal. 48. v. 13.

Hic onager, hoc jumentum enodandum vinculis suis, quibus id ligavit Sathanas, Christoque adducendum. Nec lupatum duntaxat illi lora, catenæve detrahendæ; sed vincula etiam minima, quibus illigatum constrictumque dissuenda. Non funes duntaxat peccatorum graviorum eximendi, sed & licia minimorum defectuum, pravorumque affectuum, quibus terrenis rebus adstrictum tenetur, rumpenda. Si enim Moysi, rubo flammeo appropinquanti, demandatum est: *Solve calceamentum de pedibus tuis terra enim in qua stas locus sanctus est*; quanto fortius inclamandum jumento; Ne appropinques huc, antequam restringaris de vinculis iniquitatum suarum. Solvatur prius de pedibus tuis calceamentum perversorum desideriorum, quibus intricatus es; solvantur vincula de collo, quod protervè contra Dominum per inobedientiam elatum; solvantur de manibus per restitutionem bonorum iniqui possessorum; solvantur de corde per veram contritionem licia odiorum, inimicitiarum, & similia. Locus enim ad quem accedis, non modo sanctus est, sed sanctum sanctorum continet. *Solve calceamentum de pedibus.*

Exodi 3. vs.

Munditia ad S. communionem

Si item ad edendum panes propositionis, munditia legalis exigebatur & abstinentia à propriis uxoribus; quantò auctior ab eo exigitur, qui ad hunc panem divinum sumendum sese

Levit. 22.

dispo-

nit ? Si manducaturi Agnum Paschalem præmittebant lactucas agrestes in signum pœnitentiæ ; si accessuri ad alia sacrificia , id est egena, & vacua elementa offerenda confitebantur prius peccata sua Domino? quantò accuratius id præstandum ad hoc tremendum sacrificium , ad Agnum divinum sumendum accedentibus ? Si deinde Verbum Incorporatum tantopere adamavit cordis munditiem , ut ne quidem de pudicitia conjugali; sed de clausula nasci elegerit virginali ; si tantopere dilexit floridi pudoris integritatem ; ut non modo de virgineo utero tanquam sponsus procedent de thalami lilieto , egrederetur, sed etiam à Nutritio Virgine tractaretur , & hoc cum parvulus vagiret in cunis ; quam mundis nunc tractari manibus , quam illibato ore excipi debet, cum jam immensus regnat in cœlis? Nonne si fieri posset , angelicis affectibus amandus esset , seraphica puritate suscipiendus?

1. Cor. 11. v. 28. III. Hoc est , quod à nobis Doctor Gentium in Epistola sua ad Corinthios exigit, ita scribens : *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè judicium sibi manducat, & bibit ; non dijudicans corpus Domini.* Probet se ipsum , ac aurum in igne, ut argentum in lapide Lydio, ut formam in speculo , an non sit adulteratum aurum , an non argentum incrustatum scoriâ , an non forma nævis plurimis conspurcata ; & siquidem inventus fuerit aurum igne examinatum, argentum nitidum , forma nulla macula contaminata , tum accedat. Non enim minore puritate nitere debet sumpturus Christum in Eucharistia, quam visurus eum in gloria. Quemadmodum huc nihil intrat coinquinatum ; nihil quod purgantibus non sit expiatum flammis: ita nec ad S. Synaxim accedat, quisquis veræ Pœnitentiæ fontibus , aut Contritionis sinceræ ignibus , minimos etiam nævos non expiaverit. *Probet autem se ipsum homo*; judicet, discutiat, inque examen judicii descendat. Intellectus Judicis munere fungatur, Voluntas rei personam sustineat, Memoria Notarii vices expleat, Conscientia Accusatoris , Timor Carnificis munus obeat. Advocentur complices , & quasi testes omni exceptione majores , Superbia, Avaritia, Gula, Acedia , Ira, Invidia, exigaturque à singulis earum testimonium. v. g. Quidnam commune habuerit cum voluntate , Superbia , & illico Conscientia responsura est , exaggerando superbos, elatosque illius motus , ipsique complices , ac testes verissimam acclamabunt accusationem. Immo Superbia fatebitur se voluntatis proximam ; consanguineamque, testabiturque illam cœteris ipsius membris at jactantiæ, ambitioni , hypocrisi confœderatam. Avaritia forsitan fraudes , furta, perjuria, contractus illicitos proferet. Luxuria prodet motus illicitos , cogitationes propudiosas , aliaque dedecora carnis. &c. Tum verò Timor supplicium inferat, quatenus à se ipsa rea Voluntas damnata, digna sit , quæ à DEo absolvi mereatur. *Probet autem*

se ipsum homo.

§ II.

Turba præcedens adornatur.

IV. Alterum est, quod Dominus ab illa B. Virgine & à nobis omnibus exigit. Turba obvians *cum lætitia. Exhibe mihi turbam gaudendo obviantem.* Quamnam illam?

Passio Christi ante S. Comæruti-nanda

S. Lydvina sacræmensæ accubitura, vidit in raptu quopiam Angelicam phalaugem præcedentem Christum, cum insignibns sacratissimæ ipsius Passionis. Unus eorum præferebat columnam, alter funes, tertius sentes, reliqui flagra, crucem, clavos, lanceam, cœterave ipsius patientiæ argumenta. Exinde Virgo prudentissima, & ex æquo devotissima conjecit, præmittendam esse sacris epulis piam acerbissimorum cruciatuum Salvatoris nostri meditationem,

In Vita

Quod ipsemet tanti mysterii Opifex disertissimis verbis inculcavit, cum diceret: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cum nimirum vel obtuleritis sacrificium, vel de eo libaveritis, reducite vobis in memoriam tormenta mea mortemque acerbissimam, per hoc sacrificium, participationemque præsentatam. *Hoc facite in meam commemorationem.* Expedit enim tanti meminisse beneficii, amoremque immensum, quo nos usque in finem dilexit recolere.

V. Filii Israel super flumina Babylonis considentes, suæ dilectæ Sionis memoriam celebravere in lamentabiles effusi nænias: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, cum recordaremur tui Sion. Si oblitus fuero tui Jerusalem oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui.* Exaresçat dextera, & lingua inter fauces constricta hæreat, si unquam obliterata per nos fuerit urbs Sion. Quid nos par est facere, sedentes super flumina sanguinea Vindicis nostri? An non æquissimum reducere nobis fontes, ex quibus redundavit salus nostra? An non justissimum in principio lætitiæ nostræ, reciprocata memoria eos devenerari? Nonne concinnendum Hebræis: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea, si non meminero tui.* Absit à me, unquam mihi excidant SS. vulnera tua, ut unquam memoriale tuum aboleatur. Viget, vigebitque in tantum, ut tabescere faciat mundo animam meam, ut tabescant mundi desideria, tabescat mundi amor, cœli verò desideria viresçant, perenni beneficiorum tuorum irrigata, memoria.

Gratitudo

Psalm 136 v 1 5.6.

S. Vulnerum memoria commendatur. Ibid.

VI. Præcedat item ordine alio Trias Theologicarnm virtutum, Fides, Spes, Charitas,

Fides Luciferæ Communionem præcedat

Fides lampadem, ne fortè in tam eminenti accessu hallucineris, præferat. Est enim admirabile Sacramentum mysterium fidei, quæ nomenclatura eam illius ostendit profunditatem, sublimitatemque, ut intellectus nostri capacitatem longè exuperet; fidemque exposcat supereminentem. Mysterium absconditum est corporis, animique oculis, nisi fidei lumine illustretur. Cernunt illi quidem species apparentes; verum latentem intus Christum solius fidei assequitur obtutus. Hi contemplantur sub sipario panis sacratissimum ejus caput, tanquam aurum optimum, pro se quondam spinis coronatum, nunc gloria

&,

& honore redimitū. Hi arbitrantur faciem eius in passione alapa contusum, iam vero fulgentē, exuperantēq; ipsiusmet Phœbi splendorem. Hi speculantur corpus ejus, quinque conspicuum vulneribus, ex quibus prout quondam cruor ubertim stagnabat; ita nunc gratiarum exundant fluenta. Cernunt sanguinem non vindictam, sed veniam efflagitantem; Animam, (neque enim ibi corpus inanime, sed panis vivus, qui de cœlo descendit) in qua reconditi sunt omnes thesauri Sapientiæ, & scientiæ, meritorum, gratiarumque ipsius. Denique ipsummet Verbum Patris æternum, quo condita sunt universa; quod sub tempus gratiæ incorporatum pro nobis, cujus nutu ventorum furiæ, ac maria composita, dœmones fulminati, fugatique; ægritudines curati, mortui ad vitam revocati, aliave innumera opera, ac prodigia patrata. Hac luce illustrati, juxta monitum Apostoli: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, asperſi corda à conſcientia mala.* Accedamus, inquam, ad Christi velamen, id est carnem Christi in epulo Eucharistico obnuptam, puro, sinceroque corde; fide plena, ac perfecta, conscientia munda, & immaculata. Adoremus hic sponsum animarum nostrarum, sub sacramento, quem in cœlis habituri, ac possessuri sumus sine velamēto.

Heb. 10. v. 22.

Spes firmet titubantes ante Com.

VII. Spes vero anchora sua nos solidet accedentes, ne fortè pusillanimitatis, aut pavoris panici lubricemur passibus. Quid enim est in hoc Epulo, quod cultrum statuat in gutture nostro, si pura est conscientia? Num Cibus? At ipse est Panis vitæ, Frumentum electorum, Vinū germinans Virgines. An Rex ipse? At ipse ultro te invitat, & delicias ducit, esse cum filiis hominum. Venit non ut miles exacturus, aut amicus importunus exoraturus; sed ut Mæcenas munificus congiaria liberalissima juxta capacitatem cujusque dispensaturus; ut Dux contra adversas hostium acies opem laturus, ut sponsus suavissimus gratiis, & gaudiorum rivis inundaturus.

An nostra indignitas? Is ipse est, qui potest facere dignum de indigno, & mundum de immundo conceptum semine. An Bonitati ipsius diffidere poterimus, cuius viscera tenemus nostris permixta visceribus; quam obstrictam, pronamque habemus ad remittenda peccata, ad labes abstergendas, ad infirmitates tollendas. Poteritne quantavis criminum saburra copiosissimæ misericordiæ torrentibus obsistere. Effundamus cor nostrum, & profligatis noxiis pavoribus dicamus hoc, vel simili modo: JESUS meus, Deus meus præparatio cordis mei roburque spei meæ non ex græsumptione aliqua; sed ex sola dignatione, ac voluntate tua, ut convertar ad te, & vivam; ut à te reficiar, & requiescam, ut tibi invitanti morem geram, ut te, sanctosque tuos honorificem, ut gratiam, salutemque impetrem, in me totum diffidens, accedo ad te. Tu enim dixisti; *Non est opus Medico valentibus, sed male habentibus.* Et: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Et iterum. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Obsequor itaque Domine tibi vocanti, & licet me indignissimū, ulcerosissimūq; agnoscam, à te tamen in sanguine tuo, spero medelam &c.

VIII. Jam Vero viam ipsam

Charitas viam sternat ad S. Com.

insternet Charitas. Non sit essedum nostrum inferius ferculo Salomonis Charitate constrato. Sive ergo justitia postulet, ut succurramus Ecclesiæ; sive pietas, ut parentibus; sive Charitas proximi, ut pro eo litemus; sive Obedientia, quemadmodum & Christus Patri æterno obtulit; nihilominus eorum omnium antesignanus sit Amor Dei. Servator enim noster, cum aliis ex motivis, tum imprimis ex amore, quo nos usque in finem dilexit, hoc Sacramentum instituit. Quamobrem urgente, ac vigente eodem Amore in ipso, quotiescunque à nobis offertur, & sumitur optandum esset, ut non minus nos in ipso, atque in cruce inflammaret, communicaretque suum amorem, ut pollet vehementissimum; quatenus infinitam illius Bonitatem, cum omnibus donis ab eadem promanantibus eidem infinitæ Bonitati, Sapientiam Sapientiæ, Justitiam Justitiæ, Potentiam Potentiæ, Supremam Majestatem Supremæ Majestati, Deum Deo rependendo, bona omnia ex amore recipiat. Quemadmodum enim Christi Domini nostri amor, quo se Patri æterno obtulit, adeo efficax fuit, ut si per impossibile, Deus non fuisset Deus, immensitatem illam, infinitatemque perfectionum ab æterno habuisset, eius vi illas tribuisset, etsi in nihilum redactus, atque consumptus fuisset. Collactaneum esse nostrum amorem in Sanctissimi Epuli sumptione esse oporteret; ut quantum possumus, ipsius adjuti gratia, cum infinito illo bono redonemus efficaciter nos, ut ad ipsius Gloriam consumi, dirissimamque oppetere mortem exoptemus. Tum enim verè pro nobis erit hostia Deus, cum nos ipsos eidem hostiam fecerimus in charitatis igne immolando.

§. III.

Turba concomitans præsentatur.

IX. Hos si præmiserimis Domino Præcursores obviantes consequetur è vestigio turba eundem concomitans: *Exhibe turbam comitantem.* Quippe fidem vivam insequitur reverentia; Fiduciam stipant ardentia desideria. Charitatem comitatur gaudium, oblatio, amplexus, fruitio summi boni. Ubi tam viva Fides ut credat Deum, ac Dominum suum; Assertorem & vindicem in manus, in os, in pectus demittere; fieri nequit, quin vel cum prodigo Filio se ad demissionem profundissimam componat, dicatque: *Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus*, & tu me saginas adipe filiorum tuorum. Vel cum Miphibosseth filio Jonathæ ad epulas à Davide invitato: *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei.* Vel cum Elisabetht à B. Virgine visitata: *Unde hoc mihi; ut Dominus meus veniat ad me?* Vel cum Psalte: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut Filius hominis quia reputas eum?* Vel minimum cum centurione: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* (ob summam indignitatem, multitudinemque peccatorum meorum) *sed tantum dic verbo, & sanabitur anima*

Virtutes exercenda in Com.

Luc. 15.

2. Reg. 9.

Luc. 1. v. 43.

Psal. 143. v. 3.

anima mea, siquidem credo in te, spero in te, amo te. Et utinam arctius vinculo charitatis tibi adstringar, tibique quam simillimus efficiar.

Ubi itidem Spes firma intervenit, succedit una ardentissimum desiderium, quod Doctore Angelico reddit desiderantem quadantenus aptum, & paratum ad suscipiendum amatum, quatenus ardentissimis votis ingemiscat, ingeminetque: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare tecum* ô Domine. Utinam mihi sit pascha verum, id est transitus à virtute in virtutem, tibi verò statio stabilis in perpetuum. *Desiderio desideravi.* Trahit me ad te multiplex necessitas mea, qua conflictor; trahit ineffabilis suavitas, qua pascis diligentes te; trahit super omnia beneficia voluntas tua, qua me trahis ad te. Accedo quia vis, desidero, quia desideras; utinã repleas in bonis desiderium meum.

Ubi demum amor flagrat, ibi & gaudio triumphamus, & in amplexus ruimus, & nosmet devovemus, & præ dulcedine affectuum quadantenus liquescimus.

§. IV.

Turba subsequens Dominum.

X. Expedita turba Præcedente, & Comite, restat postrema Dominum subsequens. Hæc vero non est alia, quam admiratio, Adoratio, Gratiarum actio. Rapit enim vel præfractariasmẽtes in admirationem, inclinat ad adorationem; adurget ad gratiarum actionem pondus immensum inæstimabilis beneficentiæ, ac dignationis. Absurdissimum profectò indignissimumque est, post tam eximium donum, quasi accepti immemorem è vestigio ad forensia negotia, ad nugas, ad potum, epulasque sese convertere. Dispendiosissimum Christi aloquia subterfugere, & illico mundana tractare, ac ferere.

Gratitudo post Com.

Aggæus Vates miratur, stupetque unde tanta sterilitas, tantæ inter populum suum incitæ, tantæque calamitates: *Seminastis multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati, bibistis & non estis inebriati, operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregavit misit eas in sacculum pertusum.* Et actutum rationem subjicit: *Quia domus mea deserta est, & vos festinastis unusquisque in domum suam.* Et nos nonne seminaverimus multum in agro cordis nostri, quum semen bonum, & granum vitæ in eo tumulavimus? An non comedimus multum, cum panem Angelorum, frumentum electorum, cibum sanctorum, Agnum purissimum innocentissimumque comedimus? An non bibimus, quod ad satietatem sufficeret, quum Christi cruorem; potum cœlestem, nectar falsorum non Deorũ, sed amicorum Dei poculum hausimus? Nõne vestẽ laneã splẽdidissimã Humanitatis lineãq; seu byssinã puritatis induimus? Eã nimirũ, de qua S. Paulus Apostolus: *Induimini Dominum Iesum Christum.* Nonne, non mercedes duntaxat, sed thesauros quoque sapientiæ, & scientiæ Dei in saccului pectoris nostri congessimus? Quare ergo nullum fructum referimus? Cur cum tanto desudamus dispendio? Cur fame, sitique virtutum conflictamur? Cur nudi præ frigore algemus? Non alia propede causa, *quam quia festinavit unusquisque*

Aggæi 1. v. 6

Ingratitudo noxia

Rom. 13. v. 14.

quisque in domum suam. Quia vix ad stomachum S. Synaxim demisimus, immo vix ad os accepimus, & mox alia versamus, domestica, terrestria, transitoria accuramus.

XI. Discamus itaque ex aliis, qui modica beneficia gratissimo animo susceperunt, hoc maximũ beneficium æstimare, meritasque pro eo gratias referre.

Ruth. Gratitudo

Famata illa Ruth Moabitis exorata à Booz viro in paucis opulento, & Servatoris nostri progenitore licentia, colligendi in campo spicas superstites, ultroque invitata ad pulmentum rusticanum, & ad lagunculam messorum hauriendam, stupore plena cecidit in faciem suam; adoransque super terram dixit ad eum: *Vnde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, nosse me dignareris peregrinam mulierem?* Unde me tantis oneras beneficiis? Non meritis meis imputari possunt; quæ nulla sunt; non sanguini, siquidem extra sum, & peregrina; non prosapiæ, quia misera; tuam duntaxat in hac dignatione deprædico, & deprædicabo humanitatem ac munificentiam. Bone Deus in tantum æstimavit mulier, primum è gentilitate emersa, pultem unam, eamque frigidam; nos si vel tantillo fidei lumine illustrati essemus; ut perspiceremus, quæ nobis apponuntur epulæ, an non profundius, laxiusque in gratiarum scenam descendere par esset, qui non ad spicas colligendas, frigidamque libandam, sed ad frumentum electorum, & vinum germinans virgines admittimur? Unde hoc mihi, ut invenirem gratiam ante oculos tuos? Magnum erat te nobis dedisse in socium peregrinationis nostræ, majus in pretium redemptionis, quantum in epulum refectionis? Magnum cum Hemorrhoissa fimbriam tangere vestimenti tui, majus cum discipulo pectori infundi, quid in præcordiis suscipi? Stupendum te intemeratis visceribus magnæ matris tuæ novem mensibus obseratum latuisse, quantò insignius prodigium, etiam intra viscera frigidissimi peccatoris hibernare? *Vnde hoc mihi?*

Ruth. 2. v. 9.

Gratitudo post. Com.

XII. Esther ob pulchritudinem ex ancilla in sponsam potentissimi Regis sublimata, invitavit eundem Assuerum, à quo fuerat assumpta, ad convivium; qui tanti illud æstimavit, ut calens vino dixerit illi: *Quæ est petitio tua Esther, ut detur tibi, & quid vis fieri? etiamsi dimidiam regni mei partem petieris impetrabis.* Major citra ullam comparationem, hic causa gratiarum agendarum est; quam inibi. Etenim ibi ancilla Regem, hic Rex servum inutilem invitat, ibi alimenta terrena, hic panis cœlestis ministratur, ibi ex convivio mors inimici, temporalisque salus, hic vitiorum destructio, salusque spiritualis redundat. Quis ergo sine ullis meritis ad tam magnificum convivium, admissus, non jam partem cordis sui, sed totum, & quidquid est, Deo invitanti non offerat; & quævis obsequia amoris, laudisque frequentet?

Esth. 7. v. 3.

Agnoscamus proinde, & pensemus infinitam Bonitatem illius, magnificemus totis visceribus hanc circa nos dignationem, cumque nullum ex nobis dignum illi honorem exhibere valea-

valeamus, quantumvis omnes articuli noſtri transformarentur in linguas, omnes vitæ reſpirationes in laudes, & gratiarum actiones, invocemus cœleſtes Spiritus, quatenus illi ex nobis hoſpitem tam gratum ſalutent, noſtrum defectum ſuppleant, ipſum laudent, & glorificent. Invocemus choros Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omneſque electos Dei, quatenus ipſi unà nobiſcum ipſum glorificent in ſæcula. Invocemus ſanctiſſimam Deiparam, quæ ipſum novem in utero portavit menſibus, ut ipſa pro nobis homagium gratitudinis præſtare dignetur. Invocemus illum ipſum, qui ſe nobis tam gratioſè communicavit, tam intimè commiſcuit, ut totus ſit in nobis, noſque in illo, quatenus vices noſtras ſuppleat, & benedicat nomini ſancto ſuo. Ipſi laus, & gloria in perpetuas æternitates. Amen.

CONCIO. XXI.

IN DOMINICA IN ALBIS.

Cum fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati, ſtetit Ieſus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Ioan. 20.

ARGVMENTVM.

Pax Inconcuſſa

NIhil jucundius audiri à nobis, nihil ſalutarius concupiſci, nihil gratius accidere poteſt, quâ ſincera, minimeque perſonata fœdera. A. Pax eſt una bonorum omnium maxima, una rerum pulcherrima, una harmoniarum omnium ſuaviſſima. Quod vita, idipſum Pax eſt in rerum natura; & illa, & iſta excellentiſſimum divinæ clementiæ xenium eſt, rivus à primo fõte promanans, portio quædam indeficientis beatitatis; quæ prius in empyream diffuſa naturam, mox in noſtrum exundans orbem terrarum; animarum, corporumque nexus mirabiles ac prope divinos temperat concentus. Quẽadmodum vita deficiente, corpus illico emoritur, in cinerem, vermemque redigitur, & ab hominum conſpectu ſequeſtratur; ſuppari ratione ubi diſſipatis fœderibus ſæva Erynnis intonuit, cuncta in animæ regno perturbantur, dira vaſtitas ingruit, Deus avertitur, violatoremq; pacis à ſuo regno ſequeſtrat, ac fulminat. *Qui in pace non erit inventus, (ſcribit Lumen Affricæ) à Patre abdicatur, à Filio exhæredatur, à Spiritu S. alienus efficitur, nec ad hæreditatem Domini poterit pervenire, qui teſtimonium pacis noluerit obſervare.* Quemadmodũ enim Sp. humanus nunquam vivificat membra niſi fuerint unita: ſic Spiritus S. nun- *Aug. de Verb. Dom.*

S. nunquam vivicfiat Eccleſiæ membra, niſi fuerint in pace unita. Æqua eſt Eccleſiæ, ac corporis humani conditio; utrumque in unione creſcit, & adoleſcit; in diviſione languet, & tabeſcit. Ne itaque & nos avellamur à Corpore, ac Capite noſtro, operæ erit pretium ex hodierno Evangelio Pacis obtinendæ, ac conſervandæ methodum indagare. Adeſto Chriſte Aſſertor, ac Sequeſter.

Partitio.

II. Politicus quidam adumbraturus Pacem, pingi fecerat caſtrum munitum, Ducum, cum haſtatis excubantem, Armamentarium copioſiſſimè inſtructum, adjecto Lemmate: *Sic licet eſſe quietos.* Fremat, ringaturque hoſtis extrinſecus, intus pacata, quieta, ſecura ſubſiſtent univerſa.

Nos ſi Pacem à divino Feciale Chriſto in hodierno publicatam Evangelio exenteremus; iiſdem niti fundamentis deprehendimus.

§ I.

Pax amat fores obſeratas.

III. Et imprimis quidem illam appreeatur diſcipulis firmiſſimo vallatis pariete, foribuſque bene obſeratis. Nempe clauſtra, excubiaſque ambit ſecuritas, ne ſecuri feriatur; arceſque munitas expoſcit Pax, ut hoſtem arceat.

Iſboſeth filius Saul ſemotus à coronante ſe curarum turba quieturus; Pacique ac Sopori, ut ſibi videbatur indulgentius litaturus in cubile deflexit, ancillamque unam in excubiis, obductis quadantenus valvis conſtituit. O præclaras excubias! ô ſecuritatem perinſignem!

De Salomonis ſtrato perhibet Dilecta in canticis ſuis: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Hac ratione in alta pace, ac quiete inter mœnia, excubiaſque degebat ſecurus Rex pacificus. At Iſboſethi una ſtipatus fœmina reſupinatur, & ſopore, profligaturus laborem membra relaxabat Quo eventu? Sagacius profectò leporem, aut anſerem cuſtodiæ ſuæ deſtinaſſet, quam fœminam. Anſer enim uti quondam in Capitolio Romano gingritu ſuo, & Lepus curſu ſuo ſtertentem exciviſſet, ſalvaſſetque, quam fœmina. Quid enim? Illo ſopore merſo, altum quoque ancilla indormiit, ac Dominum ſuum incuſtoditum hoſtibus expoſuit: *Venientes autem Rehab, & Baana ingreſſi ſunt ferventi die domum Iſboſeth, qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie, & oſtiaria domus purgans triticum obdormivit. Ingreſſi ſunt autem domum latenter, aſſumentes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum in inguive, & fugerunt.* Hic finis neglectæ cuſtodiæ. Sihaſtatis vallatus fuiſſet, ſi aulicis minimum curam excubiarum credidiſſet, aliquid boni omnis caprari potuiſſet. Verum quod oſtiariam, eamque ſomnolentam tanto muneri præfecit, in pace bellum, in quiete tumultum, in ſomno fratrem graviorem mortem reperit.

Cant. 3. v. 7. 8.

Iſboſeth cædes unde. 2. Reg 4. v. 5. 6.

Quod huic Principi in corpore, idem

idem bene multis in anima evenit, exiguam illius custodiam agentibus, quum nimirum ancilla voluntas, princepsque intellectus sopitur; non unus Baana ac Rehab engreditur, qui gratia divina, id est, anima spirituali, ac pace interna illos privat, ac conficit.

Merita revivisunt

IV. Compertus vobis apprime casus est ex Evangeliis animæ illius, cum qua DEus profligatis hostibus pacem, amicitiamque firmaverat. Redierunt; ut fit in pace alta, bona illi omnia antehac dilapidata, redire meritorum opus gratia, opulentia, virtutum gaza, oppidò referta; hoste interea per loca arida, & inaquosa quærente requiem, & non inveniente. In tanta beatitate, quum voluptuaretur illa, & citra ullas meridiaretur vigilias, (ignorans forsitan hostem suum instar Leonis rugientis circumire, quærendo, quem devoret,) is deprehensa tanta victricis animæ incuria, redintegrandum, ac tentandum assultum decernit. *Revertar*, inquit, *in domum meam unde exivi.* Et extemplo accitis aliis sociis nequioribus se accedit, vacantem semotis vigiliis reperit, admovet insultum, occupat, diripit, devastat. *Et habitant ibi, & fiunt hominis illius pejora prioribus*, Unde quæso tantæ cladis occasio cœpta? Quibus cuniculis domus illa sancta subruta? Cur Pax turbata? Non aliunde, quam quod invenerit domum vacantem, incustoditam, fores relaxatas.

Diabolus pulsus revertitur

Luc. 12.

Ibid.

Vos ego hic alloquor, qui nexibus criminum exoluti vera mentis libertate, paceque ac tranquillitate mentis fruimini, an non periclitati estis idipsum, quoties ad peccata ejurata reversi estis. An non sensistis in vobismet ob neglectas vel oculorum, vel aurium vel aliorum sensuum excubias hostem deprædatum esse animas vestras? tentationis flabello pacem turbatam, & sopitos cinere doloso bellorum, tumultuumque scientillas resuscitatas? An non illam aleam, illum ictum, illud conscientiæ anceps certamen declinassetis; si paululum accuratius invigilassetis.

V. Eam ob rem monet Spiritus Veritatis: *Sepi aures tuas spinis, & ori tuo facito ostia, & seras, & attende, ne forte labaris in lingua & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi.* q. d. Quemadmodum hortum, vel vineam tuam vallo è sentibus contexto circumdas, ne belluæ efferæ illam demoliantur; & quemadmodum castrum tuum propugnaculis obfirmas validissimis, ne hosti illico pateat; pari ratione omni custodia cor tuum serva; & linguam, in cujus manu, vita & mors, sepimento aculeatissimo circumda; valisque, ac vectibus obfirma, ne quidquam ex ore tuo improbum, noxiumve prorumpat; & sentes auribus tuis apponito, quatenus auditum avertas à pravis perversisque alloquiis; ne sunt tibi aures prurientes ad auscultandum fabulis, calumniis, scommatibus.

Sensuum curia habenda

Eccl. 28. v. 29. 30

VI. Hoc stratagemate quidam ex Operariis nostris maritum inter, uxoremque ingeniosè pacem composuit. Etenim cum illa gravissimas in Consortem querulas exonerasset; quodque non verbis duntaxat, sed & verberibus

identidem innoxiam ad livorem usque pulsaret, retulisset, compositurum se animum mariti antidoto efficacissimo recepit. Quod ipsa enixe efflagitante: impletam vulgari lympha lagunculam porrigit, juratque pacem cum marito habituram optimam, si marito in Furias acto, guttam unam alteramve in lingua detineret. Egit illa pro munere, ut rebatur insigni gratias suppares, & sese parituram consiliis ipsius sacrosanctè recepit. Et ecce eadem prope die vir furore, ac lupulo plenus domum sub noctem remigrat, stomachatur, fulminat diriſque omnia devovet. Hxor impendentem sibi jamjam aversura tempestatum ad lagunculam à spirituali acceptam Galeno accelerat, linguam imbuit, undatque ex parte una in alteram. Verum ut est genus fœmineum impatientissimum furore & ipsa acta, fontem in viri barbam evomit, gravioremque, quam unquam alias excitat tempestatem. Accurrit ergo luce altera ad suum medicum, lamentaturque super imbecillitate pharmaci, ac se iterato contusam, pulsatamque quæritatur. Numquid ô Domina mea, regerit ille, bene usa es illo? Equidem subdit ipsa modicum intra fauces illam voluntavi, sed victu indignatione solvi oris cataractas, gurgitemque omnem in buxam viri devolvi. Tum pater: Noveris mea domina medicinam nullam operari, si vel à natura rejiciatur, vel alia de causa egeratur; quanto minus itaque ista quicquam operari potuit? à te studio & indignatione egesta? si deinceps præcavere fulgura, & fulmina expetis mordicus liquorem continedum tempestas viri detumescat. Paruit illa, & viro alia occasione tonante, fulminanteque, imbres ore continuit, pauloque post deprehendit virum, perinde ac Phebum ad serenitatem componi, seseque blandius intueri, alloqui, amplexari. Tum vero illa extollere incoram medico suo medicinam, inquirere quænam illa foret, ubinam vænalis proponeretur, se illam quibusvis impendiis mercaturam. Cui ille: Medicina hæc proximo ex fonte hausta est, nec hujus virtuti, sed tuæ patientiæ, ac custodiæ linguæ eam serenitatem imputa. Hac si alias usa fueris, & os ad tonitrua viri obstruxeris, confide te altissima pace fruituram. Idipsum ego suadeo iis, quos inter prope quotidiana intercedunt prælia, si vir tumultuari, si te lacessere uxorem suam occæperit, os obstrue, & triumphasti. Sin vicissim ista in iras, diraſque exarserit, tu ô bone vir memineris te Caput illius esse, & audi, vide, tace, si vis vivere in pace.

Silentium pacis obtinendæ optimū medium

Quod de conjugibus dictum, idem de vicino quovis intelligendum. Si hic quippiam sinistri audiat, si quid adversi patiatur, taceat, conniveat, si fieri potest, & pace gaudebit.

VII. Excellentissima in hoc genere extitit Isaaci Patriarchæ virtus, qui cum in Palestina terra peregrinationis suæ puteum fodisset, & mox à pastoribus regionis illius suum esse contendentibus ad rixas, pugnamque evocaretur; instigareturque à domesticis,

sticis, & par esset resistendo; tamen nec verbulo contradixit, sed omnem bilem in puteum effudit, improperando eidem, indigitantoque *Calumniam.* Subinde effosso altero, cum gemello impeteretur insultu, severe inhibuit vernaculos suos ne quispiam illorum eapropter negotium faceſſeret, seque solo patientiæ, ac silentii clipeo muniens, puteum vocavit *inimicitias.* Tandem cum tertium fodisset, in pace possedit; idque evicit; ut ipsemet Rex Palæstinæ visa ipsius patientia pacem postulaturus eum accesserit. *Sit*, inquit, *juramentum inter nos, & ineamus fœdus, ut non faciamus nobis quidquid mali.* Tantum valuit virtus patientiæ, tantum lingua custodita, quantum nunquam dextera armata præstitisset. Quod si Isaac ulturus injuriam in campum processisset, si vernaculos ad vindictam inflammasset, si litigare, ac contendere cœpisset, seminarium bellorum inter alienigenas in omne ævum condidisset nec unquam pace potitus esset.

Isaaci Patriarchæ patientia

Gen 26.

Hoc itaque primum pacis firmandæ fulcrum, cui merito Lemma adjici posset: Pax vera consistit in sera; si defuerit sera, non erit pax sincera.

§. II.

Pax firmatur Christi præsentia.

VIII. Verum etsi multum in excubiis positum est ad pacem conservandum, plurimum in Capitaneo & Duce. Quanto amplius corpus suam debet incolumitatem capiti, quam membris cæteris, tanto etiam castrum suam tranquillitatem Capitaneo, ac Præfecto Capite languente languent membra reliqua, & Præfecto connivente, ac tribulante expallent exubiæ quantumvis fortissimæ.

Christi præsentia pax firmatur

Eapropter Dominus Pacem firmaturus se ipsum statuit in medio. *Stetit Iesus in medio eorum.* Non tantum, ut se ipsum tanquam centrum, ac scopum, in quem collimaremus proponeret; non tantum ut se sequestrum, & arbitrum nostrum ostenderet; non tantum ut omnem virtutem in medio consiste reinter excessum ac defectum tanquam inter scyllam, & Charibdim edoceret; seu ut se omnibus æquè addictum exhiberet; ut se ipso tanquam sigillo pacem roborari, obsignarique re ipsa ostenderet.

IX. Notat Galæus de Venationibus, quod, advolante in medium aliarum avium Aquila, nulla illarum percellatur, sitque id signum pacificæ, & non prædaturæ. Merito idipsum adscribendum Aquilæ nostræ, quæ expandit alas suas in crucis stipite provocans ad volandum pullos suos. Hæc si umbilicum cordis nostri, centrumque insederit, futura in pace omnia ad votum Apostoli Pauli apprecantis: *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra, & intentiones vestras in Christo IEsu Domino nostro.* Haud præsumet ira in rabiem efferari, aut livor dente virulento quempiam proscindere, aut furor Corybantum ritu debacchari, Christo occupante, atque aurigante præcordia. Etsi enim scelera nonnunquam præfrictæ frontis inveniantur, ad

Aquila in medio aviũ non nocet Galæus de Venat.

Philip. 4. v. 7

tantæ Majestatis præsentiam pudore confusi latere coguntur. Verum si quispiam Christum in calce gerat, vel penitus ex mente sua proscribat, præferendo illi mundum cum concupiscentiis ancillantibus votis ipsius, is non miretur, si paci destitutus Martem, Furiasque intra præcordia experiatur.

Pacis Hieroglyphicum Tipos.

X. Sub Augusto Imperatore Jani postibus undique obseratis, altissima pace mundus gaudebat. Eam ob rem præcepit emblema istud monetæ aureæ incidi. Stabat in medio Nympha tenens in dextera sceptrum, in sinistra cor, ex quo arbor oleæ excresceret, pedibus vero larvas inimicorum proterebat; adjectum Lemma: *Ferrea cade seges.* Quo Hieroglyphico pacis bona effectusque adumbrare voluit. Ego dico, si vos non Nympham quampiã, sed Christum in medio cordis vestri statueritis, tenentem manu una amores, inclinationesq; vestras; & proculcantem odia, rancores, livores, dissensionesque; in altera vero præferentem sceptrum regni, virgam decoris; fide sanctione adjiciam Epigraphen: *Ferrea cade seges.* Durum est contra illius stimulum calcitrare, & ipso tenente lupatum tumultuari. Crista haud eriget, qui Christum intra præcordia tenet. *Ferrea cade seges.* Ubi ille oleas plantat, ibi seges odiorum, bellorumque concidit. Nequit bilis effervescere ubi salutare hoc redundat oleum. *Ferrea cade seges.*

Bestiæ cum in Arca cives.

XI. In Arca Noachea undiq; tumultuante mundo, deprælliantibusq; undequaque Aquilonibus, summa etiam inter efferas belluas vigebat concordia. Lupus intus inclusus neutiquam impetere audebat agnum. Leo aliis brutis parcebat, Leopardus Tygrisque amice convivebant cervis, damisque. Ab accipitre item non infestabatur columba, & ferociores quæque belluæ, volucresque ferocitate deposita ad humanitatem quampiam, unionemque mutuam componebantur. Unde autem tanta in iis metamorphosis? unde tanta concordia? Num forte quod obserata fuisset arca? *Clausit deforis arcam Dominus, & linivit eam bitumine.* Gen. 8. Verum & intra caveas ipsas pleræque feritatem neutiquam exuunt, nec citius, quam pelle detracta deponunt. Num forte quod undique intonaret æther, plenaque omnia essent Letho? Hæc hominibus cornua atterere, non belluis, necquicquam hæc pensi habentibus poterant. Quid ergo? Erat inter eos Noe perinde ac murum magister, hujus præsentia cicurabantur, & ad omnem modestiæ amussim effingebantur. Ergo non pollebit Christus præstare in hominibus, quod effecit Noe inter belluas? Nonne si crudelitate ducaris ut Tigris, si sævias ut Ursus, si deprædaris ut Leo, si fallas ut Vulpes adventante, aut præsente Domino humanitatem indues, pacemque cum proximis coles?

XII. Hinc piè monet Cassiodorus: *Si pacem sectamini ponite in cordis fonte pacis authorem. Tunc enim pax ex fonte per rivos in viscerum vestrorum, & intelligentiarum vestrarum canales redundabit.* Cassiod. l. 7. Ep. 13. Tunc ex abundantia Pacis, cor loquetur Pacem, ex radice oleæ pullulabit olivetum, ex fonte olei scaturient Charites, & Gratiæ. *Si pacem sectaminis in cordis*

eis fonte ponite Pacis Autborem. Quod si cor plenum fuerit oleo, eodem replebuntur membra cœtera. Si pacis fons ex eo stagnaverit, in os, in oculos, in brachia redundabit. *Si pacem* &c. Fons sive acorem, sive salsedinem, sive dulcedinem sapiat, eandem in rivulos diffundit; & tu si in fonte tuo oleam pacis plantatam habueris, ejusdem saporem, virtutemque ubivis diffundes.

Methodus hæc altera pacis firmandæ ex hodierno Evangelio eruta, cui meritò acroama præfigimus: Cor in quod non dominatur Christus, in eo moratur Trismegistus. Non sunt speranda oleæ in ramis illius folia, in cujus præcordiis radicata est discordia.

§. III.

Vulnera Christi Paci obstetricantur.

XIII. Tertium commodat plurimum Paci, incommdatque hosti Armamentarium copiosum. Quemadmodum enim illa securè supra armorum provehitur supellectilem, ita hi eadem percelluntur, fuganturque.

Vulnera Christi Armamentarium

Id verò nobis copiosissimum exhibetur in Christo pro nobis confixo sacratissimisque ipsius vulneribus. Ipse enim est *Turris fortitudinis à facie inimici.* Ibi non modò non tangemur à sagittis, nec lædemur à jaculis, sed creabimur in sagittarios, & jaculatores, à vulneribus, ceu jaculis inimicos nostros ferientibus. *Quo cum fugero,* ait D. Augustinus, *non solum vitabo tela inimici, sed etiam in illum tela jaculabor.*

Psal. 60.

Non solum nos tuemur, sed etiam triumphamus, deque inimicis spolia referimus; non solum non patimur detrimentum sed insuper lucramur, faciendo progressum in gratia, virtutibusque. *Quoniam tu es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* *S. Aug. in ps. 60.*

XIV. Ipse est nobis instar illius turris, ad Sionis arcem à Davide ædificatæ; *ex qua mille clipei pendent, omnis armatura fortium.* Etenim in cruce Dominus ad pacem animæ firmandam, veluti in turri munitissima contra hostes animæ nostræ appendit, non mille quidem; sed quinque clypeos, vulnera nempe sua sacrosancta, scutis quibusvis valentiora, ac potentiora, in quibus omnis armatura fortium Martyrum, Confessorum, ac Virginum reperitur. Quis enim hostis tam effrons, tamque arrogans, qui his clypeis non redundatur, Num forte Avaritia in pulvere subsistet, viso mundi principe pelle ipsa spoliato? Num superbia supercilium eriget, visa illiusmet Majestate ad centrum usque ignominiarum dejecta? Num Cupido suis armatus telis insolescet, fixo in sanctissimis ipsius vulneribus, visceribusque obtutu? *Turris David ædificata cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea.* Non insolescent, non vincent, sed victi concident, prosternenturque. Nam ut ait S. Leo: *Clavi illi, qui manus Domini, pedesque transfoderunt perpetuis diabolum feriunt vulneribus, & sanctorum plagæ membrorum (totidem velut sagittæ) inimicarum fuerunt interfectio potestatum.* Ita potens est hæc Armamentarium, ut inexpugnabile manserint, quicunque eo nisi fuerint; ut vel solo illius intuitu, *Cant. 4. v. 4.* *S. Leo ser. 11. de Pass.*

tu, animati armatique Martyres jam non vulnera, sua, vulnera æstimarent; sed decora, ac glorioſa munera, paratique eſſent pro Chriſto graviora tormenta ſubire; ſi excogitare, aut inferre graviora potuiſſet crudelitas. Ita potens, ut ſecuros, quietosque reddat, quicunque eodem nituntur.

Vulnera Chriſti fœderis ſigilla

XV. Firmaturus Dominus pacem ſecundum cataclyſmum Oecomenicũ cum Noe, poſteriſque ipſius, Arcum cæli, ſeu iridem in monumentum illius poſuit: *Arcum meum ponam in nubibus cæli, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram.* Eſt Arcus ex natura ſua ſignum belli, & conflictus, & iris ſignum pluviæ, & nihilominus poſitum eſt ad pacem indicandam, diluviumque avertendum. Ad eundem modum Vulnera Domini etſi necem, interitumque minentur hoſtibus; nobis pacis, gratiæque ſunt prognoſtica. *Non ſolem fidem firmat*, ait D. Ambroſius, *ſed etiam devotionem acuit, quod vulnera ſuſcepta pro nobis, cælo inferre maluit, quam abolere; ut Deo Patri pretia noſtræ libertatis* (noſtræ pacis) *oſtenderet.* Renuit expungere cicatrices, oſtenſurus Patri, qua fortitudine, quaque heroica patientia nos à ſervitute vindicaverit; ſuumque per ſanguinem pacificaverit omn a, quæ in cœlis, & in terris. Renuit abolere quatenus eſſent trophea victoriæ, memoriale paſſionis, fœderis ſancitæ ſigilla perpetua. Ergo ne fieri poteſt, ut eadem vel patrem iratum ad Clementiam non inflectant, quin in amicitiam vel rebelles recipiat? Ergone fieri poteſt ut ſalva ſubſiſtente hac turri, armiſque nos ſuccumbamus?

Gen 9.

Amb. in Hex.

XVI. David dubius de fide, ac gratia parentis Jonathæ, petiit abeo quodnam judicium pacis ab eo præſtolari poſſet? Cur ille; *Si inveſtigavero ſententiam patris mei, craſtino, vel perendie, & aliquid boni fuerit ſuper David, & non ſtatim miſero ad te, & notum tibi fecero. hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perſeveraverit malitia patris mei adverſum te, revelabo aurem tuam, ut dimittam te, ut vadas in pace.* Inſtitit David exorando per quem id, & quo argumẽto, ſeu indicio reſcire poſſet, ne vel ille vel ipſe proderetur. Repoſuit Jonathas. Sedebis juxta lapidẽ, cui nomen Ezel, & ego tres ſagittas mittam juxta eum, & jaciam quaſi exercens me ad ſignum. Mittam quoque & puerum dicens ei: Vade & affer mihi ſagittas. *Si dixero puero, ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas tu, & veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali. Si autem ſic locutus fuero puero: Ecce ſagittæ ultra te ſunt, vade in pace, quia Dominus te dimiſit.* Idem ego unicuique dico; ſi hæ ſagittæ, hæc vulnera, quibus cor tuum ferit per conſiderationem in te hæreant, *Pax eſt tibi.* Sed ſi fortè ultra te ſint; ſi non tantum ex oculis; ſed & ex corde evanuere, non eſt, quod exſpectes, fuge. Etenim hæc ipſa vulnera, quæ tibi eſſe debuerant aſylo, ipſa tibi futura exitio.

1 Reg. 20.

Ibid.

Quo circa cum Jeremia Vate vos alloquor, & moneo: *Quærite pacem civitatis, ad quam migrare vos feci, quia in pace illius erit pax veſtra.* Quærite pacem cum Deo veſtro, cum proximis veſtris, cum vobiſmet ipſis in civitate veſtra, in turri veſtra, in aſylo veſtro, in vulneribus Domini Dei veſtri, in foribus clauſis, in ipſo Aſſertore veſtro.

Ier. 29.

ſiquidem

siquidem in pace illius erit pax vestra.

Horrescat ille, quisquis pacificis reluctatur intentionibus graviorem de cœlo manum, ne dicam fulmen, infaustissimosque rerum successus. Timeat ne excidat sorte, & dignitate pacificis constituta; siquidem *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.* Expaveſcat, qui hanc panem gratiosè allatam non suscipit, qui hic rixari haud desistit, ne ibi Furiis ac Harpiis infelix digladiator æternum cohabitet. Amen.

CONCIO XXII.

IN DOMINICA II. POST PASCHA.

Lupus rapit, & dispergit oves Joan. 10.

ARGUMENTUM.

Infectatio Luporum.

QUis ille? Non hic agitur de efferis illis, & irrationabilibus, silvarum, nemorumque latibula incolentibus Lupis; quemadmodum nec de ovibus brutis in campis pabulantibus. Aud. Quis ergo ille? Numquid diabolus? Profecto Lupus hic rapacissimus, qui gregem Domini dissipat, cum fidelem populum per tentationem necat. Verum ligatus ille est; latrare, ululare potest; mordere, jugulare non potest, nisi volentem. Crudelior, & efferatior est alter, isque domesticus. Quis hic? Num hæresiarcha quispiam? De his Vas Electionis: *Ego scio, quoniam post discessionem meam, intrabunt Lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Revera Lupi etsi in vestimentis ovium, qui oves, canesque Ecclesiæ id est Doctores persequuntur; qui effingunt nonnunquam vocem canis, & Pastoris quatenus liberius grassentur, oves que ad dexteram alio qui locandos offuciis suis abripiant, dispergant, enecent. Sed his Dei benignitate hæc Communitas exempta est. Quis tandem? Respondet D. Gregorius: *Lupus super oves venit, cum quilibet injustus, & raptor, fideles quosque atque humiles opprimit.* Et hi perinde, ac Lupi duplicis sunt generis. Alii enim vespertini dicuntur, qui sub vesperum, aut noctu gregi insidiantur; alii meridiani, qui in luce serenissima oves dispergunt, rapiunt, offocant. Ita domestici Lupi, alii sunt, qui clanculum, astu, & fraudibus simplices circumveniunt; alii qui vi, palamque eorum bona sibi arrogant, mordi-

Lupus quis

Act. 20. v. 29.

D. Greg hb. 14. in Evan.

cusque

cusque retinent. Quid cum his agam? (Neque enim in hac urbe, ac vicinia desunt, qui vel in proprium sanguinem desæviant.) Quid agam dico? Anno evoluto conabar illos edocere *Pater noster*, sed fortasse incassum, remussitat enim ille: Ovis, Lucrum. Vellem hodie edocere illos Arithmecam, quatenus percipiant, quanta debita contrahant, vel in hac, vel in alia vita exolvenda. Sed Lupus non curat numerum, devorat etiam numeratas oves; (ut vulgò jactatur.) Quid ago? Jungam illum aratro, siquidem est bellua fortis, multorumque rusticorum boves, asinosque jugulavit. Subeat igitur ipsorum onera, vicesque expleat. At difficile est cum Lupo arare. *Fodere* inquit, *non valeo*. Quid igitur? Insectabar belluam, canesque concitabo in illam.

Narratio.

Canes doctores Isa. 56 10.

II. At unde Canes? Quemadmodum Lupi præfati rationales sunt: ita canibus non brutis, sed rationabilibus; non Anglicis, sed Angelicis ad eos exagitandos opus est. Quinam isti? Apud Isaiam redarguit Dominus scribas, & Legis Mosaicæ Doctores, quod essent *Canes muti, non valentes latrare*. Canes duntaxat ad devorandam substantiam gregis Dominici; Canes, qui os habebant oppilatum offa auri, munerumque; aut eodem scelere, quod increpare debuerant, coinquinati. Ergo ut illi, & iniqui Doctores Canes muti, canes inutiles, noxii; ita Canes perinsignes, generosi, ac vocales, Prædicatores boni; habentes linguam ad sanandas animas, ad allatrandum perfidos, ad defendendum justos. Hisce utar in Venatione mea præsente, ad raptores iniquos exagitandos, tollendosque.

§ I.

Invectiva D. Augustini in Lupos rapaces.

III. Age præcurre Augustine. Hem quem nomino, quam Angelicum Canem incito? Illum inquam, qui Pelagianos, Manichæos, Donatistas, aliavè hæreseos monstra in tantum insectatus est; ut pleraque vel omnino confecerit, validissimè infirmaverit. Hunc jam recingo, inque eos imprimis concito Lupos; qui pecuniam in divisione bonorum celant, qui ea, quæ sibi vendicant, minimi; quæ alteri parti obveniunt, maximi appendunt; qui pupillorum hæreditatem iniquissimè sibi usurpant. S. Augistine invade ocius, arripe, strangula, offoca. Audite, utlatret vel eminus; & pavescite: *Quæ ista aviditas concupiscentiæ? Nec timet Deum, ne hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Viduam opprimit, pupillos invadit, liberos in servitutem revocat, testimonium falsum profert. Quæ est ista insania amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum*. Quæ inquam vesania ô Lupe in suum degenerante natura sævire sanguinem? Hominem incommodo alterius suum commodum augere, magis adversatur naturæ, quam pau-

Avaritia tyrannis

S. August. ser. 6. de verb. Domini

paupertas, quam dolor, quam Mors ipsa. Si enim hæc affectio in nobis sit, ut quisque propter suum emolumentum spoliet alterum, aut violet, necesse est tolli hominum societatem, quæ est secundum naturam. Quæ ergo rabies tua, quæ cœcitas, ut nec agnato parcas sanguini, nec præsens intuearis exitium, & intentata in interitum tum venabula? Quæ est ista vesania acquirere aurum, perdere cœlum, amittere vitam, appetere mortem?

Lucra Muscipula

Ibid.

IV. Urge, urge preme Augustine fortius. Pergit idem: *O lucrum damnosum! dum acquiris pecuniam, perdis justitiam, perdis animam. Prædam, quam rapere cupis muscipula est, in qua sicut mus volens capere lardum caperis, dum capis; detines alienum, à diabolo detineris.* Nonne observasti Lupe, quemadmodum muri insidiæ struantur; ut modicum adipis appenditur, quod cum primum prehendit, apprehenditur; felixque in prædam cedit, aut aquis immergitur? Nonne vidisti, ut modica grana, aut spica aliqua inter laqueos ejicitur; quam emedullando volatilia cœli illaqueantur? Nonne notatum est à te, ut fratri tuo Lupo effero, & silvestri fovea eruitur, & porcellus quispiam, aut anas in offam exponitur, quem cum is ardet devorare, ipsemet, offa salva, & integra, à foveæ faucibus absorbetur. Hæc tua sors est, hæc alea te manet rapacissime oppressor. Quidquid per vim à pupillo, à proximo, à cognato extorseris, id laqueus est, hamus est, quo caperis, & detineris: *Dum capis, caperis.* Tu tenes offam, & lucrum, diabolus te stringit mancipatum. Etro alii liguriunt, & decoquunt offam, & lucra injusta, manente re perinde ac Lupo silvestri in fovea inferni famelico & egeno.

V. De creaturis universim loquitur sapiens: *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum; & in muscipulam pedibus insipientium.* Non suo tamen vitio, sed culpa eorum, qui iis abutuntur. At id multo verius de injustis dicitur, quod hac ratione à præda sua illaqueentur, capiantur, vita, saluteque sempiterna excidant. *O vere lucrum damnosum, dum acquiris pecuniam perdis justitiam, & animam.* Et quid prodest, si vel mundum universum lucreris, animæ vero tuæ detrimentum patiaris? Quid prodest, si in hoc mundo gaudeas, in altero inter stridores dentium ingemiscas? Quid prodest, si hic per rapinam tibi nundineris nomen opulenti, si alibi subeas carcerem æternæ ignominiæ, & tormenti? Quid prodest, si filii tui gaudeant bonis iniquè partis; tu extremis conficiaris suppliciis? Numquid sitim tuam extinguent inter flammarum volumina, ipsorum falerna? Numquid famem Tantaleam sedabunt ipsorum epulæ? Numquid pœnas tuas mitigabunt ipsorum deliciæ? Numquid nuditatem tuam operiet ipsorum purpura? Nunquid Judicem, aut Tartarum placebunt, ipsorum divitiæ? Ah falleris, falleris miser! Ipsorum vina tuum vehementius inflammabunt incendium; ipsorum epulæ tuam irritabunt acerbius famem, ipsorum opulentia tuam exaggerabit inclementius miseriam. Quantum illis accedit ex bonis tuis fastus, ac malitiæ; tantum tibi sup-

Sap. 14. v. 11

plicii, ac lanienæ. Sic dum nomen tuum, aut filiorum promovere satagebas fortunam, unam tibi præstinasti infelicitatem. *O verè lucrum damnosum &c.*

Furta & lucra injusta restituenda

VI. Exululas forsitan: Confitebor peccatum meum. Quid? Confiteberis? Ah, ah non satis est: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potsit; & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed simulatur; si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Non sufficit tibi ô Lupe emulsitare *Confiteor mea culpa*, nisi una resarcias damna, nec dignus es peccati venia; nisi una refundas ablata.

S. Aug Ep. 54. ad Macedonium

Damna emergentia compensãda

Regurgitas: Refundam ergo. Utinam quod est in ore, sit in corde. Attamen scito, non satis est restituere quod surripuisti, nisi insuper damnum emergens, ac perturbationes, afflictionesque compenses. Nam & fur tametsi refundat tem oblatam, attamen manet obnoxius supplicio, aut mulctæ pecuniariæ; ita & tibi haud satis erit restituere ablata, nisi etiam damna emergentia exæques.

Reululas: Faciam. Bene est. Quando autem? Non te failat, quod quamdiu rem alienam detines, tamdiu non cesses furari, & peccare. Non enim minus, quam furum quicunque rem alienam detines, invito Domino. Non te lateat, quod si identidem promisisti conscientiæ tuæ arbitro, te læsæ parti satisfacturum, nec fidem exolvisti, te ab eodem expiari salva religione non posse. Non te prætereat, utut aliis virtutibus Christianis ad speciem effulgeas, & debita non restituas, si possis, de salute tua actum esse.

VII. Necdum obtumescis. Pauperes, responsas, successores relinquam in Testamento, & in codicillis meis eos rerum mearum Dominos instituam, inscribamque. Videlicet cum non amplius inhumanis eris, tunc humanus fururus es. Cum te cadaver videro, fraternæ charitatis studiosum appellabo. Magna tibi laus danda erit, quod post mortem justus esse velis; perampla gratia habenda de officio pietatis, quod cum in sepulchreto jaceas, & in cinerem resolutus sis, liberalis, ac magnanimus videare. Quid in hoc differs à Lupo silvestri? Nonne & ipse secundum fata sua cedit pellem suam aliis. O igitur insignem pietatem tuam! postquam tu, & proximus à te oppressus interiit miseriis, ac dolore confectus, alios illius vellere fovere velle. Domino suo proprio ablata restituenda, vel successoribus posteris; (Si id, ut dixi fieri queat,) non pauperibus, non monasterium, non ecclesiæ. Quidquid ex illorum bonis erogaveris in pias causas, in illorum cedit salutem, non in tuum solatium, Etsi forsitan hac in parte pietati quidpiam litaveris, Iustitiæ necdum satisfecisti.

Bona ablata propriis Dominis restituenda

Quanquam quid frustra tecum disputo Lupe? Vana sunt hæc tua auguria; attamento, utinam non etiam

atra mente

atra mente satisfactionem in agone polliceris. Quis enim tibi renuntiavit diem exitus tui ? Quis fidejussor erit de genere mortis tuæ ? Quod violentis casibus sublati sunt, quibus ne in vocem quidem prorumpere licuit? Quot febris ad insaniam redegit ? Quid igitur tempus præstolaris, in quo nec cogitationum tuarum arbiter eris ? Nox profunda, morbus gravis opitulatur nusquam ; sæpe mentem abripiunt, & in diversa agunt. Insidiatores verò bonorum in promptu aderunt, agentque consilia, quomodo cuncta ad se pertrahant, tuasque voluntates postremas ad petram allidant. Non evades itaque Lupe, quidquid votorum conceperis, quidquid excusationis attuleris, nisi ocius resipiscas, ac restituas.

§. II.

Invectiva S. Chrysostomi.

VIII. Fatigas te nimium cum hoc cane mi Augustine ideoque in auxilium socium tuum recingo Antiochenum. Illum inquam cujus latratu non Antiochia duntaxat, sed ipsa Cæsarea Majestas in Eudoxia expalluit; qui nec ferro, nec morte ab exagitandis Lupis inhiberi potuit.

Alexandro Macedoni oblatus erat canis à Bactrianorum Principe, quem cum incitaret in ursum jacuit, in aprum vix respexit, at ubi Leo emissus tam mordicus prehendit, strinxitque fauces, ut quantumvis cauda primum, tum pedes præcisi essent, attamen non desisteret, & cum morte ipsa hostem non dimitteret. Typus hic Canis mei Angelici, invasit & hic Leænamne, an Lupam, propter rapacitatem, rectius dixerim, Eudoxiam ; & quantumvis eidem adjectiva quæque, & pedum, ac tiara pastoralis adimeretur, quantumvis in exilium proscriberetur, attamen ad mortem usque non destitit suo fungi officio, luposque offocare. Hunc jam inclamo, hunc emitto; KS. Invade, apprende, offoca Chrysostome. *Si Lazarus nulla affectus injuria à divite, sed quod iis modo, quæ illius erant, fruitus non est: acerbus illi extitit accusator ; qua defensione utentur ii, qui præter quod non misereantur de sua, etiam auferant substantiam alienam? Si illi, qui Christum esurientem non aluerunt, cum diabolo inextinguibili igni addicuntur ; quantum supplicium dependent ii. qui fame Christum necant, uer id quod rapiunt ; & vestitum denudant ; & hospitem non modo non recolligunt, sed abigunt etiam ; & infirmum non modo non visitant, sed magis conterunt etiam ; & vinctum non cognoscunt ; verum etiam solutum in carcerem conjici curant ? Si qui sua non impartitur accusatorem habet eum, cujus misertus non est, quam veniam merebitur is, qui aliena rapit ? & pupillorum, ac viduarum domos evertit?*

S. Chrysost Or. de Avaritiat. c.

Avarorum conditio misera

Majol Can. 7. l.

IX. Majorum nostrorum ætate bonum omen habebatur, si in egressu è Penatibus propriis gibbosum quispiam obviam nactus fuisset. Forte, quod Gibbosus quotidianum pon-

Gibbosus olim bonumomen

dus suum citra laborem ferre videretur? vel quod tumore ipso largam opulentiam, congestosq; quasi in mantica thesauros adumbraret. At ego siniſtrum id potius omen interpretor; & quotiescunque mihi quispiam occurrit, de cujus evidenti rapina constat, hominem mihi arbitrari videor, iam inferiori Averno devotum, quem Furiæ coronant, operientes Dei dispensantis nutum, ad ipsum abripiendum, ac dilaniandum.

Avari Camelo similes

Quæritis undenam id augurer? Audite. In eiusmodi Gibbosos Camelum mihi imaginor, enormi promontorio in dorso oneratum, & reduco mihi Domini mei acroama: *Facilius est Camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum*, iniquum maximè, & harpaginem. Nec illud, nec istud ordinario naturæ cursu evenire potest; & si contingat prodigium est in utroque. Non ergo felicitatis, sed infortunii maximi omen gibbus est.

Matth.19.v 24. Mar.1.v.25. Luc.16.v.25

Item Draconi

X. Sapientes Antiqui, teste Clemente Romano, & aliis, dracones thesauris incubare credebant. An ut Divinitatis apud eos serpens hieroglyphicum extitit, ita Divinitatem quandam nummis hac ratione attribuebant? An ut notarent incredibiles avarorum vigilias, ita ut Argi & insomnes dracones videantur in tuendis suis gazis? An quod Avari perinde ac dracones exitiales sint, & maxime venenati? In compertum mihi est. Id verius edixero; illos iam à draconibus Tartareis possideri, qui aliena per vim & rapinam sibi vendicant. Non enim me sinit errare, qui entheo ore prolocutus est: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum.* Qui volunt divites fieri, sibi præcipitium effodiunt. quoque profundius sibi, per omne nefas accumulando, illud eruerunt; eo deterius devolvuntur.

Tim.6.v.9.7.

Avaritia hydra

XI. Poëta Avaritiam seu habendi libidinem, in monstro hydræ ad umbrarunt. De hac scribens Aristonicus apud Photium', dimidium illius caput aureum fuisse author est, qualis autem pars altera dimidia fuerit, subticuit. Si liceret conjecturare, dicerem fuisse merum virus, ut ex auro, & veneno, veluti ex duobus funestissimis elementis constitisse mihi videatur; quod vix Hercules clava sua, & invicta fortitudine conficere quiverit. Hoc monstrum eruditis hominum ingeniis in palude, perinde ac proprio domicilio ab ipsis natum, ac conservatum fingitur. Et ubinam quæso iniquitas, seu injustitia moratur? Apostolus qui ad tertium cœlum raptus, & audivit arcana Dei novit probe ubi ponendum fuerat, & inscripsit eidem profundissimam Orci abyssum: *Mergit homines in interitum, & perditionem.* Ubi pro mergere Græcus textus habet: *in profundam abyssum demittit*, ut nimirum miserandam divitum cataſtrophen ob oculos ponat; ostendatque quod quanto sublimius eminere aliis, substructis sibi ex aliorum facultatibus, quasi quibusdam subselliis, nitebantur; tanto miserabilius prolapsos esse; aut prolapsuros. *Mergit homines in interitum.* Audis hæc Lupe, &

Injustorum interitus

non

non exululas super mala tibi jamjam impendentia.

§. III.

Invectiva S. Iacobi Apostoli.

XII. Ut hoc præstes, idque à te evincam, vel penitus tibi fauces præcludam, adhuc unicum, eumque Apostolicum canem emitto. D. inquam Jacobum Apostolum: Audite, & contremiscite, quotquot adestis, quam potenter Lupos hosce infestet: *Agite nunc divites plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.* Non ait, lugete, plangite, plorate, sed *ululate*, (quod proprium est luporum, ac ferarum) super ea, quæ eventura sunt vobis. Quænam illa inquiritis? Ecce subdit idem: *Ærugo* (divitiarum vestrarum) *in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizastis enim vobis iram in novissimis diebus.* O verè terrifica verba, quæ certè animum medullitus configerent, nisi aures multo auro (quæ sentes inutiles indigetantur) præclusæ essent.

Luc. 5. v. 1.

Ibid.

XIII. Duo hic ingentia mala tangit Apostolus, quibus vos Lupi lamentabilem in modum cruciandi estis; qui toti fuistis in coacervandis opibus, ac possessionibus. Primum, quod ad vestrum opprobrium in extrema judicii die spectat, est: *Ærugo eorum in testimonium vobis erit.* Ærugo ipsa pecuniarum vestrarum, quâ firmissima custodia, non restituendo eam Dominis propriis vallastis, ipsa bonorum raptorum putredo, ipsæ tineæ quibus vestimenta, vel tigna erosa sunt, in illo districto judicio, in nationum omnium luce, ac conspectu prodibunt in medium; & vestram avaritiam, vestram injustitiam, vestram in pauperes inhumanitatem, ut incorrupti, legitimi, atque oculati testes incusabunt. *Ærugo eorum in testimonium vobis erit.* Hic secura est iniquitas, si tamen apud Consules hospitetur; nec caret laude vitium, & injustitia, si lauro non careat. Nescit ruborem in cocco, satisque à securibus securum est flagitium inter fasces; eoàlictore securius & à supplicio remotius, quo propinqui? lictoribus, Judicique vicinius. Timet hic iniquitas flammas, si recubet in fœno, secura exultat, si in auro luxuriat. At vero in illa die, in illa vita, nullum discrimē jam faciente inter divitem & pauperem auro & cocco, *ærugo ipsa in testimonium vobis erit.*

Divitiæ noxiæ

XIV. Vaticinatus idipsum vobis Habacus Vates oraculo suo: *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus. Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter junctura est ædificiorum respondebit.* Væ illis, ait, quibus ut accrescat lucellum in cista, nihil pensi habent violatæ justitiæ leges, causisque omnibus cereum nasum affingere; tracturi jus in eas partes, unde majorem conjiciunt fortunarum accessionem. Væ illis, quorum insatiabilis acquirendi cupido facit ad cœlum suspirare pauperes, aut pupillos, expugnaturos Deum armatis sive precibus, sive lachrimis in vindictam, tam inclementer ipsos tractantium, & opprimentium. Væ illis, quia etsi pœna differatur, non

Habac. 2. v. 9. & 11.

auferetur Ærugo ipía, lapides ipſi, lignave, coram Deo, totoque mundo, veſtram tandem injuſtitiam, rapinaſque evulgabunt, meritam vobis exoratura Nemeſim. Etſi enim homines obmuteſcerent, lapides ac ligna haud ſecus, ac ſanguis innoxiè effuſus vindictam intonabunt, omneſque diras, ob vim illatam, evoment.

Opes injuſtæ vertuntur in tormenta Luc. 3. v. 2.

XV. Alterum eſt, quod vobis hic minatur Apoſtolus: *Ærugo eorum manducabit carnes veſtras, ſicut ignis.* Eadem ærugo in fluvium igneum refingetur æris candentis; & eliquabitur plumbi inſtar balneum ſordium veſtrorum. Eadem ligna domorum, hortorum, animam veſtram inflammabunt, exurentque miro, ſed tamen veriſſimo artificio. Illæ ſepes, quas vos agrarii in diſpendium dominorum ſurripitis, vertentur in carbones, quibus uſtulemini: *Manducabit carnes veſtras, ſicut ignis.* Eò quod vos ex avaritia ſiviſtis æruginem depaſcere opes veſtras, ea pariter in vos, deſæviet devorabitque carnes veſtras in gehenna. Nam per quæ quis peccat, per eadem punitur. *Manducabit carnes veſtras ſicut ignis*

Probatur exemplum

XVI. Quod ut liquidum orbi eſſet, ipſimet fulminati ſuam nonnunquam ad terrorem veſtrum evulgavere damnationem.

Greg. Turon. de gloria M. c. 106.

Gregorius Turonenſis Vir fidei integerrimæ, narrat ex ſepulchro cujuſpiã fœminæ avaræ inaudita lamenta, vocemque emiſſam: *Torqueor igne aureo, torqueor igne aureo.* Patefacto autem tumulo conſpexere præſentes, aurum liquefactum cum ſulphure in fauces emortuæ infundi.

Ita in civitate Metenſi fœnerator jam jam abiturus ad plures, rogavit conjugem, ut ſacculum pecunia plenum juxta ſe poneret in tumulo, tanquam ſolatium, & præmium laborioſæ ſolertiæ. Id quantumvis clam factum erat, tamen à quibuſdam noctu effoſſum eſt ſepulchrum, ſperantibus aliquas de auro, atque argento divitis reliquias. Sed terri ſunt ingenti portento. Clarè enim intuiti ſunt binos monſtroſæ magnitudinis bufones, & alterum quidem ſacculo, alterum mortuo inſidentem; ita ut prior nummos ex ſacculo extractos porrigeret poſteriori, hic eos cordi fœneratoris ingereret: manifeſto documento, quod ærugo eorum manducaverit carnes ipſorum ſicut ignis. *Cæſar. illuſt. mir. lib. 11. c. 39*

Subdit proinde S. Jacobus: *Theſaurizaſtis iram in die iræ.* O theſaurum exitialem! ô theſaurum fulminandum! Voluiſtis coacervare aurum, & coacervaſtis vobis iræ theſauram. Coacervare conati eſtis divitias, & exaggeraſtis veſtras miſerias; auxiſtis mũdi cœnum, & perdidiſtis cœlum. *Theſaurizaſtis vobis iram in die iræ.* Theſaurizare vobis debueratis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur; at vos theſaurizaſtis vobis in terris ubi & ærugo & tinea demolitur, ubi fures effodiunt, & furantur, & ideo *Theſaurizaſtis vobis iram in die iræ.* Ipſæmet opes evaſere cordis veſtri tineæ, & latrones; ipſum aurum non eroſum, erodet vos: *Manducabit carnes veſtras ſicut ignis.* Theſaurum congregare debueratis indeficientem in cœlis, & vos coacervaſtis vobis theſaurum inexhauſtum *Ibid.*

ſtum pœnarum in inferis.

Theſaurizaſtis vobis iram in die iræ.

Eheu quem hi latratus non percellant? cujus aures non tinniant? quis totis ad eos non contremiſcat artubus

XVII. Quod ſi tamen Luporum quiſpiam tam ferrei eſt pectoris ut his minimè commoveatur; quod ſi tam induratæ mentis, ut hos morſus non ſentiat; quod ſi tantopere obſurduit, ut latratus hos non exaudiat, is timeat dentes Cerberi jam jam ſibi infigendos. Agnata enim Lupis omnibus laniena eſt, & ſi moloſſi, aut hybridæ hic deſint; alibi certo certius invenient, qui dentes in ipſos defigant.

Time igitur ô Lupe, ne eadem te ſors involvat, & antequam id tibi eveniat, pellem non pilum muta, (*Pellem enim pro pelle dabit homo pro anima ſua.*) exue te bonis alienis, & unicuique quod ſuum eſt reſtitue. Præſtat hic pauperem vitam agere, quam ibi in ſtagnis ſulphureis cum Tantalo captare poma fugatia. Præſtat hic refundere, quam ibi excruciari, dum ſolvas ad quadrantem noviſſimum (quod unquam futurum eſt.) Præſtat hic ſtipem oſtiatim corrogare, quam ibi cum epulone avaro incaſſum guttam unam ad refrigerandam linguam à Lazaro emendicare.

Iob. 2. v. 4.

Tu interim ô Chriſte Salvator, Paſtor optime animarum noſtrarum, Agnellos tuos fove, oppreſſos erige, afflictos ſolare, & ex ſterilibus hiſce paſcuis ad æterna & opima viridaria promove. Lupos verò in tantum tranſmuta, ut depoſita feritate humanitatem induant, & ad omnem juſti rectique normam componantur. Amen.

CON-

CONCIO. XXIII.

IN DOMINICA III. POST PASCHA.

Mundus gaudebit, vos autem contristabimini Jo: 16.

ARGUMENTUM.

Pondus Gaudii mundani, ac luctus.

I. EXactissimè ac maturo judicio lances mortalium expendisse autumo purpuratum Psalten cum caneret: *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Mendaces* non tam in stateris propriè dictis quibus caro, lana, piper, & similia appenduntur; sed in stateris judicii, rectæque rationis, quibus discernitur, & quasi in libra appenditur bonum, ac malum, apparentia, ac vera bona, apparentia ac vera mala. *Mendaces*, quia vident meliora, probantque, deteriora sequuntur; vident meliorem probantque pietatem, ac justitiam, & sequuntur impietatem, ac iniquitatem. *Mendaces in idipsum.* Etsi aliis in rebus discripent, in idipsũ conveniunt, in hoc uniti, ac conjuncti sunt; ut vani sint, ac mendaces, fallant semetipsos, ac alios.

Psal. 61. 10.

Elucet id ex hodierno Evangelio, in quo sub septemplici modico, modicum temporalium gaudiorum, ac afflictionum nobis proponitur. Et quanti ducimus æquè istud atque aliud? Si quispiam uno alterove mense conflictetur febribus, si macereturcuris, si stringatur inopia, si excrucietur vulnere, inæstimabile pondus sese sustinere atbitratur. Si item Zephyris ad vota alludentibus provehatur, si fluant in sinum solatia, si cuncta eveniant virgula divina; vix sese capiunt; aut beatitatem suam; & ad prorruentis fortunæ catadupas prope obsurdescunt, aut lippiunt; ne quidpiam de novercante vel audiant, vel videant. Et tamen modicum id omne ait suprema, atq; infallibilis veritas, æterna, divinaque majestas; quod nos maximi pendimus.

Unde autem tanta judiciorum nostrorum à divinis diversitas? Unde resultat vitæ, ac rationis falsitas? Non aliũde quam quod stratera dolosa, gaudia nostra, ac ærumnas appendamus. Ne itaque subinde paribus circumscribamur fraudibus, vectum, justissimumq; pondus vobis exhibere contendam. Id dum pertracto, à Domino Deo meo gratiam, à vobis benevolentiam efflagito.

Narratio ac Partitio.

II. In omni regno bene ordinato, ac

ac civitate, una esse assolet mensura, ac pondus commune, & justum; cui omnia cœtera conformantur. Ita solymis erat pondus aliud chori; aliud fori; aliud sanctuarii, aliud prætorii. Ita apud Ascetas, & æquissimos Libripendes rerum spiritualium, ac temporalium exhibetur pondus infallibile; quô libremus mundana gaudia; cui appendamus humanas miserias, atque ærumnas.

§. I.

Pondus ac mensura rerum omnium AEternitas.

III. Pondus hoc non est aliud, quàm pondus sempiternæ gloriæ, non est aliud quàm pondus ignis gehennalis, non est aliud quàm pondus incomprehensæ æternitatis. Hæc est decempeda justissima, & pondus æquissimum, juxta quod cursum vitæ nostræ componere, ac dirigere par est, ne in trutina judiciorum nostrorum hallucinemur.

AEternitas expensa.

Hujus momentum unicum ut dimetirentur, aut appenderent nonnulli ad ripas fluminis, vel mente, vel etiam corpore sese recepêre, ibidemque trutinâ judicii sui expendebant, quantos jam gurgites illud in pelagus exoneraverit; ex quibus si hydraulum quodpiam conficeretur eo artificio, ut non nisi una guttula intra myriadem annorum defluere, quanta congeries sæculorum evolveretur quoad vel flumen integrum, vel etiam Oceani vastitas distillaret. Unius nimbi stillas ad calculos revocare nequimus, quantò minus pelagi profundissimi guttulas numerando emetiri. Evenire tamen illud potest, & illucescere tandem illa dies, quâ hydraulum tam vastum exstillaret; ut vero quidpiam de æternitatis momentis subtrahatur fieri omnino non potest. Addo evenire potest ut vel unus Cain, aut Judas fulminatus in tot eliquet oculos lachrymas, ut Oceanum adæquet, ac universi diluvium conficiat; ut vero quodpiam de æternitatis momento decedat, omnino implicat.

IV. Alii ad calculandas arenas maris, & orbis, & orbis universi mentem obverterunt, ut vel hoc pacto in aliquam Æternitatis notitiam devenirent. Finxerunt itaque spatium id tutum, quod est inter terram cœlumque lunæ, immô & Empyreum arenis tam minutis impleri, ut mille vix adæquarent unum granum papaveris. Hem quanta immensitas arenarum, seu potius atomorum in tantam cogeretur vastitatem. Quippe suprema convexa cœli juxta communem Astronomorum computum supra octuaginta milliones milliarium à terra elongantur; & si fortè lapis molaris demitteretur exinde, non nisi intra viginti quinque annorum spatium terram contingeret, tametsi in horas singulas millena milliaria conficeret. Attamen numerus harum arenarum, teste Clavio Astronomiæ peritissimo; levi pollice in membrana quapiam stringeretur. Quales autem quotve notæ, ac signa condensanda erunt dies, quibus tantus numerus comprehenderetur? quanta papyrus insumenda, quæ eum admitteret? Mi amate reponit Clavius tunc

id cures multum, unâ liniola totum tibi numerum est exhibitura. Si es Arithmeticus lege, & ad calculum revoca sequentes notas, & in compendio totum numerum habebis 10000000-00000000000000000000000000-00000000000000000000. Etenim quinquaginta duæ notæ numerum illum totum & majorem comprehendunt. Jam vero si duplicaretur numerus ille, si syllabus nunc numericarum notarum ad unum sese milliarium extenderet, quod si ad millena, quid si mare totum in sepiam converteretur, frutices & arundines in calamos, tota cœli vastitas in membranam, eaque tota notis consignaretur, quis vel Angelorum tot myriades computaret? Mens hic defuit, sensus exerrant, tota in stuporem rapitur natura. Et tamen is numerus tandem aliquando exhauriri posset, æternitatis autem momenta minui aut computari nullo modo possunt.

V. Alii comminiscuntur totum universum in unum adamantem conversum, aut in chalybeam æreamque massam conflatam, tantaque intercapedine duraturam horam illius primum, quod vel culex quispiam centenos intra annos semel transeundo in pulverem minutissimum suis pediculis, aut avicula suo rostro defricaret, Trutinate quæso, quam immensus sæculorum ordo protenderetur, quoad vel minimum vestigium, vel minimũ tramitem in illa adamantina rupe excavaret enervis culex, & assurgite ad præconcipienda sæcula, quæ in tota illa comminuenda evolverẽtur. Vix evenire quispiam id posse arbitrabitur, ut id aliquando ad exitum deducatur. Et tamen absolutè fieret tandem, & totus ille mons adamantinus, aut chalybeus suppar cœlo ipso, in atomos redigeretur, ut verò de æternitatis ponderibus decedat quidpiam omnino implicat.

VI. Ego omnia hæc ponderalanci unicæ impono, omnesque annorum myriades, vel in lymphis, vel in arenis & numeris, vel in globo figuratas in unum cogo, & expẽdo si omnes guttulæ maris intra tot sæcula exhaurirẽtur, si omnes atomi terrarum intra illa spatia transportarentur, si rupes immensa defricaretur in pulviculos, si numerus toto cœli volamine conscriptus terminaretur, quanta, quanta lustrorum congeries conflaretur? Verumtamen ęvo collata nulla omnino esset, nec horam unicam æternitatis conficeret. Ex his arenis quotquot quis accipit, totidem subtrahit; at verò æternitas tanquam marpesia cautes immota consistit, nec partes nec numerum admittit. Nec addendo desumit incrementa, nec minuendo decrementa. Circulum dixerit quispiam, cujus semper est centrum, circumferentia nusquam, axem stabilem circa quem volatur ambitus sæculorum, principium sine principio, sine medio, sine fine. O vere itaque pondus immensum, ô verè infinitum decempedam nullis notis describendam, nullis vocibus depromendam, nullâ mente di gnè ponderandam.

VII. Hoc est pondus, quo appendere soliti sanctioris vitæ professi suas intentiones ac consilia; hæc trutina, in

qua

qua librabant momenta rerum, ac temporum.

Mori constantia unde in vita.

Hac sapientissimè usus illustrissimus Britanniarum Cancellarius Morus, cum iniquissimis decretis officio privatus, & in ergastulum compactus esset. Nam cum in eo à dilecta consorte sua ad consentiendum regiæ voluntati cum spe, ac stipulatione prætentæ gratiæ recuperandæ sollicitaretur; id non nisi reposuit: Et quamdiu ô mea dilecta id tandem futurum? Cumque illa decem, aut si fata volent etiam viginti annos eidem vaticinaretur; ait: Quid hoc tandem est, intuitu æternaturæ vitæ? Egone Morus non nomine duntaxat, sed reipsa, tam exigui temporis lucro, tantum, quanta est beatitas sempiterna, dispendium faciam? Egone ob modicas vitæ caducæ inducias, nunquam interitura sponte excidam felicitate? Egone paucos dies temerarius institor cum innumeris myriadibus annorum commutem? Si annos Adami, aut Mathusalem, aut sæcula centum appromitteres esset, id quidem aliquid in comparatione præsentis vitæ sed nihil omnino ad sempiternam. Quid igitur cum exiguos annos, eosque dubios divinaris futurum id omne est intuitu æternitatis, ac beatitatis. Quid proderit hic guttam lambere mellis, ibi integerrimos potare cados fellis; hic gaudere momento, igne alibi cruciari lento, ac violento. Tu sane si desipere pergis cum Hentico res tuas habe; cum illo terrena depereas, ego æternum specto, trutinam æternitatis considero, & lubens caducam hanc vitam exuo, æterna potiturus. Me hercle maturius libitina in alteram devehet vitam, quam Rex in suam deflectat sententiam. Tu si capis eodem omnes intentiones tuas, ac mentem deflecte; & illico favores, ac odia, lucra ac dispendia terrena; tristitia & adversa eadem virgula subduces. Ita ille prudentissimè spes humanas libravit, lubensque caducæ hujus vitæ passus est detrimentum, ut æternæ lucraretur stipendium.

Fauconii conversio. Bened. renatus lib. 8. Ord. Cist.

VIII, Nec minus sapienter Fauconius juvenis eandem sibi trutinam ob oculos posuit, quum sub unam noctem somnus eum falleret. Quid agis: inquiebat Fauconi? in molli tomento resupinaris, & anxius in hanc atque illum partem replicaris. An ut biennio hunc in modum septus perpetuis tenebris persistas destitutus omni alio solatio, vel aureis oblatis montibus velles pacisci? Quid si insuper morbo pressus, & doloribus emaceratus lustrum integrum, aut aliud protraheres, quantum id tibi tormentum foret, & tamen quantulum id esset ad ea, quæ vel alii Sancti passi sunt à Tyrannis immatrissimis, vel nūc à justissima Dei ire mesi sustinent fulminati; vel etiam meamet scelera merentur? Ergo si nunc dimidiæ noctis spatio in mollissimo hoc tomeno, in plumis cygneis sub sericeo stragulo immotus durare haud sustineo, quomodo, quas millies meritus sum, perferam purgatorii craticulas? quomodo quod Superi avertant Averni clibanum? Quomodo *habitare potero cum igne devorante, aut cum ardoribus sempiternis?* *Isa. 33. 14*

Quomodo ego tenerrimè, & basilicè semper enutritus, ego semper fericeis & mollibus amictus, ego nunquam nō plumis cygnorum assuetus, habitare potero, an jacere immotus in prunis candentibus? Quomodo ego, qui omnem horreo, & aversor afflictionem, qui ignoro quid sint flagra, quid cilicia, quid catenæ, ad effrenem corporis appetitum, tanquam ad equum præferocem edomandum inventa, sustinebo scorpiones ignitos, & forcipes, laminasque candentes in inferno? quomodo ego incendium nunquam & nunquam extinguendum sufferam, qui scintillam unam nequeo in cuticula tolerare. Una hora in morbo, una dies in doloribus longa est, & prope intollerandus, quid erunt myriades myriadum in tœnariis tormentis. *Quis habitare poterit cum igne devorante, quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Hæc consideratio tam altè animo illius inhæsit, ut illico delitiis, voluptatibus, mundo nuntium remitteret, nec unquam ex medullis æternitatis semel in aratos characteres eradere quiverit.

Æternitatis consideratio utilis.

IX. Et quid aliud sanctissimos Dei servos impulit, ut ultro calcatis delitiis, ac divitiis ad monasteria sese reciperent, ruri inter horrida densaque spineta, obscurioresque silvicolarum solitudines degerent, pertinaci semper pugna propriæ voluntatis inclinationibus contraiverint, noctes integras in continuis vigiliis, ac devotis contemplationibus perseveraverint, sensum, carnemque asperis ciliciis, & flagellis nodosis rigidè afflixerint, passiones animi, & motus animi inordinatos rigido cum lupato refrænārint: contumelias, convitia, famem, nuditatem hilari semper mente pertulerint? Non aliud profectò, quàm timor superventurorum malorum, quàm amor, & spes cœlestis retributionis, quam trutina æternitatis semper ob oculos habita. Hinc animati cum S. Maximo in suis cellulis dicebant: modicum est omne, quod pertractas anima mea, in hoc tempore peregrinationis tuæ, ob lauream, & coronam gloriæ obtinendam, modicum est item quod pateris, ad evitandas, quas merita es, pœnas in inferno. *Loquebantur in cubiculo suo*, ait Emissenus, *beata illa anima; o fragilitas humana, exiguum est, quidquid agis, propter spem æternam.* Vel cum S. Ignatio: *Sinite me hæc levia pati, ut salvem animam meam, eamque eripiam pœnis sempiternis.* Vel cum S. Augustino: *Hic ure, hic seca tantum in æternum parcas.* Æternum est, quod condit omnia amara, quod alleviat quævis gravissima, quod emollit durissima. Æternum est, ad quod appensum omne tempus & gaudium; omnis caligo & afflictio, est brevissima ac momentanea.

Emissen. de S. Maximo.

Caraffa in Pereg. terra

§. II.

Appenduntur gaudia mundi huic trutinæ.

X. Ad hanc trutinam, ad hoc pondus vos evoco Cosmophili: adeste quotquot cum Sardanapalo gaudia venamini, quorquot cum Jobeis nepotibus indies convivia frequentatis, quotquot solas rosas meretricio pollice

liee colligitis, & vestros risus, jocos, sales, delicias in unam cogite congeriem, ac trutinæ huic dijudicanda committite. Quid sunt illa intuitu perennantium gaudiorum enuntiate. Vel si vos (ut conjicio) amor mundi eluscavit, exoculavitque, alios libripendes consulite. Aderit vobis si animus est audire vir integerrimæ vitæ, ac mentis Jobus, decidat ipse, dicat quid penderent omnia? Audite: *Hoc scio à principio, ex quo homo positus super terram, quod laus impiorum brevis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti*, q.d. Non ex meo duntaxat sensu id depromo, sed ex communi omnium experientia ab orbe condito petita; momentaneum esse omne gaudium hujus mundi, quod extra Deum quæritur; & ut ita dicam punctum, quod nullas partes admittit. Et utut duraverit in se intuitu certè dolorum concomitantium, aut subsequentium momentaneum, & punctuale est.

Iob. 20. 12.

XI. Aderit, si alium expostulatis testem, omni exceptione dignissimus, & qua majestate, qua sanctitate, ac sapientia venerandus Rex David. Utique tantum testem & judicem non aversabimini? Edisserat itaque, enuntiet, quid sentit. Quid ille? *Velut somnium surgentium Domine*, ait, *imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Somnia sunt terrena gaudia omnia, & tu Domine gaudiis, & delitiis regni tui, quæ solida, ac perfecta sunt, omnes imagines, ac figuras terrenarum illecebrarum, quas plerique mentitâ ac personatâ illusi imagine, & in judicando errantes solidas existimant, subvertes, ac destrues, atque ad oculum demonstrabis merissima fuisse somnia.

Terrena somnia.

Psal. 72.

Reducite in memoriam somnium Nabuchodonosoris Regis, quo ille nocte quapiam mille curis gravis, milleniisque in animo chymæris oberrantibus distractus colossæam statuam vidit, caput habentem aureum, brachia argentea, & pectus æneum. Mane deterso ex oculis somno, nec quidquam eorum, quæ noctu à Morphæo diviniore illusus somniaverat, habere se deprehendit, immo nec somnii quidem recordabatur. Sub pari ratione multi nostrûm illuduntur somnii, putant se interesse epulis, deliciis, abundare divitiis; verum ubi evigilaverint, & ad alteram vitam fuerint excitati, tunc re ipsa cõperient non nisi somnia omnia, ac umbras fugacissimas extitisse.

Nabuchod. cur somnii oblitus.

XII. Aderit, si tertium præstolamini Amos Propheta. Et quis istus sensus. *Quid lætamini*, ait, *in nihilo?* Minuta intuitu annî unius tam parva & modica est, ut vix reputetur; & quid erunt minuta vitæ nostræ collata cum tota æternitate præterquam minus quidpiam, præterquam nihilum?

Amos. 6. v. 13.

Vah & tu etiamnum Cosmophile tua jactas gaudia, amplificas, & magnificas solatia, anteponis terrena, postponis cœlestia, mavis in hoc modico lætari modicum hic, & alibi in æternum cruciari. Ubi quæso sensus tuus? ubi ratio, ubi fides? An aliam vitam non credis, & pecudum ritu vivas? An te fallit impossibile esse gaudere in hoc sæculo, & in altero? Si enim hic cruciatis ibi delitiabetis; si hic delitiaris, ibi cruciaberis? Num latet quod modicum sit, quod delectat, æternum quod cruciat? Num excidit sententia, lata in

Voluptas noxia.

prostitutam illam Apocalypsi' saera : *Quantum se glorificavit, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & tactum* id est : Tantum date illi pœnarum, quantũ commeruit Cain suis delitiis illicitis, non quidé arithmeticè sed geometricè, id est non æquali, sed proportionali mensurâ. Pœna enim inferni longè major est delitiis hujus vitæ, proportionaliter tamen iis respondet, minor scilicet minoribus, major majoribus, maxima maximis delitiis, ac peccatis. Apoc. 18 7.

Si hæc credis, teneſque, quæ tua est insania, pro delectatione momentanea perdere sempiterna gaudia, & obligare se ad perpetua Erebi supplicia. Si quis intra centum annorum spatium vidisset per unam noctem suave somnium, multisque solatiis per somnium fruitus, centum subinde annis, idcirco puniendus esset, num is si saperet somnium illud non detestaretur ? Idipsum de futura vita tibi persuadens nam quod est somnium ad annos centenos collatum, id est, & multo minus vita tua comparata venturæ æternitati ; quantumque discrimen intervenit inter somnia & res veras, tantum interest inter hujus vitæ statum, & illius. Voluptas enim brevis, momentanea, personata, dolor vero verus, ac perpetuus. Quæ igitur major potest dari insania, quàm pro modico æternum auctionari, pro momentaneis illecebris sempiterna accersere supplicia. Quocirca si vos caro sollicitat, si sodalis instigat, si occasio proritat, dicite: *Non emo tanti pœnitere.* Non sum tam stupidus, ut pro modico vendam infinitum bonum futuræ beatitatis. Non sum Esau ut pro lentis edulis primogenita mea, & jus ad regnum auctioner, meque servituti Tyranni Avernalis mancipem. Non sum Lysimachus, ut pro haustu lymphæ coronam exponam ; non sum Eva, ut pro pomo, aut ficu paradysum sub hastam mittam. Compertum mihi probè quid aliis mundi spectatoribus evenit. Liquida illorum palinodia apud Sapientem decantata : *Ergo erravimus à via veritatis*, &c. Non emo tanti pœnitere, non emo tanto bonorum dispendio & solo tormentorum luctu fugacia, & vana gaudia. Eccl. 5.

§ III.

Librantur tribulationes.

XIII. In eadem trutina, & eodem pondere cum S. Paulo appendite tribulationes vestras, & ejusdem decisionem audite. Nostis autem, quibus ille fuerit pressus ærumnis, quibus vexatus & exercitatus persecutionibus, quot emaceratus curis, quot confectus doloribus, quot calamitatibus afflictus. Ipsum, si vos ea latét, recensentem audite : *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quinquagenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, in periculis fluminũ, peric. latronũ, peric. ex genere, peric. ex gentib. periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Hæc certè *Tribulatio brevis.* 2. Cor. 11. 23. 24. 25.

&

& similia nemo est, qui non gravissima censeat. Quid autem præfatus S. Apostolus de iis sentit. Quid? *Momentaneum*, ait, *& leve tribulationis nostræ genus, &c.* Quidquid loqueris ô divinissime Paule, itan e, ut libet Festi judicio, te multæ literæ ad insaniam redegerunt, ut cruces, virgas, lapides, aliasque ærumnas, tam modica, tam levia dicas? Ah, ait, scio quid dico, adhuc sapio & mihi sum præsentissimus dum hæc scribo, & vero veriora esse enuntio, quoniam revera: *Modicum & leve tribulationis nostræ genus est, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et quæ quisque patitur in hac vita in comparatione æterni ignis non modo parva, sed nulla sunt. Esto patiaris cum S. Felice persecutiones, equuleos, carceres triginta annis; esto, quod cum S. Lydvina lecto affixus hæreas triginta sex vel cum paralytico Evangelico triginta octo; esto, quod sæculum integrum expleas in miseriis, quid quæso id totum est intuitu æternitatis? Minus certè quã gutta ad Oceanũ, quam folium ad silvam, quam arena ad mundum universum. *Momentaneum ac leve, &c.*

Evenit identidem, ut quis gravatus somno variis terriculamentis exagitetur, ac devexetur; tremit, horret, sudat, inclamat; ubi autem primum ad se discusso somno redit, spuit, & terriculamenta illa in cachinnos convertit. Credite, credite idem vobis afflictis eveniet; nunc, nunc dum in hac vita quasi somniantes degimus, minimorum occursu, ac interventu malorum, prope exanimamur; at ubi evigilaverimus in vitam alteram, tunc primum Panicos istos terrores exibilabimus, ac despuemus; nunc ut Poeta Virgilius occinit: *Terribiles visu formæ, lethumque laborque*, apparent; tunc verò ridendæ prorsus, ac fibilis dignæ conspicabuntur.

XIV. Id videtur indicasse S. Augustino idem S. Apostolus, in eadem Epistola ad Corynthios, cum scriberet: *Quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes multos autem locupletantes.* Nam ut ille interpretatur. *Tristitia nostra habet quasi, quia sicut somnium transit.* Novit charitas vestra, quoniam qui somnium indicat, *addit quasi, quasi dicebam, quasi prandebam, quasi disputabam, totum quasi quia cum evigilavit, non invenit, quod in somnis videbat.* Quasi thesaurum inveneram ait mendicus, si quasi non esset mendicus non esset; sed quia quasi erat, mendicus remansit. Suppari ratione qui ad lætitias sæculares oculos aperiunt, & cor oppilant, transit *quasi* eorum, & venit verum tormentorum ipsorum. Nam felicitas ipsorum est *quasi*, verum autem ipsorum pœna est, ac supplicium. At tristitia exadversum justorum *quasi* habet, gaudium autem excludit omne *quasi*, & veritate potitur. *Quasi tristes semper autem gaudentes.*

Quocirca si occurrat menti aut gaudium, & illecebra fulminata, aut tentatio, seu tribulatio agnata, accurre ad libram, & pondus istud, appende & dic: Quid hoc ad æternum. *Modicum est, quod delectat, æternum quod cruciat.* Et modicum supra modicum est, quod hic cruciat, æternum, quod ibi delectat. Modicum, modicũ, modicũ est omne, quod in hac mortalitate nos afficit, & una omne cum vita perit.

Ita

Ita enim fiet, ut nec depereatis ea, quæ pereunt; sed amabitis, quæ permanent in vitam æternã. Non sectabimini formas, quæ vos deformant, sed eum quo possesso reddemini formosiores vobismetipsis. Non diligetis bona, quæ alio indigent bono; sed illud in quo est omnis boni bonum. Id nobis elargiatur, qui est omnia in omnibus, & super omnia benedictus in sæcula. Amen.

CONCIO XXIII.

IN DOMINICA IV. POST PASCHA.

Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis. Ioan. 16.

ARGUMENTUM.

Ne in scopulum incidas perditionis, ad scopum contende.

QUæstio proposita identidem cum à Judæis, tum imprimis ab ipsis Apostolis Domini agitata fuit. A. Primus ex iis illam movit Coryphæus Apostolorum Petrus, qui audito primo de Domini sui ex hoc mundo abeuntis nuntio, actutum intulit: *Domine quo vadis*, idque eo consilio, quatenus eidem individuus comes adhæreret; & animam suam pro eo poneret. Verum quia plus æque de se præsumebat, & se posse Christum sequi in omnibus ominabatur; audiit ab eodem Domino suo: *Quo ego vado non potes me modo sequi, sequens autem postea.* Nondum polles ea animi firmitate, ac robore, quatenus me sequi, & animam tuam amore mei ponere, sanguinem in cruce fundere queas; superveniente autem Spiritu S. & poteris sequi, & valebis.

Ioan. 13. 36.

Ib. v. 37.

Eandem vexavit D. Thomas Apostolus dicens: *Domine nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire*: q.d. Quum nos lateat quò eas, quomodo possumus viam scire quo tendis? Qui enim ignorat terminum, viamquoque ad terminum nesciat oportet. Audivimus equidem te iturum in domum Patris

Ioan. 14. 5.

Patris tui, & paraturum nobis locum; sed ubi hæc domus sit, & ubi mansiones multæ incompertum. *Domine nescimus quo vadis, &c.*

Nec dubium quin alii itidem discipuli (ut curiosa est gens mortalium) vel ore, vel corde minimum illam versaverint.

Nihilominus redarguit Dominus eorum incuriam hac in parte. *Nemo*, inquit, *ex vobis interrogat me quo vadis.* Quid est hoc mysterii? Ego potius arbitrarer culpandam ipsorum curiositatem, quam silentium, satius infrænandum illorum pruritum, quam excitandum. Qua ergo de causa urget Dominus quæstionem: *Nemo ex vobis interrogat me quo vadis?* An id evenit, ut opinatur S. Cyrillus cum aliis, quod discipuli magis prospectum irent suæ cuticulæ; quam Domini sui saluti; atque amplius fugam, quàm ipsum respicerent? An id effectum ex mente Ruperti, quod remissius Dominum sequerentur, ac delicatiore pollice viam crucis sectarentur? An ut Euthymius autumat, quod non enucleatius interrogaverint, quò iret, ad quæ gaudia pergeret, ad quam gloriam, ad quod regnum tenderet, ut scilicet ea, tanquam scopum habendo ob oculos, inde animos ad certandum acriores sumerent, & tristitiæ fluctibus obluctarentur? Dubium controversumque est.

S. Cyril. & Rup. h. l.

Euthym. Malâ. h. l.

Id certum, si illis vitio datum; quod non accuratius, ac frequentius de hoc scopo inquisiverint; multò amplius illis crimini vertetur; qui ita vivunt, ut cum fabularum Plaste Æsopo dicere queant: *Nescio quo vado.* Latet me in quem finem sim conditus, fallítne an diversum ab ipsis præfixum habeam, & quem in scopum collimare debeam. *Nescio quo vado.*

Ne itaque ejusmodi à scopo aberrent, & ad scopulum sempiternæ damnationis allidant, induxi me illis non tam itineris ducem præstare, quam nudam viæ, ac vitæ metam demonstrare.

Partitio ac Narratio.

II. In dubium est finem inter causas esse præcipuum, & posse dici causam causarum hoc sensu, quod cæteras in effectum deducat, & sui gratia promoveat. In eo (præsertim si is ultimus sit) animus hominis quiescit, & sua beatitudine perfruitur.

Hunc ut assequeretur, multò antiquius studia sua eò vertit Hymnopœus, cum expensis curis inanibus, ac futilibus mortalium, Dominum in hunc modum est allocutus: *Numquid vane constituisti filios hominum.* Vel ut alter textus legit: *Numquid ad vanitatem constituisti filios hominum.* q. d. Video plerosque vana, & ludicra sectari; video studia illorum futilia, labores inanes, & araneis persimiles. *Numquid vane constituisti eos?* Numquid ut casas in arenario architectentur, aut opes ex eo eruant? Numquid ut auram popularem venentur, aut Chamælæorum instar pascantur? Numquid ut jocis, salibus, saltibus, cicadarum ritu traducant? Numquid ut caduca, & personata hujus mundi bona conglobent?

Psal. 88.

Aug. in h. Psal. *Nunquid vane constituisti filios hominum?* Cui quæstioni Africanus Præsul respondet: *Ecce omnes filii hominum ivecunt in vanitatem, quos tu non vane constituisti.* Universi prope mundi illecebris trahuntur, omnibus meta metis, omnibus scopa vanitatum scopus. Verumtamen ô Domine non vanè constituisti eos, non ad umbram captandam condidisti eos, scopulus hic non scopus; funis, quo retinentur & advinciuntur, non finis. Quis ergo?

§ I.

Finis hominis Deus.

Deus finis hominis. III. Finis tuus ô homo est, quod fine caret, scopus tuus tabula est Empyrei, centrum Deus. Id enim principium, ac finis noster est, à quo, & cujus gratia conditi sumus, & ad quem nos nostraque omnia referre par est. Si opes, voluptas, honores nos condidissent, illis profectò obstricti essemus. Si deliciæ, mensæ, epulæ, risus, tiara, diademata, purpura nos ex Chao nihili nostri provexissent, illa sequenda forent, nisi extremè ingrati esse concuperemus. Si figulus alter nos plasmasset, id illi deberemus, quod olla figulo, quod navis fabro, quod conflatori vitrum. Omne enim opificium necessario respicit opificem suum, tanquam causam efficientem, & finem, propter quem factum est. Jam vero cum te ô anima mea Numen optimum condiderit, illum solum respicias, illius nutibus obsecundes, illius obsequaris imperiis est necesse. A quocunque alio tibi evulgantur edicta, novercalia credito.

IV. Perquam luculenter nobis hunc finem ob oculos ore Isaiæ vatis posuit Deus, cum diceret: *Ego Dominus, primus & novissimus ego sum. Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus. Propter me, propter me faciam, & non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.* q. d. Hoc imprimis attende, quisquis verus Dei cultor esse gestis; sicut ego sum primus, & princeps, à quo omnis creatura suum esse demutuat; sic ego ipse sum novissimus, & omnium finis in quem referri eam oporteat. Si te agnoscis, à me habere originem, ad me etiam grato refluvio redire contende; si mihi omnia debes, nullo jure in alium quidpiam transferre poteris Dominum. Non enim est viri ad æquitatem compositi aliena erogare. Latronis est, & qui pudorem exuit cum conscientia; furis est, & alieni possessoris, qui munificus plurimum de rapina, liberalis de furto est. *Ego primus, & ego novissimus, &c.* Isa. 41. v. 44

X. Planius eundem in sacra D. Joannis Apocalypsi explanatum habemus, ubi ipsemet Filius æterni Patris hoc tenore præfatum Discipulum alloquitur: *Ego sum A. & ω. primus & novissimus, principium & finis.* Apoc. 22. 13. Ille enim est principium, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, omnia per ipsum facta sunt.* Joan. 1. Ille finis in quem grata revolutione omnia redire est necesse; quoniam *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, ut loquitur Sapiens: neque id ex cupiditate gloriæ aut intuitu cujuspiam commodi; verum ipsa rerum natura, & ordine exposcente. Creatum enim ex intima totaque essentia sua refertur, ac respicit Prov. 16. 4.

Crea-

Creatorem ſuum, tanquam ſuum finem, ſummumque bonum. Et viciſſim Conditoris natura Divinitaſque tantæ eſt dignitatis, ac majeſtaris, ut poſcat univerſa ad ſe referri, immo dos una divinitatis propria eſt, ac eſſentialis, quod illa ſit ultimus rerum omnium finis; nec creatura ulla aliud quærere poſſit, ſalvo rerum ordine, ut finem ultimum præter ipſum. Siquidem omnipotentia ſua cuncta condidit nō ob indigentiam aliquam; verum ut in creaturam infinitas perfectiones ſuas proportionatè diffunderet. Deus enim quemadmodum ab æterno in ſemetipſo fuit perfectiſſimus; ac beatiſſimus ita nullo modo indiguit mundo, nec illum propter ſuum commodum condere potuit; ſed è nihilo produxit, quatenus eſſe ſuum perfectiſſimum citra ſui diminutionem ex mera liberalitate communicaret. Quum ergo Deus omnia propter ſemetipſum operetur, ſuas communicaturus perfectiones; par eſt ut nos reciprocè illi cooperantes in eandem cum ipſo intentionem conſpiremus, atque omnia noſtra operemur ad ejus laudem ac gloriam; infinitamque ejus ſapientiam, potentiam, miſericordiam, juſtitiam, toto orbe promulgemus, ac celebremus. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.*

S. Ign. Ex. 1. VI. Hanc obligationem noſtram, ſeu finem ſanctus Patriarcha noſter in ſuo laudatiſſimo exercitiorum libello graphicè in hæc verba deſcripſit: *Creatus eſt homo in hunc finem, ut Dominum Deum ſuum laudet, eique ſervens tandem ſalvus fiat.* Ab omni æternitate decrevit, ac prædeſtinavit Deus hominem, *ut tandem ſalvus fiat.* Creavit verò in tempore, ut tandem ſalvus fiat, Conſervavit modico, vel diuturno tempore, qui reſipiſceret, *& tandem ſalvus fieret.* Providit illi media temporalia, ac ſpiritualia eo altiſſimo conſilio, ut tandem ſalvus fiat. Omnia quæcunque proſpera vel adverſa immittit, id eo fine facit, ut homo tandem ſalvus fiat, ad originem ſuam perveniat, beatitatem ipſius participet, ſummum bonum obtineat, ac poſſideat. *Creatus eſt homo in hunc finem, &c.* Quis non ſtupeat, quis non deprædicet incomprehenſa divinæ bonitatis decreta? Quis manibus, pedibuſque ad hunc finem ſibi præfixum perinde ac Jonathas in montem non proreptet. Ruat mundus, fremat orcus, ſæviat æther, eo connitar, ut tandem ſalvus fiam.

VII. Pulchra id congerie cauſarum demonſtrat Origenes in libello de divinis inſtitutionibus, ubi cum fuſè exordium, ac exodum hominis deſcripſiſſet, ipſius formam ac ſymmetriam expoſuiſſet, habitudines, ac inclinationes eventilaſſet, tandem paucis hiſce univerſa complectitur. *Orig. l. 7. div. Inſt. c. 6*

Ideirco mundus factus eſt, ut naſcamur, ideo naſcimur, ut agnoſcamus factorem mundi, ac noſtri Deum; ideo agnoſcimus; ut colamus; ideo colimus, ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus; quoniam maximis laboribus cultus Dei conſtat. Ideo præmio mortalitatis afficimur, ut ſimiles Angelis effecti, ſummo Patri ac Deo in perpetuum ſerviamus, & ſimus æternum Deo regnum. Hæc ſumma rerum eſt, hoc arcanum Dei, hoc myſterium mundi. Exteriora cuncta pro corporis commodo condita, corpus pro anima, anima pro ſolo Deo,

quatenus illi soli deserviret, illi vacaret, illum possideret ad solatium, cætera ad servitium. Quæ igitur nostra dementia famulari famulæ, & non Domino; mancipium induere, sceptro & diademate donandos; libertatem obstringere servitio alieno? Quid volatica venamur gaudia magno tandem luenda? Quid corpus intuemur, quod in corruptionem vergit, ad majora geniti? Quid oculos circumferimus ad cætera peritura, quos sceptra manent sempiterna? Quid vili tegimur sago, quos purpura spectat cœlorum prima? Quid circumspicimus porcorum haras, quos vocant regna cœlorum nobilissima? Quid pistrinum cogitamus, quos imperia expectant Patris? Quousque siliquis pascimus ventrem regia digni mense? Quid thalamum meditamur servæ bis captæ, regio prognati toro? Eja vel semel ad majora erigamur, digna imperatorio Patre volvamus, & ad scopum in quem conditi collimemus. Intuamur elementa omnia, creaturasque universas, nullam inveniemus, quæ prono impetu, in finem suum non propêdeat, suum bonum quæsitura. Petra totis viribus connititur ad suum quietis centrum. Ignis, & aura toto anniso altiora petunt, & perruptis ingenti molimine obstaculis eluctantur. Aqua in umbilico telluris fluctuat, flumina quævis ex Oceano redundantia irrigatis longe lateque provinciarum spatiis in parentis sinum grata vicissitudine non citra accessionem sese effundunt. Animalia stolidissima, quemadmodum de iis testatur Isaias Vates, suum finem agnoscunt, & prosequuntur: *Cognovit*, inquit, *bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*, nimirum finem suum, in quem eos sollicitat natura: *Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit*, in quem videlicet finem conditus, vel à quo procreatus. Solus miser homuncio peccando à suo fine avertitur, & ad vanitatem creaturæ obvertitur; derelinquit Deum factorem suum, & adhæret malefactori suo. O cæcitatem admirandam! ô stultitiam perenni lachrymarum profluvio deplorandam! *Isa 13.*

VIII. Avocaturus ab hac cæcitate, ac vesania Dominus populum suum, & firmaturus eum secundùm Exodum ex Ægypto in lege sua, primo edicto id sancivit. *Ego sum Dominus Deus vester*, non facietis *vobis idolum, nec sculptile, nec insignem lapidem erigetis in terra vestra.* LXX. vertunt: *Nec lapidem signum ponetis.* Tertullianus adversus Gnosticos. *Nec lapidem scopum ponetis in terra vestra.* Quod profecto non ea intentione statuit ne columna ulla, aut saxum in terminum surrigeretur; vel etiam ne acervus lapidum, è variatis quantumvis rupium crustis in memoriam cuiuspiam facti coacervaretur, vel demum ne manus ad rupem, aut scopum alium exerceretur, evibratis in eum jaculis. Quippe Jacob Patriarcha lapidem in titulum erexit, & laudem tulit. Tribus item Ruben, & Gad pegma sublime architectata est, in testimonium conjunctionis, ac societatis, & quod Dominus ipse sit *Lev. 26. 1.* *Tertul. c. 2. adv. Gnost.*

Deus

Deus. Quod ipsum sanctum, piumque habitum ab Antistitibus summis populi Israelitici. Surriguntalii etiamnum Colossos, nec prævaricari legem Domini censentur. Quid itaque præfixum habuit Dominus in hoc mandato?

Exponit illud, & respondet idem vetustissimus Doctor Tertullianus ita scribens: *Non erigetis idolum, in quod tanquam in scopum animi vestri studia dirigatis.* Neutiquam inhibet Dominus terminos lapides constituere, aut in scopum arrigere, sed in eum tanquam in finem intentionem suam, studia sua cor suum dirigere. *Non erigetis idolum, &c.* Est enim scopus (metaphorâ sumpta à signo in quod sagitta jacitur) id quo mentem, ac animi proposita dirigimus. Idcirco identidem pro fine sumitur, quem sibi quisque proponit in operando. Unde vetat Dominus, ne in aliud quidpiam, tanquam in finem tendamus, seu collimemus, præterquam in ipsum, *Nec lapidem scopum ponetis in terra.* Illud enim quo quis collimat Numen ipsius est, quod aliis omnibus rebus præfert, illud deperit, in illo quiescit. At vero in nulla alia re quies vera, ac secura obtineri potest, præterquam in Domino Deo nostro; consequens itaque est, ut ad illum in omnibus desideriis, actionibusque nostris collimemus.

Tertul. ubi sup.

Scopus quid

§ II.

In fine obtento quies.

IX. Picus Mirandulanus vir eruditissimus, subtili ingenio expendit, qua de causa universitatis opifex hominem coronidem rerum à se conditarum constituerit. Condidit cœlos, & ipsos spiritibus implevit. Creavit aquam; & eam piscibus locavit; aerem, & hunc attribuit avibus; terram & eam bestiis ac reptilibus inscripsit. Tandem omnibus conditis, patrimonio, & hæreditate discreta hominem ex limo terræ plasmavit. Stupet factum Mirandulanus, & acute indagat, quonam in loco positurus sit hominem Deus? Num in cœlo? Angeli protestabuntur contra, suamque illam esse propugnabunt hæreditatem. An in aere? Hic Aquilæ, & Falcones pro suo decertabunt imperio. An in Oceano? Cete grandia in eum insurgent. An denique in terra? Pro suo stabunt Tygres, Leones, Ursi, Pantheræ territorio. Quonam igitur in loco eum constituet, quam hæreditatem ei adscribet, num novum pro eo cœlum, aut terram conditurus? Solvit ipse nodum, & ait: *Creavit DEVS hominem, quando omnia occupata erant, quando nihil ad dandum supererat præter seipsum & in hoc doceret se solum esse hæreditatem, ac possessionem hominis.* O *quam belle*, quàm divinè, te ô homo DEUS tuus condidit, & elocavit. Non donavit tibi ad habitandum ignem;

Homo cur ultimo conditus

Picus Miran. Quæst. de Homine

quoniam cum gelidus, ac frigidus sis, tamen in præcordiis tuis ardescit continuus fames cupiditatum tuarum. Non contulit tibi aerem, nam cum tu plumbo gravior sis ad exequenda imperia Domini tui; & levior aura, millenis ventorum turbinibus agitata, in promovendis vanitatibus tuis; quid jam fecisses, si tibi in stationem ignis, aut aeris regionem attribuisset? Nec fecit te incolam Lympharum, quoniam si nunc effusus es ut aqua; si in hoc statu bibis sicut aquam iniquitatem, quid in Nereidum patria patrasses. Nec dedit terram, quoniam quum nobiliore ex parte spiritualis sis; tamen multò amplius te corpus deprimit, quid jam de te futurum esset, si totus terrenus fores? si tuum esset imperium, tua patria, tuum patrimonium tellus? Non etiam in ipso te constituit empyreo, ne fortè cum Lucipero elatus casu irreparabili fulminareris. Sed creavit te, quando omnia occupata erant, quando nihil ad dandum supererat, præter seipsum, *ut hoc ipso doceret se solum esse hæreditatem; ut ad illum in omnibus tenderes, illum solum appeteres, in illo solo securius in omnem æternitatem quiesceres.* Quanta hæc dignatio Numinis? quanta prærogativa hominis? Quanta felicitas vermiculi? Illum quem Deus ipse finem obtinet, illi præfixit, idemque quietis centrum designavit. Frustra, ah frustra extra hoc pacem, ac requiem sectaris, frustra extra evagaris, nisi totis in id contendas viribus, procellis ac turbinibus exponeris, & jam in hanc, jam in illam oram jactaberis.

In Deo quies.

Picus ubi sup.

X. Videtur idipsum adumbrasse, seu verius exarasse, ac impressisse in ipsa forma hominis, qui solus ex omnibus animantibus, ita effigiatus est; ut oculos cœlum versus directos habeat. Unde Poeta cecinit Tomitanus:

Homo cur ejectus sit creatus.

Pronaque tum spectent animantia cætera terram
Os homini sublime dedit cœlumque tueri
Iussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Ovid.

Ut nimirum vel ipsa manuductrice natura erigeremus nos supra nos; ut vel sic carnem, ossa, & substructam saniem proculcaremus, ne ad inhonora, & indigna generi nostro nos abjiceremus; ut vel si in artificem aciem intenderemus; ut vel inde genus nostrum esse de cœlo, nosque illi natos sciremus; ut ad illud, perinde ac unicum quietis centrum, tota contentione virium conniteremur. *Iussit & erectos ad sidera tollere vultus.*

XI. Insuper animam indidit ratione præditam, quatenus opera Dei intelligeret, & providentiam illius in disponendo, rationem in faciendo, virtutem in consummando suspiceret, & admiraretur. Deus enim oculo corporali visibilis non est, eò quod nullum colorem, aut figuram habeat; nec est palpabilis, nec per aliquem sensum corporeum sensibilis, eo quod sensus, qui sunt nobis communes cum bestiis solùm apprehendant, & sentiant corpora, & accidentia illorum. Ut visus apprehendit colores, figuras, & lucem corporalem, auditus sonos factos in aere, odoratus odores, gustus sapores, &

Homo cur anima spirituali donatus.

& tactus calidum ac frigidum ; Deus vero cum res sit spiritualis, & intellectualis, non potest cognosci, nec videri, nec apprehendi, nisi per intellectum Hinc sequitur hominem solum in mundo posse apprehendere Deum, & cognoscere conditorem suum. Quo fine ? Loquatur Magister sententiarum: *Fecit Deus*, inquit, *rationalem creaturam, quæ summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret, & possidendo frueretur, & fruendo quiesceret.* Hinc finis, hæc quies, & perfectio ipsius, quæ licet verba discreta sunt, unam tamen rem & ultimum bonum, perfectissimumque indicant.

Mag. sen. l. 2. dist. 1.

XII. Perspexit id probè Sidus Africanum Augustinus, & eam ob rem Dominum identidem alloqui solitus: *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Inquies una est cor nostrum, à rota mundi continuò circumactum, donec requiescat in te. Globus sphæræ telluris impositus, jam in hanc, jam in illam partem versatilis. Arundo, quæ à vento quovis inflectitur, nec solidatur, aut jactari desinit, quoad requiescat in te. *Creasti nos Domine ad te.* Ito ito arrogantissime thraso conscende subsellia, ac curules; & scito, quoniam irrequietum futurum est cor tuum, quoad requieverit in Deo suo. Ito, ito Pluto avarissime, coacerva tibi aurum, argentum, & thesauros plurimos; sed tamen experière, quoniam inquietum est cor tuum, donec requiescat in Deo centro suo. Ito, ito voluptuosissime ganeo, & genio tuo liberalius litato; nec denegato quidpiam oculis, aut desideriis tuis; verumtamen memor esto quoniam in his omnibus instabile, ac irrequietum futurum cor tuum. Cæteris rebus occupari potest, at solo Deo repleri, ac satiari. *Creasti nos Domine ad te.* Tu ô Domine es quies nostra, tu es civitas in quam tendimus; portus in quem navigamus, lectus in quo quiescimus, baculus quo sustentamur. Fac itaque Domine, quatenus cor meum acus magneticæ instar, tamdiu per irrequietos piorum operum labores moveatur, quoad in te solo polo suo, ac unico requiescat.

Aug. Lib. 1. Conf. c. 1.

§. III.

In fine beatitas.

XIII. Res demum universæ beatitudinem suam sortiuntur, quum finem suum obtinent. Quod si eo excedant interire eos est necesse, Ignis nisi sursum in regionem suam evolare queat offocatur. Liquor, si nativo frigore suo exuatur evaporat, & redigitur prope in nihilum. Semina destituta humore exarescunt, & in putredinem abeunt. Pisces in aquis prognati, si diutius extra eam detineantur, exanimantur; & alia quævis animantia, si suo fini potiri nequeant, dispereunt.

Suppar omninò ratio est hominis, si ultimum finem suum possideat, beatus est, sin secus infelicissimus ac fulminatus. Ad scopulum certo naufragio alliditur, qui scopum ultimum sibi præfixum haud observat. Etenim quum unus felicitatis scopus sit cœlum, toto cœlo exerrant, qui ad aliud extra illud desideriorum, ac studiorum jaculis collimant. Si alter in terris so-

ret paradisus, in quo æternum felices degere possemus, atque omnibus abundare bonis, eo contendere per me liceret; verum cùm cœlum unicus scopus, ac locus sit, in quo anima repletura in bonis desiderium suum, in quo plenè, ac cumulatè acquietura, & citra ullum metum amittendi, quæ possidet, sine ulla cupiditate plura possedendi, quam habet, gavisura est bonis Domini; profectò in illum omnibus viribus, ac conatibus adnitendum nisi æternum infelices, esse concupimus. Quemadmodum enim non nisi duplex via est, qua gradimur, una meriti operando bonum, alia culpæ male operando, aut stando otiosè; ita nonnisi duplex finis, isque summe contrarius. Unus, quem prosequimur, per culpam descendendo, & deflectendo à mandatis Domini, & huic debetur pœna, comitaturque eum infelicitas, de qua Psaltes: *Contritio, ac infelicitas in viis eorum, & viam pacis non agnoverunt.* Alter, quem intendimus, & cui insistimus ascendendo, in omnibus mandatis Domini ambulando, & huic correspondet meritum, præmium, felicitas.

Psal.13.v.3

Et quoniam pars hominum, quæ ambulat per viam culpæ, & operum puniendorum contrariatur, & inimicatur in quantum potest alteri parti hominum ambulantium per viam meriti, & operum remunerandorum; ideo necesse est, quatenus istæ partes ab invicem necessario separentur, eâ elongatione, ac distantia, qua non possit esse major; ut sicut elongantur per voluntatem & culpam, & meritum elongatione; qua nequit dari major; ita etiam separetur distantia locali, qualis est inter cœlum empyreum, ac centrum terræ, seu infernum, quia non datur major; & quam felix est illa, tam infelix ista evadat necesse est. Quoniam quantum illa accedit ad scopum & terminum omnis beatitatis, tantundem ista elongatur ab eodem.

XIV. Hæc à teneris edocti sumus, hæc toties quoties repetita, & inculcata percipimus; nec unquam de hac veritate dubium in animum admittere possumus. Et tamen eheu quam pauci ad hunc felicitatis scopum irretortis collimant affectibus! quammulti Andabatarum ritu ejaculantur, vel nihil insignius quàm vanitatem præfixam habent, nihil minus, quàm finem, quàm absolutissimam perfectissimamque beatitatem adipisci enituntur. An non ergo vel fides in iis languet, vel ratio vacillat, vel amor patriæ cœlestis omninò interiit.

Si quid tamen in nobis fidei, si quid rationis, si quid amoris supereſt, in illum scopum, mentem, oculosque conjiciamus, in hanc cadant profuturæ lachrymæ, ducanturque imo pectore fausta suspiria, eant in hanc preces, votaque nullo fine minuenda, in hanc cogitationes omnes, stndia sudoresque defluant. Ad hunc scopum sese in agone exercuêre ridentes in craticula flammea Laurentii, inter ora Leonum magnanimi Ignatii, in equuleo triumphantes Vincentii, inter sagittas glorioſi Sebastiani, inter liquatum plumbum felices Feliciani, inter secures securi Protasii, inter fluctus inconcussi Nazarii. Ad hunc subinde in criptis, ac speluncis, in solitudinibus ac persecu-

tionibus

tionibus alii SS. Confessores; ad hunc sot liliata Virginum agmina, inviolatâ mentis ac corporis munditiâ connitebantur. Cur non sequimur illorum contentionem, qui ad eandem aspiramus beatitudinem? Cur piget sudasse, vulnera tulisse, sanguinem etiam fudisse? Indeficientia hæc semina sunt æternæ messis, nullo morituræ ævo, nullo minuendæ.

Institores, & alii mundi aucupes, si quando in forensibus negotiis, sese occasio aut spes offerat exaturandi desiderii, aut finis intenti assequendi, nullis laboribus, vel impensis parcunt. Ipsæmet bestiæ quatenus fine potiantur sibi impresso, ultro in venabula incurrunt, vitam exponunt, sanguinem profundunt. An ergo insensatiores erimus istis? cedemus illis, quos tamen citra comparationem ullam insignior pellectat beatitas? Prô pudor cedimus, nec decimam partem studii, ac contentionis illius; quam alii in inferno struendo ponunt, nos in cœlesti patria obtinenda collocamus.

Eja tandem resumamus animum, perrumpamus obstacula, & si per gladios, atque acinaces contendendum sit adnitamur. Si durum est carere blandientibus hisce, magnaque spondentibus vitæ commodis; cogitemus quam suave futurum ignibus ardere sempiternis; quam dulce gaudiis exturbari æternis? Si alia vitæ commoda avocant, perpendamus illorum brevitatem, dum vix à supremo gutture libatis, sistendi simus judici, & tremenda feriendi sententia. Trutinemur quam bene multi in necdum animato delitiarum speratarum culmo in gramine, ac semine cecidêre, priusquam optatis fruerentur, & ad vera, solidaque gaudia in scopo nostro proposito contendamus.

Largite id assertor clementissime, ut hunc finem, quem tu ipsemet nunquam non præfixum habebas, nos vicissim semper ob oculos habeamus ad eum omnia opera nostra, sensus, intentionesque referamus, & in te uno fine, ac centro nostro tandem feliciter requiescamus. Ita voveo medullitus ô Jesu mi, mi Jesu.



CONCIO XXIV.

IN DOMINICA V. POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis
Ioan. 16.

ARGUMENTUM.

Orator cœlestis.

MAxima inter indulta, à summo quà militantis, quà triumphantis Ecclesiæ Pontifice in jubilario Dedicationis tẽpli Solymei benignissimè Salomoni concessa, illud antesignanum erat; ut ad animi ipsius arbitrium eidem obvenirent, quæcunque animo concepissiet. A. *Postula, quod vis, ut dem tibi.* Etenim sive caducum quidpiam, & transitorium, sive perenne, æternumque efflagitaveris, certo certius te obtenturum confidas. *Postula quod vis ut dem tibi.* Excellens revera favor, quo solo nixus, incomprehensam cœlorum beatitatem, immortalem gloriam Deum ipsum in possessionem accipere valuisset; si animus, mensque sanior non defuisset.

Paral. 1.

Non absimile, ut alios taceam, concessum D. Catharinæ Vastenensi perhibent ipsiusmet fasti, quando oblata eidem à Domino schedula virginea, quatenus in ea, pro re placita supplicem exararet libellum; certa cum stipulatione obtinendi, quæcunque popposciisset. O si, inquit pia quæpiam anima, hæc mihi indulgentia, gratiaque eveniret, quàm me felicem, quàm beatam ducerem! quàm certa spei optimæ, securaque quiescerem! At bono esto animo, quæcunque his flammis inardescis, noverisque idipsum tibi dispensa-

In vita.

tum

tum esse diploma gratiæ. Non enim fallit testis fidelis, ac verax dum dicit: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Non inscripsit certam summam, sed nudam quasi papyrum contulit, cui quæcunque committeremus, ratum haberet. Nec ait: si hoc vel illud petieritis, sed *si quid*, ac si in omnibus bonis se obligaret. Insuper adhibuit quatuor Cancellarios, qui ipsum in acta referrent, seque subscriberent, sieque in omni modo, ac forma juris nobis contulit hoc privilegium.

Cæterum non dubitandum, quod non unus contra id protestetur, dicens: Ego petii, ne moreretur filius meus, & mortuus est; ego petii, beneficium, nec obtinui; ego filium, & video quod preces meæ omnino vel in spumas, vel in moras abiverint longissimas. Quid causæ? Judico nihil aliud, quàm quod orationem non ritè formemus; ut enim assequamur quod petimus, apposite pieque componenda est. Qua methodo.

Partitio.

II. Oratio Rhetorica, mundana, seu politica passim in quatuor membra præcipua dividitur; nempe in Exordium, Propositionem, Confirmationem, Conclusionem. Quocunque enim ex his præciso mutila, mancaque evadit. Et Orator cœlestis aptè concinneque peroraturus coram divina Majestate, ad hanc normam orationem suam efformare, in præsentis Evangelii lectione admonetur.

§ I.

Prima pars Orationis sacræ Exordium.

III. Primum, quod à Rhetoribus mundanis ad orationem exigitur est Exordium; ad accessum formandum, captandamque benevolentiam Auditorum, ab iis excogitatum. Ingrata enim, pudibundaque incederet oratio, si nuda, crassaque sese ingereret, simpliciterque exponeret, quod intendit.

Ad ipsum formandum, Oratores suos cœlestes manducit divinæ eloquentiæ Magister Christus, quando in citato textu Patrem monet orandum: *Si quid petieritis Patrem.*

Liquidum probè in capite orationis Dominicæ idem vocabulum præfixum. *Pater noster.* Cur quæso non invocamus Numen optimum, Deus noster, Rex noster, Princeps noster, Domine Deus exercituum, aut similibus? Causam ex Patre Augustissimo accipite: *Cum in omni deprecatione benevolentia concilianda sit ejus, quem deprecamur, per laudem illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia conciliari, & hoc in principio orationis poni solet, in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere jussit, nisi Pater qui es cœlis.* Ita nempe optime apud cœlestem Patrem captatur benevolentia, si ea reverentia, fiduciaque accedatur, quâ parentes corporales à filiis ingenuis.

S. Aug. l. 2. de ser. dom. in monte c. 3

Utrumque istud evincit vocabulum Patris, nec ut talis colitur, nisi cum reverentia, fiduciaque conveniatur.

De reverentia loquitur ipse apud Malachiam: *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum, si ergo Pater ego sum, ubi est timor meus?* Si filius jure naturæ humano, divinoque obstringitur honorare, ac revereri parentes; & vos me Deum vestrum tanquam Patrem venerari, colereque debetis. Non enim probæ indolis filius est qui Patri pietatis subtrahit affectum, denegat cultum, evacuat reverentiam, sed is qui submississima veneratione inclinat corpus, inflectit humeros, genuaque incurvat, imitatur filium illius consubstantialem, qui in oratione sua *procidit in faciem suam.*

Mal.1.v.6.

Matth.26. v.39.

Hoc Exordium deprecationis humillimæ mentis est, ait Theodoretus. Fatigentur Rhetoricæ artis Professores in tradendis exordii præceptis, quibus plandius sese oratio in animum judicis insinuet illumque flectat; à præstantissimis cœlestis eloquentiæ Oratoribus nihil aptius ad conciliandam Numinis benevolentiam inventum, quam reverentia, veneratioque filialis. *Hoc exordium deprecationis humillimæ mentis est.*

Theod. in Ps.85.

Hoc artificio usi sunt Ethnici apud Judices plerosque, quum venerationis ergo, commiserationisque conciliandæ teste Homero, aliisque, humi se prosternebant, inque pulvere, ac cinere jacebant. Hoc artificio utuntur alii, apud Summates suos, quidpiam exoraturi. Hoc imprimis SS. Dei, filii Dei, Patrem in vota vocaturi. Indignum enim arbitrantur, ut rem perituri terrenam ab homine terreno filii tenebrarum profundius, majoreque reverentia sese demittant; quam filii lucis remissionem peccatorum, æternaque bona à Patre largitore donorum omnium exoraturi. Indignum, ut videant Filium Dei consubstantialem Patri, pro reo supplicantem, ponere in pulvere os suum, & ipsimet rei stent erecti. Indignum, ut quod mente versant, idipsum exterius moribus, gestibusque non contestentur.

Homer. odyss.11. Dion.Halic. Philo.

IV. Ad fiduciam autem ex eodem titulo concipiendam animat nos ipse Filius Dei, in exhortatione sua de oratione habita, dum dicit: *Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, numquid scorpionem porriget illi?* Et subinfert ex hoc antecedente consequens istud: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* Si à Patre carnali petentes quidpiam non timetis repulsam, quantò minus si à Patre cœlesti aliquid postulaveritis illam extimescere par est? Si illi, cum sint malevoli, norunt cumulare bonis filios suos; quanto magis iste, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos divitias bonitatis suæ exoratus diffundet? Si vel hostes suos nutrit, fovetque, quantò auctius provisurus est diligentibus se. *Si vos cum sitis mali*, &c. *Quid non dabit filiis petentibus*, loquitur sanctus Augustinus, *cum hoc ipsum an-*

Adorationem cum fiducia accedendum Luc.11. v.11.12.13.

te dederit, ut essent filii? Cum homines dicunt DEO, *Pater noster, est quædam impetrandi præsuppositio.* Ipsa ad Patrem fiducia piè sibi obsequentem fore præsumit.

S. Aug. l. 2. de ser. Dom.

Hæc pars Exordii tam necessaria, ut sanctus Cyprianus adstruat, non modo deprecatorio, sed enuntiatorio intelligendum Psalten dum dicit: *Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te.* q. d. Tua Domine misericordia operabitur in nobis, juxta mensuram spei, quâ in te confidimus. Si igitur hæc modica fuerit, erit item modica misericordia, quod si multa, magnaque, talis & tua futura cognoscitur.

Psal. 32. v. 22. S. Cyp. Ep. ad Donatum Dei misericordia nostra fiducia cõformatur

V. Videmus hoc accuratè completum in mirabilioribus Assertoris nostri operibus; cujus tanto in quibusdam misericordia operabatur efficacius; quantò in illis erat fiducia constantior; nec illa, nec istâ sese latius extendente. Tantum impetravit Princeps Synagogæ Capharnaiticæ, supplicans, quatenus domum suam subire, filiamque emortuam suscitare dignaretur; quantum confidit. Credebat enim, sperabatque firmiter, si manum suam defunctæ imposuisset, vitæ illico redonandam, & ita obtinuit. Tantum item mulier illa, quæ sanguinis fluxum patiebatur, quantum se fiducia ipsius extendebat. Credebat, confidebatque, si vel fimbriam vestimenti ipsius attrectasset, sore ut à plaga prorsus curaretur; & secundum fidem ipsius operatus est Christus; tetigit, & sanata est. Tantum assecutus in eadem civitate famatissimus Centurio, quantum fiduciâ ipsum animante concepit. Credidit enim fidebatque, quod solâ voluntate, ac imperio conferre Dominus poterat servo infirmo sanitatem, & Christus eandem contulit, dicendo duntaxat: *Vade & sicut credidisti, fiat tibi.* Nempe: Decempeda fiduciæ, est misericordiæ mensura; eidemque commensuratur in omnibus. *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.*

VI. Langueat, deficiat, evanescat fiducia, deficiet itidem evacuabiturque misericordia.

Postulabatur à suis concivibus Nazarethanis ad beneficia, operaque mirabiliora in bonum illorum patranda, & tamen, quantumvis animum ostenderet promptissimum, desideriumque ardens, concedendi in vota ipsorum, nullum alicujus edidit considerationis, aut momenti. Cujus causam subdidit Evangelista: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, propter incredulitatem eorum.* Non poterat, ait, non quod absolutè non poterat, siquidem omnia quæcunque voluit fecit; sed secundùm legem, quam communiter sequebatur; quæ pro fundamento operum ejus, vivam supponebat fidem, fiducia, speque sociatam non potuit.

Christus cur nullum in patria patravit prodigium

Matth. 8. v. 58.

Quod si itaque hac super re quispiam apud me conquereretur, frustratasque suas identidem preces jactaret, eandem ego causam obtenderem, diceremque non posse Numen optimũ subscribere vobis ipsius, quia non tantopere forsitan in illo, quam in nihilo spem suam collocat. Hæc enim communis prope multorum nequitia est, ut in nullo minus, quàm in Domino Deo confidant. Si quæratur quispiam de causa & lite potentis cujuspiam quænam sit spes boni exitus? illico reponitur, optima. Pollet enim gratia, valet authoritate, habet judicem sibi addictum, advocatum omnibus aliis superiorem. Econtra petatur de alterius cujuspiam miseri prætensione quid sperare queat, tanquam desperatus divinæ tutelæ committitur; Deus illum juvet. Sic si alter percontetur de virgine opulenta, speciosa, num brevi sponsum habitura? Utique respondetur, est enim dote prædives, præstat excellentioribus, est prudentia, vultusque elegantia spectabilis. Et quid, urge, sentiat de illa paupere ruffa, aut æthiopissa? Illam dicet Domino Deo commenda, subveniat illi Deus; quasi obcinat, non habet quod speret. Hoc ipsum pronuntiamus de infirmo, dum ejus morbus videtur incurabilis, tunc enim tritum illud repetitur: Deus illi subveniat, actum est. Quid igitur mirum si repulsam patimur, qui spem nostram non in Domino, sed in famula creatura, non in ipso Deo sed in nihilo reponimus; non divino, sed humano nitimur auxilio, potentia, gratia,

§ II.

Pars altera Propositio.

VII. Alterum membrum, seu pars Orationis politicæ est Propositio, in qua Orator quid dicturus sit instituit.

Ad hanc rite concipiendam informat nos divinæ Sapientiæ Magister dum ait *si quid petieritis.* Etenim D. Augustino interprete Christus Dominus hoc verbo usus est, quo nos doceret, non nisi cœlestia in oratione petenda, quæ verè essentialiter quidquam sunt; non verò terrena, quæ nonnisi meræ illusiones, impostura, vanitates, & inania phantasmata. Sunt nimirum cœlestia entia vera, & realia, ut Philosophi loquuntur, terrena verò & mundana entia rationis & fictilia. Illa substantiæ veræ, hæc accidentia mera. Hoc videtur idem Magister veritatis insinuasse, quando ait: *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis* q. d. Prima vestra intentio dirigatur ad cœlestia, spiritualia gratiamque divinam promerendam; cætera tanquam accidentia quæpiam necessitate quapiam consequentis ex illorum substantia evenient vobis.

In oratione quid petendum. Aug. h. l.

Hoc ipsum in hodierno Evangelio manifesto edocuit quando cuncta certò, hilariterque daturum Patrem est pollicitus, quæcunque salutis suæ curandæ studio ab illo in nomine suo postulassent: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Nam mox subtexuit: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Non quod omnino nihil

hil postulaverint. (petiit enim Joannes, & Jacobus ut unus sederet ad dexteram, alter ad sinistram, petierunt ut descenderet ignis de cœlo, petierunt alia cœteri Discipuli) sed quod hæc nihili æstimanda sint. *Quia in tantæ rei comparatione quidquid aliud concupiscitur nihil est*, ait S. Augustinus. Terrena eatenus rogabant Apostoli, Christus verò cœlestia ex se à Patre suo rogari volebat. Et quoniam tantum est inter ea discrimen, ut terrena, si cum cœlestibus componantur, nihil videantur, quantumvis intuitu & æstimatione humana, maxima putarentur; eapropter dixit eos nec quicquam eos ad illum diem petiisse; ut intelligat quisque qui animum suum addicit his rebus terrenis, quàm malè collocet suum amorem, dum iis sese pascit, quæ aut nulla sunt, aut brevi in nihilum redituta.

Augusti.

VIII. Ut itaque lepida, nugatoria, vel etiam pernicioſa esse solet oratoribus mundanis. Oratio de floccis, hircocervis, aliisque vanitatibus susceptata: ita non minus spiritualibus preces nonnisi ad impetrandum temporalia, caduca, momentanea directæ.

Preces cur irritæ.

Rachel Jacobi Patriarchæ uxor, tanto prolis habendæ desiderio tenebatur, ut honestatis propemodum limites egressa, sterilitatisque impatientissima marito dixerit: *Da mihi liberos alioquin moriar.* His congruæ aliæ ad superos mittebantur quærelæ, quibus tandem annuere visi, gemina prole eidem concessa. Verumtamen gaudium hoc perbreve, nimiaque conditum amaritudine extitit, cum in partu alterius filii, nempe Benjamini, qui ideo audiit Benoni, id est doloris filius, expiravit.

Gen. 30.

Nec multo melior sors extitit Rebeccæ matronarum sui temporis facile principis, liberos & illa enixè à Deo postulavit, at cum jam in prægnantis utero gemini decertarent, seseque mutuò calcibus colliderent, voti quadantenus pœnitens, dicebat tristis: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse erat concipere?* *Gen. 25.*

Quod Rachel, quod Rebecca idipsum quâ degimus ætate sideratæ matres, patresque, aliique stulti mortales expostulant; quorum plerique invito cœlo, ac repugnante natura ea petunt, quæ interitum, ruinamque non corporis duntaxat, sed animæ sunt allatura.

IX. Vulgatissimus ex hoc capite est casus Eulogii patriâ Bizantini, natione, Græci, arte Latomi. Hic pium in morem induxerat, ut quidquid mercedis à tenui victu illi superesset, id in egenos erogaret. Comperta probè hæc pietas, liberalitasque extitit Danieli Eremitæ, quem persæpe hospitem pro sua tenuitate lautissimè habuit. Gratificaturus itaque Mœcenati suo, à Deo meliorem, pinguioremque fortunam exorat. Et annuisse brevi precibus visum est Numen, quando eundem inter rudera potiri thesauro fecit locupletissimo. Hic putabitis laxius jam aperuisse sinum egentibus, lautius suum habuisse apud Deum exoratorem, munificentiorem se exhibuisse in Superos. Quantum enim increverat flumen opulentiæ cœlitus dispensatæ; tantundem diffundi, exonerarique in valles depressas paupertatis parerat. Justum, ut qui thesaurum gratui-

Baron. Anno. 528. sub Justiniano caussin. & alii Eulogii caſus

tuito possedit de cœlo, eundem grata illi referret, reponeretque vicissitudine. Verum enimverò perrarus ille est, cui aurum auferat cœlum; perrara pecunia citra laborem parta, quæ non peperit iniquitatem. Armillas & torques ab Ægyptiis ereptas traduxêre in Eremum Judæi, & mox ex auro facilè parato monstrum prodiit, vituluſque conflatus est. Haud secus Eulogio evenit. Mox enim accepto ille auro, aulam Justiniani Cæsaris adiit, eique bellum adversus Persas moventi militarem spondet operam, fit tribunus, fit superbus avarus, oppressor pauperum, dissolutus, Dei, salutisque suæ immemor. Monetur à S. Daniele, sed monitorem probris, contemptuque oneratum abigit. Brevi deinde cum duobus Principibus imperii Hypatio, & Pompeio in Cæsaris necem conjurans, à Procalo Tribuno proditur, honoribus, opibusque exuitur, conjicitur in vincula, demum capitis damnatur. Oranti sub hæc S. Danieli apparet Angelus, edisserit calamitatem, pœnitentiamque Eulogii, jubet Cæsarem ocius adire veniam, vitamque illi exoraturum. Accurrit in urbem Daniel, & placato Cæsare Eulogium secum in eremum ad vitam pristino virtutum exercitio excolendam abducit. Sic qui secunda opulentaque fortuna prope perierat, siniſtra, desperataque sibi redditus est.

X. Illustrabit idipsum Poëtæ veteri apologo, in quo narrant Regem Phrygiæ Midam auri sitientissimum à Diis petiisse, ut quidquid contrectaret, omnique in regno suo nasceretur è terra probatissimum aurum esset; & ut Vates occinit:

Effice quidquid.
Corpore contigero fulvum vertetur in aurum.

Ovid l. 11. Metam.

Nec difficiles fuere Dii, subscripsere votis paulò post deplorandis? Nam cum omnis terræ partus omne pomorum, olerum, frumentorumque genus, verè aureum sæculum reddidisset, ingens oborta fames, stultissimum votum publicè damnare coegit; Deos, Deasque omnes obtestari, restituerent regno fructuosam paupertatem, hostibus elargirentur tam infelicem opulentiam. O quot ejusmodi Midæ etiamnum inveniuntur, qui grandibus votis suum sibi accersunt exitium. O quantò miserabiliùs interirent alii, si omnium preces exequeretur Numen.

XI. Et tamen quantò ferventiùs instamus apud Deum pro metallo coacervando; qua pro gratia amplificanda; quanto solicitius petimus salutem corporalem, quàm spiritualem; quantò studiosius pro possessionibus terrenis, quàm pro cœlestibus consequendis anhelamus? Rogabat Samuelem Saul, quatenus Deo supplicaret, ne regno privaretur, solioque deturbaretur; idque tanta importunitate, ut pallium ejus apprehensum dilaniaret; verum ut delictorum veniam consequeretur, nec mentionem quidem intulit. Suppari ratione bene multi alii magno animi ardore, vehementiaque dignitates, possessiones, gaudia terrena efflagitant, de gratia, empyreisque bonis obtinendis, ne in minimo quidem soliciti.

Ne

Ne igitur ridiculi Oratores inveniamur totum pondus orationis, intentionisque nostræ ad expetenda sempiterna bona impendamus, vel si quidpiam ex his transitoriis caducisque rebus petere necessum fuerit, id totum cœlestium arbitrio permittamus; qui & tribuere bona ex facili solent, & eligere aptissima norunt.

Salm. 10. v. 52. Præstitit hoc supplex ille de quo Alphonsus Salmeron, qui Alphabetum in templo orare solitus, petendo Dominum quatenus jungere literas dignaretur, sibique id indulgere, quod nosset sibi magis necessarium. Æmulemur eundem, & cum sæpe sæpius ignoremus, quid petamus, totum deinceps divinæ Bonitati, Sapientiæ, ac Providentiæ consignemus, voluntatem nostram cum divina in omnibus conformantes.

§. III.

Pars tertia orationis sacræ Confirmatio.

XII. Pars Orationis profanæ tertia est Confirmatio in qua propositio adductis rationibus probatur ac suadetur. Tangit hanc partem in eodem textu divinus Professor, cum subdit, *in nomine meo.* Nihil enim æquè potens & efficax ad inflectendum in vota nostra Patrem cœlestem, atque nomen Filii ipsius, merita ipsius, sanguis ipsius. *Tunc oratio maximè mensuram suam consequitur, cum a rubedine colorata est, quæ sit ænigma sanguinis illius, à quo redempti sumus:* ait Gregorius Nissenus. Tunc orationes nostræ sunt acceptæ gratæque Domino Deo, quando Christum Filium ejus induti prosternimur; tunc efficaces, quando suam bonitatem, pondus, substantiam ab eodem mutuant, inque illis ipse Patrem suum æternum veneratur, nobisque mercedem, gratiamque emeretur. Tunc quemadmodum natura humana per hypostasim Verbi est sublimata, ita quadantenus preces nostræ attolluntur, dignificanturque. Quid igitur mirum hoc pacto Patrem æternum facilius commoveri, inflectique ad indulgendum quod petimus, ac relaxandum quod deliquimus.

Oratio merito Christi est efficax

Greg. Nyss. h. 15. in Cant.

XIII. Rex Molossorum ostensurus valorem, dignitatemque filii sui, nec quicquam denegabat vel fimbriam illius contingenti, mortis reus vita donabatur, fugienti asylum penes eum aperiebatur, egenti opes dispensabantur, inimico, dissidiis compositis, amicitia regia offerebatur; in omnibus securitas, & salus erat contractus illius. Et numquid minus merebitur dignitas Filii Dei? An non omnia Pater cum Filio donabit, qui pro nobis illum ipsum tradidit in montem, eamque acerbissimam.

XIV. Rediit ignotus in lacerna ad patrem S. Alexius eumque obtestatus est per amorem filii peregrinantis: *Serve Dei benignitatem exerce in me pauperem, ut de micis mensæ tuæ comedam, & Deus benedicat tibi; & si qui tuorum peregrinantur, Deus reddat tibi eos incolumes.* Quibus auditis ex templo Pater

Alexii cur preces efficaces

Surius in Vita 17. Julii

Euphemianus recordatus filii sui Alexii, velut etiam peregrini, & parentum, propinquorumque ope destituti, recepit eum in domum suam, commendavitque uni famulorum suorum. Ergo si & nos pauperes, rogemus Deum amore Filii ipsius, qui & ipse propter nos pauper, & egenus factus est, quid non impetrabimus?

XV. Filii Jacob quo veteres injurias obliterarent, atque à Josepho fratre Ægypti totius vicario veniam commissorum obtinerent, in Patris eum nomine obtestati sunt, veterum ut injuriarum oblivisceretur, nec ultra de ultione sumenda cogitaret: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis ipsius diceremus: obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te,* q. d. Siquidem indigni sumus ut gratiam facias omnium, quæ impiè nefariéque in te commisimus, attende ad patrem tuum dilectum, ejusque, cujus & nos filii sumus, & ex cujus ore te rogamus, amore, veniam concede. Pari modo nos eum plerique indigni simus qui audiamur propter nos, rogemus Patrem nostrum cœlestem, ut audiamur amore filii ejus, qui Pater fraterque noster fuit, sicque nos orare jussit: *Dimitte nobis debita nostra.* Videntur omninò fratres Josephi confinxisse preces illas, quasi ex ore Patris acceptas, siquidem Jacob jam expertus Josephi erga fratres suos benevolentiam, non dubitabit de constanti ipsius clementia, alioquin ipsémet vivens pro illis intercessisset; nec poterat non olfacere fraudem hanc Josephus, siquidem & ipse morienti adstitit, absque eo, cum aliis benedictione donatus est; nihilominus blandè, fraternèque eos affatus, obortis lachrymis tanquam indubiæ fidei argumentis, suam contestatus est in ipsos benevolentiam. Jam si hoc Joseph fratribus suis, olim sibi tam infensis, & nunc præ metu fingentibus præstitit; quid nobis non sperandum de Deo fratre nostro si nomine Filii ipsius, qui revera nos jussit petere in nomine suo omnia, ipsum exoraverimus?

Gen. 50.

XVI. Pepercit Dominus terræ filiorum Esau, & non concessit ex ea tantum filiis Israel, quantum potest unius pedis calcare vestigium eo quod nepotes filii Isaac Patriarchæ viri justi extiterant; Connivebat Moabitis, inhibuitque adversum eos prælium, siquidem à filiis Loth descenderant. Pepercit aliàs sæpe Judæis deficientibus à legitimis Patrum suorum, & non parcet nobis nepotibus immò & fratribus dilecti filii sui, qui virtutem suam meritaque interponit ultroque resignat, & Patri æterno pro nobis offert?

Deut. 2.

XVII. Quotiescunque igitur os nostrum ad orandum aperimus, vel oculos in cœlum pia intentione attollimus, Christum tanquam sequestrum interponamus, & per ipsum, tanquam Patri dilectissimum, tanquam nobis addictissimum, tanquam de utrisque meritissimum petamus, & obtestemur. Imitemur Ecclesiam Matrem, & cum ipsa in nomine Jesu omnia nostra opera, petitionesque obsignemus; *Per Domi-*

Col.3.17. *minum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Audiamus idipſum nobis in Coloſſenſibus graviter inculcantem ſanctum Paulum : *Omne, quodcunque facitis in verbo & opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.* Ita orationes noſtræ, actioneſque & pondus ad perſuadendum, & gratiam ad impetrandum obtinebunt.

§. IV.

Concluſio Orationis.

XVIII. Coronat denique Orator profanus orationem ſuam, perbrevem enumerationem, (quæ vulgo recapitulatio vocatur) dictorum gravioris momenti; amplificationemque, qua tota cauſa in confirmatione probata, & amplificata, rurſus breviter reſumitur, vehementiuſque proponitur.

Ad eundem modum ſuam orationem concludat cœleſtis Orator neceſſe eſt, & ſi fortè per infirmitatem corporis, animique languorem, minuſque attentum in illa exhibuit, in fine vehementius inſtet, affectuque decertet.

Hac methodo ſi orationem noſtram compoſuerimus, inſtituerimuſque confidamus fore, ſi nobis proficuum, ac ſalutare fuerit, nos obtenturos, quidquid in nomine Domini petierimus. Fiat gratia tua, meritiſque Chriſte Jeſu.

CONCIO. XXVI.

IN DOMINICA VI. POST PASCHA.

Cum autem venerit Paracletus, quem mittam vobis Spiritum Veritatis ille testimonium perhibebit de me. Ioan. 15.

ARGUMENTUM.

Apparatus ad suscipiendum Spiritum S.

DEus, qui fidelis est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, Spiritum S. quem pollicitus erat discipulis suis, in eosque prodigiosissimè effudit, eundem etiamnum mittere non cessat. A. Quemadmodum enim fovere, animareque membra Ecclesiæ suæ nunquam desistit: ita nec Spiritum S. cujus virtute ipsa vivificatur, ac regitur, mittere. Manifesta, liquidaq; stipulatione id ex ore ipsius accepimus, per Amanuensem suum S. Joannem contestante. *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Maneat, inquit, non hospitetur die uno, alterove, non moretur mense uno, alterove, non agat lustrum unum, aut aliud, sed qui fixam sibi, stabilemque, eamque perpetuam apud vos firmet mansionem.

Ioan. 14.

Umbra illius erat ignis ille, in templo Jerosolymitano fomentis indeficientibus animari solitus. *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficit in altari.* Hujus loco in Ecclesia Christi suffectus est Spiritus S. quatenus commoretur nobis, inhabitet, ardeatque in præcordiis nostris, omne in ævum.

Levit. 6.

Operæ itaque pretium erit expendere (quum in expectatione tanti hospitis versemur) quibus mediis eundem ad nos pellicere, vel jam inhabitanti gratificari polleamus. Fiet id ejusdem divini Pneumatis singulari gratiâ, & adjutorio.

Par-

Partitio.

II. Quum multifaria elementarem inter, ac divinum Spiritum intercedat cognatio; tum verò ea imprimis, quod vacuum horreat, & expleat. Ea de causa ille sese rebus omnibus insinuat, submittit, conglutinat; eam ob rem subruit montes, rumpit Alpes, exhaurit maria, cœlum ipsum, quantumvis ære fusum esset, ad avertendum vacuum detraheret.

Spiritus S. vacuum implet.

Idem divinissimi Spiritus genius est, si vacua præcordia, ab omni eo, quod in maligno mundo positum est, (id est à concupiscentia carnis, à concupiscentia oculorum, à superbia vitæ) invenerit, ex templo subintrat, & explet.

§ I.

Vacuum ab omni concupiscentia carnis pectus attrahit Spiritum S.

III. Ut primum liquidum evadat assumo expendendum campum exhibitum Ezechieli Vati, plenum ossibus defunctorum, iisque aridissimis. In eo demandatum illi, quatenus alloqueretur ossa illa arida, consolaretur, inque spem vitæ erigeret. *Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his, ecce ego intromittam Spiritum in vos, & vivetis.* Videre, ut ossibus exesis, carne destitutis, omnique medulla vacuis Spiritus promittitur.

Ezech. 37. vs 6.

Spiritus S. carni contrariatur.

Quid hoc mysterii? Cur non potius in succulenta, nervosa, vivida, sese insinuat? Cur non animat adipem, pinguedinem, medullas? Cur minimum carnem non vegetat? Nempe: *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus adversus carnem.* Opposita sibi invicem sunt caro, & Spiritus, quidquid illa appetit, hic refugit ac detestatur. Illa terrenis abducitur illecebris, hic cœlestibus pascitur consolationibus; illa gestit satiari somno, repleri cibo, exuberare copiis, hic jejuniis vigiliisque saginatur, fastiditque omne quod caducum est. *Carnis opera sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria. Fructus autem Spiritus gaudium, pax charitas. Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus adversus carnem,* nec secus ac ignis, & aqua sibi invicem contrariantur.

Gal. 5. v. 17.

Ibid v. 19.

IV. Id etsi ad literam de spiritu hominis, id est anima rationali dicatur; tantò auctiùs tamen verificatur de Spiritu S. quantò hic insigniùs carni opponitur. *Caro concupiscit adversus Spiritum.* Et idcirco ait Dominus: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est;* manebit tamen, insinuabitque se in ossa arida: *Hæc dicit Dominus ossibus his, ecce ego intromittam Spiritum in vos, & vivetis.* Quænam hæc ossa arida? Respondet Vincentius Ferrariensis: *Ossa arida sunt personæ abstinentes à deliciis, & vitiis, & in istos mittit Deus Spiritum S.* Abstinentia ab immunditiis, vacuitas ab affectibus inordinatis, mortificatio sensuum omnium, est proxima dispositio ad suscipiendum Spiritum S. & charismata ipsius. Ligna arida, & sicca nullo negotio concipiunt flammam ignis: & ossa, corpora, cordaque arida, omni terrenarum rerum visco libera flammam Spiritus S.

Vinc. Ferr. Ser. 1 in Pent.

Plut. in vit.

V. Convenit quodam tempore Demosthenes vicinum suum, musicæ, cytharæque imprimis deditum; pulsatisque foribus cum intro invitaretur, renuit; ratus amicum totum ad modulos conversum, minus sibi fore intentum. Urgente nihilominus ingressum amico, reposuit: *Faciam si alligaveris cytharam*, nec prius domus ipsius subiit penetralia, quam ille citharam suspenderet.

Delicia remorantur Spiritum S.

Simile quidpiam observavit in mundo Jobus: *Tenent*, ait, *tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi.* Vacant lusibus, & tripudiis, saltando corpus, vocem cantillando elevant, lętitiaque Babylonica moventur ad sonitum organi. Cum verò hac ratione suo litant genio, supervenit identidem divinissimus Orator, pulsat per inspirationes internas, aliisque modis externis, quo sibi cordis ostia reserentur. Et nonnunquam reperit animam alacrem, officiosamque invitantem. *Visita quæsumus Domine habitationem istam.* Veni S. Spiritus, & da mihi de tua gaudere præsentia. Quid verò ad ista hospes divinus? *Faciam, si cytharam alligaveris*; si animum avocaveris à deliciis, & voluptatibus, si mihi soli intenderis, si deinceps meo ductu regi te sinas. Faciam, deflectam ad te, manebo tecum, & loquar ad cor tuum; cæteroquin te deserere cogar. *Caro concupiscit adversus spiritum.*

Iob. 21.

VI. Consolaturus Dominus discipulos suos ob abitum suum ex hoc mundo, mœrore obrutos; inter alia argumenta ait ad illos: *Nisi ego abiero Paraclitus non veniet ad vos.* q. d. Ne quæso frontem contrahatis dilecti mei discipuli; nec tam sipario tristitiæ obducite, quam in affectuosæ lætitiæ scenam explicate, quum alium vobis consolatorem missurus sim, alioquin non venturum, nisi ego abscesserо. Me una & illum habere non potestis; unius præsentia visibilis, alterius postulat absentiam. *Nisi ego abiero Paraclitus non veniet.*

ean. 16

Hic jure percontor, quidnam remoræ fuerit, quominus præsente in corpore Domino Spiritus S. adventum suum manifestare, gratiarumque dona effundere nequiverit? Numquid Spiritus S. miti nō poterat, Christo in sede gloriæ nondū constituto? Numquid ille adversatur Christo, ut se invicem excludant? At blasphemum est; id vel in mentem admittere. Quippe nemo minus illi contrarius, quam qui omnino unus, idemque cum illo. Num ergo Apostoli indigni erant, qui eum reciperent? Nec id dici potest, cum Jubilario à summo Pontifice Christo donati, ab omnibus essent peccatis expiati. Quid itaque visibilem Spiritus S. adventum morabatur? Profecto nihil aliud, quam quod manente cum eis secundum præsentiam corporalem Domino, non erat perfectum in ipsis vacuum, nondum exuerant omnem affectum carnis, eam ob rem non sunt habiti capaces suscipiendi Spiritus S. *Nisi ego abiero, &c.* Necessarium omninò est, ut me à vobis sequestrem corpore, quatenus vos omnem affectum carnis exuatis, atque ita divinus in vos Spiritus descendat. Ita mellifluus in hunc locum: *Nisi carnis mea præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem mens occupata non admittit;*

S. Ber. ser. 6. in Asc. Dom

non

non recipit animus, non capit affectus. Prosequantur Apostoli Dominum, non spirituali tantum, sed & naturali, & carnali quadam dilectione, exurgente ex commodo quopiam de visibili Christi præsentia in eos redundante. Hæc ipsa autem Spiritum S. quominus descenderet remorabatur. *Nisi ego abiero, &c.*

Et hic ego vos rursus cõpello Auditores meos cũeodem D. Bernard. & peto, quod vobis videtur, si hæc ita sunt, immo quia ita sunt, audebitne quispiã de cætero phantasticis quibusdam illecebris pellect⁹, lenociniisq; carnis inescatus illum sibi divinum polliceri, præstolarique Paraclitum? Audebitne, qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fovet in carne seminat, carnem sapit; illam nihilominus supernæ visitationis consolationem expectare, illum torrentem voluptatis in se exoneraturum ominari, illam gratiam Spiritus vehementis concipere; quam nec cum ipso incorporato Verbo percipere potuêre Apostoli? Errat, errat omnino quisquis id sibi persuaserit, quisquis divinum balsamum huic veneno, vitam iliam divinam carnis hujus sarcophago, charismata Spiritus S. illecebris sensualibus posse commisceri. Evacuandus est ab affectibus inordinatis animus, quo Spiritus S. in nos descendat, nosque abundantioribus gratiis locupletet.

Ibid.

§ II.

Vacuum cor à concupiscentia oculorum attrahit Spiritum S.

VII. Sciendum tamen est, quod id ab integro, hæc evacuatio ex se non præstet, nisi altera itidem concupiscentiæ oculorum, seu bonorum temporalium accedat. Urgentibus enim affectibus ad caduca studiosè cumulanda, aut retinenda, remoram itidem patitur Spiritus S. ad nos uberius cumulandos.

Concupiscentia oculorum remoratur Spiritum S.

Quæstionem movent Theologi, quid causæ sit; quod Numen optimum potius revelet arcana sua tempore somni, quàm vigiliæ? Et ut plurimum respondent id evenire, quod homo dormiens magis sit dispositus, capaciorque ad lumen divinum recipiendum. Quippe in somnis mens est liberior, solutiorque à functionibus exterioribus distrahentibus animum à contemplatione rerum cœlestium. *Anima nostra,* scribit Aquila Theologiæ S. Thomas, *quanto magis à corporalibus abstrahitur; tanto intelligibilium abstractionum sit capacior. Vnde in somnis, & alienationibus à sensibus corporis magis divina revelationes percipiuntur.* Quantumvis Numen ad tempus adstrictum non sit, in arcanis suis detegendis; attamen ex parte nostra opportunum tempus eidem videtur, excusso graviore somno, atque à vaporibus eundem conciliantibus corpore sublevato. Tũ enim anima liberior est ab affectibus sæcularibus, magisque habitata ad illustrationes supernas recipiendas. Ergo si in tantum officit distractio nimia, affectusque visco temporalium rerum agglutinatus, quominus divino Pneumati pateat liberior ad nos accessus, quo auctius divina munera sua nobis dispenset; cogitate quàm liber, expeditusque sit animus necesse est, qua-

Cur dormientes aptiores ad revelationes percipiendas.

S Tho. 2.2. q. 72. a. 1.

quatenus in vigilia ad nos veniat, nosque alloquatur.

Aurum cur gravissimum.

VIII. Aurum ex omnibus metallis minus de aura, id est spiritu mundi participat, ideoque ex omnibus est ponderosissimum. Suppar omnino ratio est animarum Mammonæ, lucrisque deditarum, minimum vel nihil ex aura cœlesti, de divino Spiritu participant, & idcirco gravissimæ illæ evadunt, difficilesque ad ascendendum; pronæ, facilesque ad descendendum, vel ad ipsum avernum.

Cur Spiritus S. in loco superiore descendit.

IX. Nec vacat mysterio, quod Apostolis in eodem loco, seu cœnaculo superiore, in quo Dominus corpus suum sacrosanctum sub speciebus panis & vini instituerat, communicandum, charismata itidem Spiritus S. sint dispensata. Cur enim non in speluncam sese demisit, quemadmodum Eliæ apparuit Dominus? Cur non in campo, uti Ezechieli, & aliis visus est? Nempe ad uberrima dona Spiritus S. suscipienda optima est dispositio, corporis, mentisque elevatio. Poterat videri, aut potius sentiri ab Elia Dominus in spelunca, sed in sibilo auræ tenuis, quasi modica elargiturus. Potuit Ezechieli, aliisque in campo, sed nonnisi arcana quæpiam concrediturus. Potuit in templo sentiri; sed ut sapientiæ Magister virtutem quampiam edocturus. Ut autem liberalius sua diffundat dona, animum cupit, à terrenis omnibus expiatum; & ad cœlestia sublimatum. Ita Nazianzenus: *Apparet Spiritus S. in cœnaculo, propter eorum, qui accepturi sunt ascensionem, atque à terra subvectionem.* Nemo infimis infixus desideriis, supernis existit dignus muneribus.

Greg. Naz. h. l.

Duplex fortitus es ô homo in te habitaculum, partem nimirum inferiorem, ac superiorem. Si in infimo habitas, frustra tanti hospitis præstolaris adventum. Non habitat in domo lutea, nec in corpore subdito peccatis, pravisque illigato, inquinatoque desideriis. Ad excelsa consurgas necesse est ut ad te de excelso sese demittat. Morabantur Apostoli in cœnaculo, solarioque eminentiore, ab infimis animo alienati, eapropter accipere meruêre Spiritum S. Æmulare illos, ut & tu illum suscipere dignus reputeris.

§. III.

Vacuum pectus à superbia vitæ attrahit Spiritum S.

X. Verum evacuatis hisce concupiscentiis, superest tertium, quod mundum in maligno positum distendit, nempe *superbia vitæ.*

Hoc vacuum necessariò requiri ad accipiendum Spiritum S. declarat Isaias in persona Domini loquens: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum corde, & trementem sermones meos?* Præsul Hipponensis enarratione in Psalmum nonagesimum secundum, eadem verba sic legit: *Super quem requiescet Spiritus meus? super humilem, & quietum, & trementem verba mea.* Quæ deinde expendens ita differit: *Audi quomodo describat ipsam sedem; for-*

Isa. 66. 2.

Aug.

forsitan auditurus eras marmoream domum, amplam, spatiosam atriorum magnitudine, & fulgore tectorum? Audi quid sibi paret Deus; super quem requiescet spiritus meus? super humilem, & quietum, & trementem verba mea. Ecce humilis esto, & quietus, ut in te habitet Deus. *Altus est Deus, non in te habitat, si altus esse volueris; humilis esto, & tremens verba ejus, & ibi habitat. Non timet trementem domum, quia ipse eam firmat.* Super quem requiescet *spiritus meus?* Aqueũ, vel verius mellifluũ quis dixerit Dom. Deum nostrum, qui totus ad ima propendet, ad ima defluit, in imo sese diffundit, *super quem requiescit spiritus meus?* Vis ut in te quiescat, amove Alpes superbiæ, vallesque crue demissionis.

XI. Vos DD. Philosophi nostis perbelle, quod in omni generatione unâ formâ expulsâ, illicò introducatur alia. Corruptio enim unius, est generatio alterius, sicut & generatio unius, corruptio alius. Id enim tam inviolabili evenit necessitate, ut eodem prorsus instanti, quo forma una succumbit altera introducatur; ita ut quo instanti est verum dicere, nunc una forma non est, & antea erat, eodem etiam instanti verificetur istud: nunc primo forma est, quæ antea non erat. Idem omninò instans formæ desinenti est extrinsecum, formæ autem incipienti intrinsecum.

Arist. de Gener.

O appositam proposito meo Philosophiam; pereunte una forma ex templo succedit alia! Ambitio certè forma una est, de qua Apostolus loquitur ad Corinthios: *Præterit figura hujus mundi.* Altera forma est gratia deificans, & conformans hominem Deo. Evacuetur, annihiletur figura, seu forma arrogantiæ in subjecto, eodem instanti succedit alia demissionis, & gratiæ, succedit Spiritus S. qui animam ornet, vivificet, beatificet. Anima ab omni fastu evacuata, nec quicquam potest minus, quam ut descendat, nec Spiritus S. quàm ut descendentem repleat. Hoc sensu loquitur B. Laurentius Justinianus: *Sicut natura abhorret vacuum, ita cor humiliatum, quin illud impleat.* Nequit vel uno instanti materia carere forma, nequit natura sustinere vacuum, vel per momentum, sed sublata una succedit alia, sublato fastu, & forma mundi maligni, succedit forma gratiæ, & sanctitatis. Quemadmodum natura abhorret vacuum, ita Spiritus S. contendit, ut favoribus suis repleat, ac informet.

1. Cor. 2. v. 31

In ligno vitæ de humil c. 3.

XII. Geneseos primo Spiritus Domini *ferebatur supra aquas*; seu ut alter textus habet; *incubabat aquis*, perinde quasi quieturus, pacificeque innavigaturus illis. Peto cur non super terram? si cor fortè terreum aversabatur, cur non super aërem? An non, quod cor elatum, desultoriumque detestetur? Cur non in igne? Num vel in symbolo cor inflammatum concupiscentiis abominatur? *Ferebatur super aquas.* Nimirum quod hoc elementum vi sua descendat, & non nisi impetu, ac violentia in altum adigatur. Haud secus diviniſſimus Spiritus cum descendente descendit, seseque in animam humilem, depressamque insinuat. Ubi ambitionis forma sublata, erasaque est, illico ipse sese imprimit, & quasi incubat animæ, vel ut signaculum cordi impressum, adhæret.

Genes.

XIII. Posteaquam Conditor universi omnipotentia sua cuncta ex nihilo produxit, eum deinceps videtur servare tenorem, ut quidquid recreat prius sinat ad interitum redigi, quò illustrius cunctipotens illius virtus elucescat. Ad eundem modum, si in conspectu supremæ illius Majestatis homo sese annihilet, agnoscat imperfectum, nihilumque sui, diffidat de suis viribus, soloq; nitatur Deo; fieri vix potest, quin cœlitus impleatur, ornetur gratiis, cumuletur favoribus. *Humilitas autem est*, ut disputat Umbertus, *quæ ad nihilum peccatorem adducit, ut se nihil reputet, & in valore, & in virtute.* Et ex hoc nihilo fit recreatio, sicut ex nihilo simpliciter facta est creatio. Recreatio mundi cordis in Davide, facta est ex nihilo humilitatis. Cum nimirum David nihilum suum agnosceret, diceretque: *Ad nihilum redactus sum* tum factus, & efformatus est ad ideam divinam. *Ex nihilo fit recreatio, sicut ex nihilo simpliciter facta est creatio.* Tum nova introducitur forma S. Spiritus, tum accedunt accidentia gratiarum, ac virtutum; tum homo mutatur, transformaturque in alium. Tum suscipit Spiritum S. quum reducitur in nihilum.

Umbert l 4. de erudit. Reli. p. 2. c. 4.

Ps. 72.

XIV. Ex his manifestum redditur, quod si quispiam tanti hospitis adventu flagret; si gestiat animæ suæ sacrarium eidem dedicare, in eoque cum illo ad cor loquente sermocinari; opus esse omninò examinare, omne, quod in mundo est, concupiscentiam videlicet carnis, oculorumque, ac vitæ arrogantiam. O beatam, ac superbenedictam illam animam, quæ hoc gaudet vacuo, vel ad id disponitur! Non enim cassaniti potest fiducia, fore ut repleat Dominus in bonis desiderium ejus, sese in illam immergat, cumuleteque uberrimis charismatum suorum favoribus. Planius edissero. Si caro nostra fuerit arida emedullata, attenuata, pinguedine diffluet cœlestium deliciarum. Si cor à terrenis abstractum illecebris exaturabitur opibus, ex ipso divinitatis thesauro depromptis. Si pectus à tumore superbiæ liberum, fluentis gratiarum inundabitur.

Itaque Aud. mei evacuemus omne; quod in mundo maligno positum est, ut omne, quod in cœlo est possideamus.

Æmulemur viduam illam Prophetidem, ab Eliseo Vate benedictam, asferamus vasa vacua non pauca, oleum divinorum charismatum excepturi; confidamusque neutiquam destiturum in nos abundantissimè defluere, si vacua duntaxat præcordiorum fuerint inventa. Stabit verò influxus supernarum visitationum, fluentaque gratiarum, si alio quopiam mundani lenocinii jusculo fuerint repleta. Dignus habebitur consolatione divina, qui destitutus fuerit omni humana. Dignus in præcordiis possidere Deum, qui renuerit admittere mundum reum. Dignus inquam immorantem nanciscì Spiritum S. qui exosus est spiritum inquinantem. Largiatur id nobis ille, qui cum eodem Spiritu S. & Filio vivit, & regnat in Triade perfecta unus Deus. Amen.

4. Reg. 4.

CON-

CONCIO XXVII.

IN FESTIVITATE PENTECOSTES.

Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

ARGUMENTUM.

Nuptiæ Spiritus S. honoratæ.

Nuptiæ S. Spiritus.

I. DEus bone, quis tuam in homines charitatem, vel hominum pro merito æstimet felicitatem! Hæsit attonitus, stupefactus beneficii magnitudine Psalles tuus, quod hominis memoriam colere dignareris, exclamavitque: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut Filius hominis, quia reputas eum?* Ratus indignissimum esse, cujus tu non modo providentiam geras, sed vel nomen non obliteres. Potuit itidem in admiratione vir à patientia probatus, quod eundem magnificeris, amoreque complexus fueris. *Quid est homo, quia magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum?* Quid est? Nonne vanitati similis factus est; & ad nihilum redactus? Et tu tamen ô Pater misericordiarum apponis erga eum cor tuum, perinde ac si in vase hoc fictili thesaurum tuum positum, reconditumque haberes? Obstupuêre alii, quod tantis gratiis, muneribusque eundem prævenieris; & non emirer ego, quod non meminisse duntaxat nostri non tantum fovere, vel quocunque nos prosequi amore dignatus sis; sed insuper arctissimè tibi per modum connubii adstringere.

Ps. 8. v. 5.

Iob. 7. v. 17.

Neque enim alio habitu descendisse dilectum Filium tuum accipio, præterquam sponsi præcedentis de thalamo suo. Tunc enim Filio tuo nuptias apparasti, quando hunc in utero virginis naturæ nostræ copulâsti; fierique hominem voluisti. Tunc adimpletum est, quod prædixerat proto-parens meus: *Quamobrem relinquet homo patrē suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* Reliquit enim quadantenus te Patrem suum, quando exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Reliquit matrem, id est synagogā, ex qua ortus est, adhæsit autem Ecclesiæ per amorem, factique sunt duo in carne una, siquidem Filius tuus carne circumdatus est humana; qua itidem constat Ecclesia. Tunc caro nostra facta est sponsa, uterus virginalis thalamus, verbum sponsus, completumque est magnum Sacramentum; dico cum Apostolo in Christo Filio tuo, & Ecclesia.

Filius Dei sponsus. Ps. 18. v. 5. S. Greg. h. 38. in Evang.

Gen. 2. v. 24

Spiritus S. Sponsus

Neque itidem hodiernâ die Spiritum sanctum tuum alia intentione te misisse mihi persuadeo, præterquam, ut animas credentium indissolubili nexu sibi devinciret. Nam si olim ex nuptiarum ritu sponsa scyphum eligebat materia & arte egregium, quo sponsum donaret, vinumque modicè libatum in sacramentum fœderis conjugalis sponso exhauriendum traderet; profectò ipse Spiritus S. tanquam sponsus servavit bonum vinum usque adhuc, quod hodie Apostolis Ecclesiæ propinavit, quando populo videbantur musto pleni, si dos, bonorumque communicatio spectetur, ipse sua bona profusissimè dilectæ elargitur. Si fœcunditas inquiratur, ex illo omnes regenerantur: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Si honor, amor, fides conjugum expendantur, ipse eadem officia sponsæ suæ exhibet. O quanta est hæc igitur, quamque ineffabilis dignatio pietatis, ut vilis homuncio, qui indignissimus habetur sociari filiabus summatum terrenorum, admittatur ad thalamum Regis cœlorum.

Joan. 3.5.

Hanc ut planius percipiamus firmiusque cordi imprimamus, ostendere adnitar hoc triduo, quam perfectè sponsam suam Ecclesiam divinissimus hic sponsus tribus præfatis conjugum officiis præveniat, ac prosequatur. Ut verò id dignè præstem tu ô divinissime Sponse linguam dirige, ignem tuum in animam immitte, pulmonibusque ventum tuum potentissimum suffice.

Narratio.

II. Primum officium, quod sibi mutuo exhibere conjuges obstringuntur est honor ipsorum conformis statui. More jam olim, teste Tertulliano, introductum erat, vigetque etiamnum ut Neo-Sponsa à Sponso, & vicissim hic ab illa corona, seu serto redimeretur; vel certè illis incincti Thalassionem canerent, nuptiasque celebrarent. Coronæ istæ prius erant è floribus textæ, putatque Syrus Adamum Evam gramine viridissimo coronasse, quando eam Deus ad se adduxit. His in præsenti succesêre sericeæ aureæ, gemmeæ; idque non alio fine, quam ut hoc symbolo, mutuum sibi honorem deferrent, deferendumque imposterum pollicerentur.

Sponsæ cur in nuptiis coronata Tertul. de Coronâ mil.

Syrus li. de parad. c. 28.

Demandat severè hoc officium conjugibus Princeps Apostolici senatus S. Petrus, in prima suarum Epistolarum Mulieribus quidem, quando ait: *Mulieres subditæ estote viris vestris*; id est, ut interpretatur S. Ignatius Martyr. *Honorificent viros suos, & non audeant eos proprio nomine vocare.* Magnam viro irrogat injuriam mulier, si eundem perinde ac famulum alloquatur, si de defectibus ipsius apud alios conqueratur, si dominari affectet, non subesse. Et tanto mulier vilior est, ac contemptibilior; quantò altius supra virum supercilium attollit; tanto honoratior, quantò amplius virum, etsi minus prudentem, veneratur.

1. Pet. 3. v. 6.

S. Ignatius Ep. ad Antioch.

Coniuges se mutuo honore præveniant.

Viris autem quando subdit: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi*

Ibid. v. 7.

quasi inferiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ. q. d. Viri juxta discretionem, prudentiamque vobis à Deo dispensatam, deferte debitum uxoribus vestris honorem, exhibendo vos mites placabilesque erga ipsas, honestissimè compellando illas, & eorum fragilitati condescendo.

§. I.

Spiritus S. sponsæ suæ honoribus velificat.

III. Quid hic dicam de divinissimo sponso Spiritu S. Tanto sponsam suam dignatur honore, iisque cohonestat titulis, ut arduum prope sit credere, nedum mente humana complecti. Et enim si sensum SS. Patrum, sapientissimorumque Theologorum hac super re inquiramus, dicent hominem non in quocunque statu honoris per gratiam Spiritus S. constitui; non inferiori duntaxat huic mundo, & animantibus, perinde ac alterum Adamum præfici, non tantum supra terram, cœlos, & Angelos attolli, sed supra universum naturæ ordinem collocari, quo nullius nativa nobilitas omni suo armata satellitio pertingere pollet. Extat profectò quivis per Spiritum S. reconciliatus, etsi miseriis, doloribusque plenus, instarque Lazari in fimeto resupinatus tantò superior Seraphinorum Principi in pura natura, consideratò; quantò hic mediastimo vili, mãcipioq; abjectissimo. Ut ut illi superni Spiritus diversis suæ nobilitatis gradibus in fastigium extra humani prospectus aciem constructum assurgant; ut ut ex innumerabili illo populo quisque proprium habeat excellentiæ characterem, quo ab aliis discrepet; utut solem, lunam, stellas incomparabili gradu infra se destituant; attamen spõsa amatoris enthei omnibus his excelsius verticem attollit. Non secus ac si Regum quispiam in sociam thori abjectissimam quamque de trivio fœminam assumeret; eo ipso omnibus suis subditis, nobilibus, ac dynastis præficeret; æquâ ratione Spiritus S. quos sibi per gratiam suam unit, eosdem cunctis creaturis, utpote servis deditissimis sublimius attollit, subvehitque eminentius. Quantum istud? Attamen si audire ultra, expendereque gradus honorum illius libet:

Gratia S. Spiritus supra naturæ ordinem evehit.

S. Aug. li. 2. ad Bonif. c. 2. Soar. Alii.

IV. Dicent eminentiæ Matris Dei secundùm se spectatæ præferri. Ipsi equidem obsequiosam præstare debet filius observantiam, reverentiam cœlestes spiritus, homines clientelam, venerationem, cultum; at enim ipsa cœli, terrarumque imperio libens se abdicaret, & Matris Dei jure, honoribusque cederet, antequam gratia Spiritus S. careret. Mavult esse sponsa Spiritus S. per gratiam, quàm Mater Dei per naturam.

Gratiæ dignitas ipsa Maternitate Dei excellentius.

Duplici gaudet excellentia Matris prærogativo jure. Unum est, quod Filio Dei purissimum sanguinem coagmentandæ carni subministraverit, in qua erat ipse corporandus. Alterum, quod illum novem mensibus, suis tulit, aluitque viscceribus. Jam si hæc duo cum iis contendant, quibus Spiritus S. gratia præditus exultat, planè multò beatiores sunt, qui Christum concipiunt

Maternitatis Dei duplex prærogativa.

unt per Spiritum S. mente; quam qui solum ventre conciperent. Illa conceptio hominem sanctum efficit, hæc nullam Deo, nullam Matri per se confert sanctitatem; illa Filium Dei facit virginei uteri hospitem, hæc Spiritum S. æqualem in omnibus Patri, & Filio inhabitatorem cordis nostri, quantum in ipso est perpetuum. Prô quanta dignitas est ista? Veruntamen graditur ultra Sponsa Spiritus S. nec hoc in gradu subsistit? Quonam verò? Audite si lubet S. Bernardum.

Præstat participatio gratiæ corpori ipsiusmet Christi

V. Dicet mellitissimus hic Pater Spiritum S. suo modo Sponsam suam supra ipsum corpus Christi secundum se spectatum extulisse.

Supponit hic S. Pater Christum Dominum duplex corpus habuisse nimirum naturale, ac mysticum. Illud sumptum de B. Virgine; istud spirituale id est Ecclesiam, de qua S. Paulus: *Multi unum corpus sumus in Christo.* Quæritur inter hæc duo corpora, quodnam pluris æstimaverit? Illudne sumptum de intemeratis visceribus virginis, an istud per Spiritum S. coagmentatum, virtute passionis ipsius? Et decidit præfatus S. Pater corpori naturali minus Christum D. detulisse, quàm mystico. Rationem dat: *Si corpus mysticum non prætulisset corpori naturali, corpus naturale non obtulisset in cruce pro corpore mystico.*

Rom. 12. v. 5.

S. Bernard. de tripl. Conjug.

Verũ qua de causa corpus hoc mysticum nobilius censendum Corpore Christi naturali? Scitis in quo? Corpori Filii Dei naturali anima obtigit, quemadmodum omnibus aliis hominibus creata, quæ illud vivificaret; at mystico in animam datus est ipse Spiritus S. qui illud moveret, animaretq; Nam ut loquitur Augustissimus Patrum: *Quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus S. corpori Christi, quod est Ecclesia.* Ut anima per oculos videt, per aures audit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat, omniaque membra vivificat: idipsum agit Spiritus S. in Ecclesia. Deficiente anima, deficiunt membra omnia; & recedente Spiritu S. detabescunt universa. Profitetur id symbolum Nicenum, quando hoc epitheto ipsum dignificat *Et in Spiritum S. Dominum, & vivificantem.* Vivificare enim proprius est effectus animæ. Ergo & Spiritus S. anima est Ecclesiæ, quæ tantò divinior est, quãtò Deus creatura quavis excelsior.

Spiritus S. anima Ecclesiæ

S. Aug. s. 186 de temp.

VI. Quod si autem supra tot fastigia evexit Sponsam suam, in quo tandem dignitatis culmi eam constituit? stupescite, altumque præcordiis defigite, dum non me definitorem, sed Vicarium Christi audietis tanquam de cathedra decidentem. Dicit hic: *Maxima & pretiosa promissa, quæ nobis Deus per Christum donavit, ut per hæc fiamus divinæ consortes naturæ.* Eò nos extulit, ut in genus divinum in partem Divinitatis admittamur, ut vita divina vi gratiæ nobis inspiretur, ut Divinitas ipsa nobis conferatur. O verè magna, ac pretiosa dona, nullo humano eloquio pro merito celebranda, nullo ingenio cõprehendenda! Nã si Philosopi nullã eminentiorem hominis excellentiã capere poterant, quam ut esset ad divina contemplãda natus, quid erit tandẽ in Deum evadere? Et si Dei præconio celebrantur omnia mox in orbẽ è nihilo sui educta, quanquã solius naturæ terminis circumscripta, quantũ admirationis,

Gratia divina reddit homines divinitatis participes.

2. P. ep. 1. v. 4.

onis, honoris, æstimationis sibi vendicabit anima ipsius Spirit. S. gratiâ præventa, ipsiq; desponsata? Quantum dignitatis, & eminentiæ conferet Deum non tantũ affectu, beneficiis, recordatione; sed reipsa, totaq; substantia trãsfusum in ipsa habitare; nec posse amorem suum avertere, aut præsentiam suã singularem illi subtrahere, quã gratiæ suæ ornamento reddidit amabilem.

VII. Quod ut liquidius pateat, sciendum ex sensu probatissimorum Theologorum non tantum nos conjungi cũ Domino Deo nostro accidentaliter per donum gratiæ ex insigni benevolentia communicatæ; sed insuper substantialiter per introductam in mentes justorum ipsius Spiritus S. personam. Nam ut disserit præter alios doctissim⁹ Soarius: *Gratia habitualis est quasi vinculum, inter supremum spiritum, & inferiorem, quod vinculum est adeo forte, ut etiamsi Deus per impossibile non esset ubiq;, sed tantum in cœlo; ex vi tamen collationis gratiæ Spiritus divinus inciperet de novo esse in anima.* Tam fortè, inquam, & adamantinum, ut si per impossibile malitia hominum Deitatem omninò ex terris exturbaret; ipsum tamen Deum illud ad se attraheret. Non secus, quã si posset Verbum divinum aliunde abesse; vi tamen unitæ assumpto cum homine personæ, illius corpori, animæq; necessario adesset.

Spiritus S. habitat ipse in iustis. Soar. l. 1. de Grat. c. 2. n. 5.

VIII. Adstruit id inter alios SS. Patres P. Ambrosius propugnans ex S. literis Spiritum S. non in Apostolos duntaxet descendisse, sed insuper aliis itidem fidelibus se unire. *Quid dubitem, inquit, dicere, quia datus est Spiritus S. cum scriptum sit; Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis; quem utique quia recipere pectora captiva non poterant, prius Dominus Iesus captivam duxit captivitatem, ut liberis affectibus gratiæ divinæ munus infũderet.* Addo quid dubitet, cum Apostolus subscribat, *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus S. qui in vobis est, quem habetis â Deo.* Et iterum: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Addo quis ambigat, cum Spiritum S. mittendum in Christi nomine ex hodierno Evangelio accepimus, mansurumq; apud nos usque ad consummationem sæculi. Addo quis controverrat, cum per donum gratiæ gratum facientis perficiatur creatura naturalis, ad hoc, ut liberè non solũ ipso dono creato utatur; sed ut ipsa persona divina fruatur? Quid dubitem, cũ in ipso dono gratiæ gratũ reddẽtis nobis Pater æter⁹ non tantũ Paracliti dona, sed & ipsum Paraclitũ, sponsum, & inquilinum conferat? O quãta hæc dignatio! quã incomprehẽsum vinculũ! Ubi, ubi estis, qui posthabito tã eminẽti dono gratiæ, demiramini nõnullos ex sorte infima ad maximã fortunã, felicitatẽq; provectos? Ubi estis, qui vel Saulẽ vel Agazonẽ, vel Davidem Past. vel alios ad sceptrũ purpuramq; assumptos suspiciatis? Ubi estis quib⁹ Athenais Philosophi Peripatetici filia, eaq; pupilla, & egena ad thronũ thorũq; Imp. Theodosii traducta admirationi est. Vos egohic appello, vos ad aliud spectaculum multo augustius provoco, in quo vestrũ ponere, defigereq; stupore liceat, in quo nõ ad thorũ, societatemque hominis homo; sed ad societatem immortalium mortalis assu-

S. Ambr. l. de Spir. S. c. 5.

1. Cor. 16. v. 19.

1. Cor. 3. v. 16.

Ioan. 14. v. 17.

assumitur. Hic hic sensus vestros, mentemque demergite, & cogitate num possit eminentior, diviniorque dari, aut etiam fingi dignitas? Et si nullam indagate, conciperaque potestis sublimiorem colossum Herculeum surrigite, cui in perenne inaretis monumentum: *Non plus ultra.* Colossum quem vobis in scopum omnium actionum vestrarum erigatis, quoque tota animi contentione enitamini. Colossum in quo æternæ beatitatis bravium, coronamque gloriæ obtineatis.

Gratia divinæ excellentia summum ut sic

§. II.

Reciprocatio honoris.

IX. Verùm enimverò si sponsus Spiritus S. tanto afficit honore sponsam suam, profectò reciprocari eundem ab illa par est. Si nos invicem imperat honore prævenire Apostolus, quantò æquius sponso tam illustri, tam cœlesti, tam divino deferendum?

Hodierna festivitate audimus apparuisse hunc divinum Amatorem in forma linguarum igearum, sedisseque supra singulos Apostolorum. Hæccine sedes linguæ est? Nonne Author naturæ, qui cuncta sapientissimè disposuit illam sub palato constituit, ostensurus eo ipso, quod regi debeat, à ratione, judicioque subdita esse. Nonne dentibus, labiis, perinde ac mœnibus vallavit, ut tanquam ferarum omnium pessimam his repagulis coerceret? Nonne ordinatissimè ad subveniendum stomacho, aliisque membris intra fauces posuit? Quis est qui hæc non videat? Cur igitur in præsenti supra caput ponitur?

Spiritus S. cur sedit supra Capita Apost.

Commentabitur forsitan quispiam ideo consilio factum esse, ut tanquam Doctor in cathedra propria consideret; cujus munus est magis pascere mentem, quàm ventrem. Lingua humana informat ventrem de sapore, de discretione gustus, de amaritudine, & dulcedine, ideoque sedem obtinuit in orificio ventriculi, quatenus illi lectionem suam exenteret, emedullet, masticet, præguster; at verò Spiritus S. Doctor est mentium, edocens nos omnem veritatem; ipse obscura illuminat, dubia solvit, errores corrigit, ignota aperit, intricata enucleat; & idcirco supra cerebrum locatur, tanquam in exedra sua. O terque quaterque felices, qui huic Doctori auscultant, qui ipsius inspirationibus acquiescunt; ipsius monitis diriguntur; quoniam ipse deducet illos in viam rectam, in viam justitiæ, & æquitatis, ut ab errore expediti veritatem capiant, possideantque lumen sempiternum.

Spiritus S. Doctor Patriarcharum

X. Cogitabit alter sedisse supra capita ipsorum tanquam indicem, ductoremque vitæ cœlestis. Nam cum dexteræ Dei digitus dicatur, ducturusque nos sit ad regna empyrea, non potuit loco magis proportionato considere, quam in vertice. Hoc enim ipso edocere nos voluit, non sub pedibus quærendum Deum, nec à vestigiis eruendum, quod sectaremur, adoraremusque; sed erecta mente oculos ad cœlum figendos, ibidemque summum bonum, in quo quiescamus, inquirendum. Nondum is Spiritus S. flamma incaluit; qui necdum alta petit

Spiritus S. Index viæ

nec-

necdum ad ſuperna, ductum ipſius ſequendo enititur; necdum per contemplationem, amoremque cœleſtis patriæ ſublimatur.

Spiritus S. Legislator.

XI. Meditabitur tertius id eveniſſe, quatenus veritas reſponderet umbræ, lex nova legi veteri ac lituratæ. Hæc data eſt in monte Sinai, illa in monte multò eminentiore, digniore-que, capite humano. Si fumabat mons ille deſcendente ſuper eum Domino; & ubi plus fumi, quàm in capite humano? Quantum vaporis ex lupulo, muſto, ferculis conditis, ex arrogantia ipſa identidem attollitur. *Fumus*, inquit Sapiens, *afflatus eſt naribus noſtris.* Si in monte Sinai apparebant fulgura, audiebanturque tonitrua; in colle humano micant oculi, & tonitru ſæpe-ſæpius verborum Domini inſonat. Si tubæ clangor ibi increbuit, increbreſcit & iſthic, quoties tuba eccleſiaſtica ſpiritu animatur vehementiore. Si ibi datæ ſunt leges in tabulis lapideis digito Dei exaratæ; hic in tabulis cordis carnalibus dexteræ item Dei digito conſignatæ. *Epiſtola noſtra vos eſtis*, ſcribit Doctor gentium, *miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

Sap. 2. 2.

2. Cor. 3. v. 2

Lingua ſignum trophæi.

Per. Cluniac. in Pſ. 73. v. 4.

XII. Nec deerit forſitan, qui volet in ſignum trophæi id eſſe factum.

Petrus Cluniacenſis in illa verba: *Poſuerunt ſigna ſua ſigna*, ſcribit quod Demetrius Bactrianorum Rex movens cum exercitu valido contra Euratium Indiarum Regem, cum nollet in profligatum, & in fugam effuſum ſuperſtitem militem atrociùs ſævire, quantum vis poſſet; advocatis captivis tribunis blandè illos allocutus eſt, idque effecit ut civitates munitiſſimas illi dederent. Hæc cum in deditionem, poſſeſſionemque accepiſſet, in monte eminenti trophæum erexit, & loco obeliſcorum linguas poſuit, adjecto lemmate: *Non ferro, ſed verbo.* Infra autem in valle aures exſculpi in columna fecerat, cum epigraphe: *Vebo majorem obedientiam, quàm violentiam.*

Fas ſit parva componere magnis. Atrox bellum ac funeſtum interceſſerat cœlum inter & terram; Angelos inter, & homines; immò inter ipſum Deum, & creaturam. Peccatum origo, & incentivum belli extitit, cum ingenti hominum clade protracti. Potuit Numen univerſos ad internecionem delere, potuit in ſanguine ſuo, non ſecus ac in diluvio demergere; potuit fulminibus de cœlo, citra ullum ſuorum periculum quaſſare; attamen id alienum à ſua ratus clementia, ſervilque ſuis vindictam ſumere feſtinantibus inhibitis. Verbum ſuum incorporatum interpoſuit, totumque mundum ſibi vectigalem reddidit. In ſignum hujus victoriæ ſupra Apoſtolorum vertices linguâ trophæi inſtar erexit, & in vallibus hujus mundi aures, id eſt obedientiam fundavit; quo omnis auris audiat, & omnis lingua confiteatur; quia Dominus Jeſus in gloria eſt Dei Patris. Benè & perbellè iſta finguntur.

Spiritus S. caput Eccleſiæ.

XIII. Attamen cum me reflecto caput ſponſæ eſſe ſponſum, & caput uxoris virum illius, judico vel hac ipſa de cauſa in vertice ſibi deſponſatarum animarum apparuiſſe; ut noſſent ipſius

subesse monitis, ipsius potestati obnoxias, ipsumque tanquam diadema suum devenerarentur. *Sedit super singulos eorum in signum superioritatis*, ait S. Bernardinus. Spiritui elementari dedit Author naturæ locum super tellurem, lymphasque & nobis Pneumati divino primatus in omnibus deferendus, non carni, & sanguini, aut quod absit spiritui maligno.

S. Bernardin. tom. 3. ser. 9. de 7. donis SS.

XIV. Mundo primum recens nato, Spiritus Dei, neglecto firmamento aquis incubuit. *Ferebatur super aquas.* Quid quæso est quod Oceanum prætulit non solo duntaxat, sed & polo, Num paradysus vel illi, vel isti defuit, cujus delitiis pelliceretur? Vel num aliqua adamavit in æquore, quæ adamaret in homine? Non abs re disseris, quisquis hæc præconcipis. Quænam autem illa? Pones forsitan principe loco, quod mare quantumvis decumanis concitetur procellis, litoris tamen terminos fastuoso saltu haudquaquam destituat; & utut tumet in adversis, in prosperis, & affluentia aquarum ne quidem tumeat; aut exceptis in sinum suum fluminibus exunder. Tales cum sibi exoptet amator cœlestis, perrarus tamen est inter homines, qui aquarum affluentia repleatur, nec turgeat. Vix in domo Christi exhibebis, qui non illico litora spernat, terrisque misceatur; si vel rivuli terrenæ potentiæ in eum se exonerent uberius.

Spiritus S. cur ferebatur super aquas Gen. 1. 2.

Æquabilitas in omni statu.

Pones loco proximo, quod mare opes, quas sibi parat, non pariat, sed occultet; cadavera autem vel emittat ad litus, vel ad extimam sui partem. Nempe illo spiritus Dei delectatur, qui nullum non retegit scelus Pastori suo, qui quidqui morticinum in se fovit, in apertum profert. Contra verò quemadmodum æquor coralia, & margaritas vix expiscantibus indulget, algam nolenti ingerit: ita ipse quæ præconio digna occulit; quæ non sanctè egit, sanctè oculis ingerit. Terrenorum namque amatorum proprietas hæc est, cum terra pompam suam explicare, foris flores ostentare, intus in viscerибus vermes, putredinemque nutrire. At sectatorum cœli est, gemmas, unionesque celare, solam algam evulgare.

Conscientiæ manifestatio.

Humilitas.

Pones forsitan tertium, quod mare quavis sui parte idem est, suique simile; ubique exæquatum, nuspiam montosum. Tellus autem modò fatiscit in valles, modò in colles assurgit, modò complanatur in campos, modò in montes intumescit. Si fœcundatur in una sui parte, in altera sterilescit. Videas in multis faciem telluris, non æquoris; quos jam alacres, jam mœstos; jam familiares, jam adversarios notes, nuspiam sibi similes. Foris Catones, intus Nerones, toti ambigui. Hodie spirituales, cras carnales, hodie Deo, cras Orco litantes offendes. Aversatur ejusmodi Protheos Spiritus S. & constantes, suique similes expetit. *Ferebatur supra aquas.*

Homo sanctus mari persimilis.

Constantia.

Mihi tamen ponere placuit loco principe, quod videat fontes, quos per occultos meatus dispensat, grato cum fœnore, iterato ad mare deferri. Quantum tribuit mare, tantumdem grata vicissitudine refundunt fontes. Luculentissimo nobis documento, quales nos esse oporteat, si Spiritum S. amatorem inquilinum nanciscì exoptamus; ut nimirum si non ex æquo referre

Gratitudo.

Spiritus S. honorandus

ferre honorem, nobis ab illo exhibitum, sufficimus; minimum pro virili exhibere contendamus. Flumina inveniamur, quæ tanto alveo sese in pelagus exonerant, quanto mari gravidata intumuerunt. Vel potius flumina, mariaque inveniamus, quæad valles quasvis sese demittunt, spiritui aëreo submittunt, & si opus est, vel cum sui annihilatione tota in spiritum abire gestiunt, & sese in obsequium illius eliquare concupiscunt.

XV. Tales nos esse oportet erga sponsum S. Spiritum, si nos ipsi desponsatos agnoscimus, & profitemur. Tam devotos nos eidem exhibere par est, nisi extremè perditi, extremè fulminati, extremè gratia ipsius indigni haberi velimus. Quis enim Pynastarum ferat se contemni à sponsa, de post fœtantes in sociam thori accepta? Quis honores delatos, in arrogantiæ commutatos humores non detestetur?

Non tulit supercilium Vasthi Assuerus Rex, quod ad imperium ipsius, per Eunuchos demandatum, venire contempsisset. Itaque iratus, nimioque succensus furore, ne quid inconsulto se feciſſe posteraluce indoleret, sententiam Satraparum inquirit; quo supplicio vindicandum Reginæ faltum, suumque contemptum arbitrarentur, percontatur. Cunctis visa est justissima Regis indignatio, & intolerandus personæ illius despectus, stetitque sententia, ut juxta legem Persarum, atque Medorum, quam præteriri nefas, formaretur edictum, ne ultra Vasthi ingrederetur ad Regem, sed regnum ipsius altera, quæ melior, digniorque esset, acciperet. Dictum, factum, proscripta est Regina, perpetuoque damnata divortio. Justissimum hoc visum non temulento Regi, aut in furias acto, sed quibusvis aliis aulæ Senatoribus, tatumque habitum à sæculis novissimis.

Esth. 1. 10. 13. &c.

Ego hic non Persarum Jurisperitos aut Senatores, sed vos ipsos meos consiliarios, definitoresque exopto: Vos consulo quid judicatis? quid decernitis? Ecce Rex unus, terræ vermiculus non tulit inobedientiam Reginæ consortis suæ, ejusdem secum conditionis, & forsitan etiam sanguinis; nunquid feret Rex empyreus terrenam sponsam, id est luteam, honori suo detrahentem? Ecce Rex mundanus dilectam sibi olim sponsam, & uxorem regno, bonisque omnibus privavit; & non privabit sponsus divinus sponsam brutam, iniquè habitus ab illa? Ecce omnium calculis reprobata est illa, numquid ista citra comparationem inferior honoris violati rea, tela Apostolici senatus, Sanctorumque evadet? Tantò nempe minus, quanto inferior est læsæ illius Majestatis rea sponso suo cœlesti; Creatore creatura.

XVI. Injurius extitit huic divinissimo sponso Rex Antiochus, quando templum Dei temerare ausus. At mox illius sensit ultricem dexteram quando ebullientibus in vermes, dilapsisque frustratim carnibus interiit. Et violenti ipsiusmet Spiritus S. sacrarium, ipsa cœlipulchritudine acceptius parcetur? Disturbanti regiam statuam, fabri opificio causam, infertur crimen, pœnaq; tanquam læsæ Majestatis reo; Dei opus excellentissimum, simillimum, atq; amatissimum prementem vindicta præteribit.

Antiochi pœna Ioseph.

Græci cur puniti.

XVII. Injurii extitêre Græci eidem Amatori, dum malitiosè ipsius Genealogiam subvertere præsumpserunt, sed & hi sensêre vindicem flammam, quando hisce festivitatibus Anno Christi 1452. imperio exciderunt. Non excident regno cœlesti, qui graviorem illi injuriam irrogaverint, qui directè eum offendere præsumpserint? qui vel agnitæ veritati resistunt, vel ob gratias aliis concessas ringuntur, & tabescunt; vel corde obdurati persistunt, vel in sua impœnitentia obstinati emoriuntur, vel de misericordia præfractè præsumunt, vel de ipsa perditè desperant.

XVIII. Excutiat hic unusquisque manticam suæ conscientiæ, videatque quo cultu hactenus prosecutus sit Spiritum S. Videat an non identidem illum contristaverit? An non donis, gratiisque ipsius abusus? Videat an non spreta, posthabitaque amicitia illius, ob meras quisquilias, sordesque rerum jurato ipsius hosti adhæserit. Videat an cor ipsius S. Spiritus, per peccata directè ipsum impugnantia, non pupugerit.

Et si fortè se reum deprehenderit, eundem repetito suspiriorum anhelitu, perinde ac anrem attrahere, ac invocare nitatur. Et quoniam libenter fertur super aquas, deducat fontes lachrymarum ex oculis, in amarum contritionis mare sese exonerantes; quibus ille incubet, atque inhabitet; sicque nobiscum in tempore, atque æternitate individuus perseveret. Amen.

CONCIO. XXVIII.

IN FERIAM II. PENTECOSTES.

Sic Deus dilexit mundum. Ioan. 3.

ARGUMENTUM.

Nuptiæ Spiritus S. Seraphicæ.

1. EGi hesterna luce de primo conjugatorum officio; id est de honore, quo se invicem prosequi obstringuntur; & ostendi, quàm insigniter munere hoc suo fungatur sponsus divinissimus, Spiritus S. A. Instat alterum, quo se invicem prævenire debent, nempe *Amor*. Hic tam proprius, consanguineusque est matrimonio; immò tam essentialis, ut

Amor essentialis matrimonio.

ut eo sublato una etiam illud interire sit necesse. Nam cum hoc sit societas, & amicitia indissolubilis; hæc autem definiatur omnium humanarum, divinarumque rerum cum charitate, & benevolentia summa consensio, fieri nequit, ut matrimonium salvum subsistat si amor maritum inter & uxorem emoriatur, extinguaturve.

Cic. lib. de Amic.

Eapropter Dominus conditurus primam Adamo sponsam, non aliunde, quàm de latere ipsius formare voluit; ut hoc ipso planum fieret, quod in consortium creabatur dilectionis; ut nimirum tanquam consors corde foveretur, non pedibus proculcaretur; quatenus viro à latere, non à pedibus esset.

Quo officio, seu verius beneficio, ac dono, quàm insigniter sponsam suam Ecclesiam, seu fidelem animam Spiritus S. prosequatur, discutiamus.

§. I.

Amor Spiritus S. in Ecclesiam.

Amor Spiritus S. in nos

II. S. Paulus Apostolus differens de hoc officio, seu gratioso beneficio S. Spiritus, describit illud hunc in modum: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis.* In quibus verbis mira, stupendaque energia complexus est sponsi divinissimi influxum. Non enim ait *inspiravit*, aut insufflavit in nos, aut etiam infudit charitatem suam, quod tamen multum esset; sed quod auctius, diffudit.

Rom. 5. v. 5.

Ubi sacer textus agit de formatione hominis, ait: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Condito ex terra Damascena homine spiritus sui auram, afflatus sui germen, divinæ particulam vitæ indidit, unde corpus ipsius protinus organizatum, in mysticam, perfectamque symetriam redactum fuit, quatenus Dei imago, similitudoque in eo reluceret, fieretque homo in animam viventem. At verò reformaturus hominem, redintegraturusque imaginem vitio originariæ labis corruptam, totum se cum omnibus donis suis elargitus est: *Charitas Dei diffusa est.*

Gen. 2. v. 7.

III. Vulgatum à Geographis est, Nilum septenis ostiis in pelagus se exonerare; & haud secus septemplici munerum suorum alveo sese Spiritus S. gratia diffundit. Influit enim in intellectum perfecturus illum ad capienda facilius, per modum simplicis intelligentiæ, mysteria fidei à Deo revelata. Quod donum intellectus indigitatur. Ad discurrendum verò promptius de de talibus arcanis diffundit donum scientiæ, ac sapientiæ. Illud quidem ad discurrendum expeditius, juxta rationem inferiorem; istud autem ad differendum juxta rationem superiorem. Rursum ad perficiendam rationem practicam, & ad discernendam majore cum promptitudine id, quod in opus deducere molitur justus, in occurrentibus occasionibus, ad conformandum se insignius divinæ dispositioni confert donum consilii. Quantum ad voluntatem autem, quatenus & ipsa bene ordinata inveniatur, reverenterque afficiatur Deo, tanquam parenti communi omnium, dedit justis donum pietatis. Ut vero exequantur ea, quæ ipsos concernunt, donum timoris ac fortitudinis. Timoris quidem, ne si-

Spiritus S. dona septem

nant se allici per illecebras partis concupiscibilis; fortitudinis autem ad evincendum horrorem pannicum, qui possetillos deterrere, avocareque à bono. *Charitas Dei diffusa est.*

IV. Nec dixit: *Charitas Dei diffusa est ad nos, sed infusa est in cordibus nostris.* Neque enim extrinsecè duntaxat nos afficit charitate sua; sed intrinsecè perficit, capacesque constituit amicitiæ, ac conversationis suæ. Non tantum diligit, aut explicat amorem suum ore, sed visceribus insuper communicat. Humanas amicitias, honoreique cudit opinio, non res ipsa; at Deus non vulgi somniis, non censu prudentum, regumve arbitrio; sed re ipsa, suaque præstantia, & ultro manantibus ex ea dotibus, eam dispensat excellentiam, qua homo Deum redamet, mentemque illius participem divinitatis efficiat. Nam ut ait Sapiens: *Participes facti sunt amicitiæ Dei, propter dona disciplinæ commendati.* Et ideo non dicit *Charitas Dei diffusa est ad nos, sed diffusa est in cordibus nostris*; quoniam mediante Spiritus S. gratia acquirimus constitutivum intrinsecum, quo efficimur amici Dei, digni conversatione ipsius, propter dona disciplinæ commendati.

Amicitia humana extravagantes.

Amicitia cum Deo intrinseca.

Sap. 7. v. 14

V. Non denique dixit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui venit in nos, sed qui datus est nobis.* Ut sciremus, quod Pater, & Filius unà concurrant ad conferendum hoc tam grande donum divini amoris. Pater siquidem ex bonitate, & clementia sua infinita, singularique amore Filium unigenitum dedit mundo. Filius quoque Patri naturâ æqualis, persimilisque in amore, quemadmodum ad intra una cum Patre Spiritum S. producit; ita pariter cum eodem Patre eundem ad nos mittere non cessat. At Spiritus S. cum aliam Personam, quam mitteret, non haberet, (non enim datur in divinis Persona quarta) se ipsum utpote Amorem gratiosè contulit. Pater itaque Spiritum S. dando amicum quempiam æmulatus est, qui cum amico omnia, quæ possederat, erogasset, ipsum tandem cor aperto pectore traderet. Filius, quemadmodum humanam vitam suam in corpore pro nobis dederat; sic nunc divinam communicat. Spiritus S. ut sponsus seipsum tradidit, ut jam non essent duo in carne una, sed in spiritu uno. O quanta hæc divinæ bonitatis dignatio, quàm incomprehensa profusio charitatis! O Cherubim, ô Seraphim, ö quidquid admirationis capax, tantam dignationem obstupesce! Vestræ id capacitatis non humanæ est contemplari, ac admirari. Humanum est stupore abripi, quod Jonathas Davidem in tantum dilexerit, ut *agglutinata esset anima ipsius ad David, & dilexisset eum tanquam animam suam*; quod sese vestibus propriis exuerit, Davidemque induerit. At vestrum, extaticarumque mentium est, admirari Filium Dei, Spiritumque S. conglutinatum esse, ac jugatum homini mortali. Humanum est cum Moyse emirari, quod Dominus complexus sit Patres suos, iisque in tantum conglutinatus; *sicut adhæret lumbare ad lum-*

SS. Trinitatis Amor in hominem.

1. Reg. 20.

Deut. 10. v. 15.

Ier. 13. v. 11.

lumbos viri; quemadmodum Vates ait Jerem. At vestrũ est expendere, quod tam arctè maritatus sit divinum Pneuma homini, quàm strictè spiritus naturalis eidem contœderatus. Humanum est cum Judæis stupere lachrymas Christi, ex oculis ipsius rorantes, & cum iisdem eructare: *Ecce quomodo amabat illum?* Vestrum est trutinare non guttulam ex oculis stagnantem, sed aquam vivam effusam in præcordiis nostris. Vos itaque miramini, ac stupescite dignationem tantæ Charitatis. Vos pro nobis grates, vicesque, quas polletis, reddite.

VI. Ardebat hoc amore succensa in Canticis dilecta, & ut sensit illius vim vehementius: ita planius eum descripsit, cum diceret: *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Hebræi: *Prunæ ejus prunæ ignitæ, & flammæ vehementissimæ.* Ignis, qui aurum expiet, abjecta, ac terrena omnia ex foco præcordiorum absumat. Alii legunt: *Carbones ejus, carbones ignis, & flammarum Dei.* Ne crederes amorem Dei scintillam esse, aut vaporem ad modicum apparentem carbones noveris, idque non unum, sed plurimos, carbones igneos, flammeos, ardentissimos. Hoc enim phrasis S. Scripturæ familiaris indicat, dum dicit: *Flammarum Dei.* Non sunt carbones, quibus duntaxat alitur ignis intra incluſus, sed qui flammas foras emittant, ardentissimaque circumquaque volumina ignium evibrent. Non sunt carbones ignem elementarem nutrientes, sed bombos fulmineos emittentes. Erumpit iste impetu vehementissimo, in tantum, ut nullis naturæ viribus, detineri queat, nubibus obductus, conclususque, ne foras prosiliat. Erumpit itidem amor divinus, nec patitur intra præcordiorum repagula se constringi, quin flammas huc, atque illuc diffundat ardentissimas. *Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum.* Symachus vertit: *Impetus ejus impetus ignis*; ut hoc ipso vehementiam amoris per Spiritum S. in nos effusum comprobet. Nam ut ait S. Anselmus: *Ardores sunt dilectionis Spiritus S. qui est ignis: suntque tales ut etiam luceant; quia eos qui diligunt lucere faciunt, ut verbo atque exemplo illuminent, sed magis ut accendant.* Lampades sunt, atque flammæ quia amor ignis instar nunquam quiescit, sed semper ardet, lambit, adurit, incendit omnia, quæ occupat: *Charitas Dei diffusa est.*

Amor Dei vehementissimus.

Anſel. apud Cornel.

VII. In hodierno adventu audivimus divinum hunc hospitem descendisse in linguis igneis. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Non descendit ut iguis aculeatus in fulmina, nec ut Nero quispiam, trabeatus ustor feralem subdidit facem, sed ipse suos injecit ignes amor hominum Deus, formatusque in flammeas illapsus est linguas. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Nempe quo ostenderet se non fulminare, ac lædere, sed lambere ac blandiri, ut quot ille igneis in linguis apparuit, totidem hominibus amantissima pacis

Spiritus S. cur in linguis igneis venit. Act. 2. v 3.

pacis oscula libasse videretur. Apparuit in lingua ignea, quatenus amoris fulmen, eadem arcus instar obstetricante, facilius ad cor ejacularetur. Apparuit in dispertitis linguis, quia nimirum prodigus amor suum in nos profusissimum calorem non poterat una explicare lingua. Apparuit supra discipulos ut illi imprimis verbis essent proflui, & charitate fervidi. Apparuit supra capita in aëre aureis flammis aureum afflaturus sæculum. Apparuit in igne, ut Amor immortalis tanquam Phœnix ex hoc entheo incendio enasceretur.

Non itaque deinceps ultra cum exoculata antiquitate quisquam comminiscatur superstitioso Promethei furto cœlestis flammæ particulam subductam ad hominis lutum animandum; cum totum sese infinitum Numen in lutea pectora vitalis incendii splendido, aureove diluvio liberalissimè effuderit, novo nos amoris anhelitu formaturus. Nemo forcipem ipsius ementitam suspiciat; sed linguam hanc igneam attendat. Illud commentum est, hoc gratia & veritas. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Quid igitur causæ est, quod non ardeamus; non incalescamus?

§. II.

Peccati toxicum resistit Igni divino.

Amor est mutuus.

VIII. Natura ita comparatum est, ut amemus grataque mente prosequamur, quos nobis addictos novimus, nullaque re alia animus noster velocius trahitur, capiturque, quàm quoties amari se experitur. Exadversum frigidè remisseque complectitur eos, quos nullo argumento suum conspicit amorem comprobari. Ita si accipimus vel in exteris nobis quempiam animitus addictum, si honorifico nos celebrare sermone, missis quoque muneribus suam testificari benevolentiam deprehendimus, vel insensatos esse oportet, si à talis viri amore abstineamus. Qui itaque fieri potest, quin incalescat cor nostrum, quibus de tanto Spiritus S. in nos amore constat? Qui fieri potest, quin tam divinum hospitem complectamur, ejusque munera amabili corde, vultu, manuque recipiamus? Qui inquam fieri potest, ut amor ab eo infusus non evibret scintillas, non absumat cor nostrum?

Remedium daturus hominibus ad reconciliandam, reparandamque amicitiam S. Paulus suadet beneficiis devinciendos, cumulandosque adversarios, sicque futurum ut congregentur carbones supra capita ipsorum. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit potum da illi, hoc enim facient carbones ignis congeres super caput ejus.* Rom. 12. v. 20. Id est succendes amorem illius erga te, quique prius odio constrictus frigebat, hic flammis hisce liquefiet, diffluetque.

Hoc in excellenti egit nobiscum divina bonitas, cum etiamnum inimici essemus, totaque ab eo fronte aversi. Nam quum fulmina mittere debuisset, ipse amoris tela vibrare cœpit, destinavitque ad nos Filium suum unigenitum, qui seipsum, id est corpus & sanguinem in cibum, potumque dispen-

Spiritus S. aquæ similatus.

Ioan. 4. v. 14

Ezech. 36. v. 25.

spensaret. Dedit itidem aquam sitientibus bibere, quando Spiritum S. abunde effudit. Ipse enim est aqua, de qua quisquis biberit non sitiet in æternum, *sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hæc est aqua, quàm Dominus olim per Prophetam Ezechielem pollicitus: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ipsa sordes in tantum detergit, ut non nativam duntaxat munditiem, sed aliam quampiam supra omnem naturæ vim eminentiorem adferat, non solum deperditam animæ formam refingat, sed novum insuper decorem inducat; quò amabilis reddatur, non ut creatura duntaxat Conditori suo, sed ut parenti filia, ut conjugi sponsa, ut dilecto dilecta.

Apoc. 22.

Hæc est aqua, de cujus typo disserit S. Joannes in sacra sua Apocalypsi: *Ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum, tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni.* Ipse enim Spiritus S. in modum vasti, atque immensi fluminis procedit de sede Dei, id est ab essentia Patris, qui singulari quadam ratione Deus appellatur, eò quod à prima persona divina procedat, sed non à sede Dei solius, sed insuper Agni ad ostendendum Spiritum S. non solùm à Patre procedere, sed à Patre simul & Filio. Et non nisi de una sede fit sermo, ut pateat unam, eandemque virtutem trium personarum esse, unum thronum, Majestatem unam, perfectamque qualitatem in omnibus; & in eodem subjecto mirabili quadam ratione Majestatem Patris, & amorem Spiritus S. convenire. Sedes enim, sive thronus, si ex Theologia mystica interpretemur voluntatem denotat Patris, ac Filii; quoniam dum aliquis obtinet, quod desiderat, expleta jam ejus voluntate, quiescit, sedetque quasi in cubiculo, terminum, finemque optatum assecutus: Ita & Pater, ac Filius quiescit in divina sua voluntate, dum Spiritum S. producunt; Amorem, quo se diligunt. Hæc est aqua, quæ hac festiva luce effusa est super omnem carnem, juxta vaticinium Joëlis, quando primùm quidem vertices Apostolorum, tum membrorum omnium irrigavit. Hæc est aqua abscondita, quæ holocausta incendit, & factus est ignis magnus. Quid igitur causæ est, quod necdum carbones isti sentiantur super capita nostra, immo in cordibus nostris?

Ioel. 2.

2. Malach. 1.

IX. Axioma Philosophorum ab experientia comprobatum est: causarum proprium esse similes sibi producere affectus, & talem unumquemque ex hominibus esse constat, qualem intra se spiritum nutrit. Quemadmodum enim ignis proprium est, quamcunque materiam arripuerit in ignem convertere: ita Spiritus quoscunque occupaverit, in sui amorem, suaque desideria pellicere. Nam si Spiritus S. cujuspiam præcordia occupaverit, illico ad spiritualia, cœlestia, divina inflammabit. Si autem spiritus immundus mentem, pectusque cujuspiam obsederit, ad carnalia, impura, absurda quævis incitabit.

Primum patet in iis, qui ab ille-

cebris carnis avocati, non propriæ voluntati, sed divinæ obsequi, non sæculo, sed Deo servire adnituntur. Sentiunt se illico interius commutari, ad religionis studium, cœlestiumque rerum amorem potenter inflammari; sentiunt se prosequi affectu tenerrimo, quæ ante depravato deperibant; vel execrabantur; desiderare, quæ fastidiebant; fastidire, quæ sitiebant, voluptatem capere in iis, quæ illis acerba acciderant, oneri vero, atque honori esse, quæ antea voluptati fuerant.

Apostoli ante adventum Spiritus S. carbones.

Claret id ex ipsis Apostolis hac festiva luce Spiritus S. flamine animatis. Antequam hos ille afflaret, erant carbonum extinctorum instar frigidi, vecordes, pusillanimes. An enim carbonis instar non nigricavit Petrus, quando Christum ejuravit, totque blasphemarum plaustra in eundem exoneravit? An non carbo emortuus S. Thomas, cum post resurrectionem Dominicam sese exhibuit incredulum? An non cæteri Apostoli carbones, igne splendoreque destituti, quum relicto, desertoque Domino fuga sibi consulerent? At ubi Spiritus S. afflatu revixêre, in prunas quasi vivas conversi sunt, & flammam circumquoque ejaculabantur. Nam qui ante parietibus tanquam propugnaculis septi, ingenti undique terrenæ potestatis formidine constricti percellebantur; atque ad timorum umbras, corpore suo viduatas, pavitantes hæserant, prosiliêrunt in apertum, potentique verborum suorũ tonitru obvios quosque adorti consternavêre; nec paucos ad fidem, pœnitentiamque sacco, cinere, lachrymis testandam incitavêre. Pauci illi Piscatores inter tot Judæorum exercitus unis Hierosolymæ mœnibus clausos, tot efferatas mentes, & barbara paulo ante rabie in innocuo, unius sanguine ferocientes ingenti ausu, qua monitis, qua minis edomuêre, jugoque Christi mancipavêre. *Nonne hæc mutatio dexteræ Excelsi?* Nonne hæc in iis patravit Spiritus S. qui in ipsos descenderat?

X. Planum itidem est in fulminato Genio, nempe illum, quoscunque insederit, sibi assimilare, & ad dedecora quævis pertrahere.

S. Hier. in vita S. Hilarii.

Memoratur in vita B. Hilarionis à S. Hieronymo consignata, de nobili quapiam Virgine, quæ dæmonis opera, veneficiisque dementata, in vilissimi cujuspiam mancipii amorem sic exarsit; ut pene ad insaniam adigeretur. Novimus alios non paucos ita carni, ac sanguini immersos, ut impossibile prope iis videretur ex hoc cœno emergere, aut citra commercium carnis posse vitam extendere. Unde istud? Non aliunde, quam quod spiritum immundum intra se foveant, ejusque afflatu ad obscœna quæque inflammentur. Ergo quod Spiritus S. non inflammet, non immutet, causa est, quod ab alio spiritu, nempe immundo cor occupatum habeant; qui illud castri in morem tuetur; qui perinde ac Draco, aut Basiliscus in illud venenum suum diffundat, ideoque ignis Spiritus S. prævalere in iis nequit.

Peccatum causa frigoris. Suet. in Caligula.

XI. Perhibet Suetonius in Caligula, more, institutoque Romanorum receptum fuisse, ut mortuorum nobilium corpora in cineres pyra supposita redigerentur. Evenit autem, ut cum corpus Caligulæ Patris exustum esset,

cor

Cor Caligulæ cur non exustum in flammis.

cor à flammis intactum remanserit; igniſque qui cœtera membra corripuerat, ab hoc uno abſtinuerit. Quod cum omnibus admirationi eſſet, augures, medicoſque convocare viſum, qui ſententiam ſuper hoc prodigio rogati, reſponderunt, cor iſtud toxico peſtilenti imbutum eſſe, atque ejuſmodi veneno, cui ipſe ignis cederet, & flamma non obeſſet.

Quid dicam ego de nobis igni divino non cedentibus, ſed etiamnum frigeſcentibus? Non aliud, quam quod cor veneno plus quam mortifero imbutum in nobis circumferamus. Conſumeret illud omnia, inque ſui pabulum exoptatiſſima exuſtione converteret, niſi peccati toxicum eidem reſiſteret. Conſumeret illud dico, niſi Baſiliſcus quiſpiam Avernalis illud inſidendo vitiaret. Quamdiu igitur intus venenum in corde, tamdiu ignis Spiritus S. operari nequit. Nam ut ait Sapiens: *In malevolam animam non introibit ſpiritus ſapientiæ*; nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Non habitabit ſpiritus fortitudinis ad reſiſtendum tentationibus, ad audendum fortia, ſuperanda ardua. Non habitabit ſpiritus timoris Domini, ad cavenda ſcandaloſa, noxia, infanda. Non habitabit Spiritus pietatis ad frequentanda opera pia, ac ſancta. *In malevolam animam non introibit ſpiritus ſapientiæ.*

Sap. 1. v. 4.

Spiritui S. non cohabitat ſpiritus malignus.

XII. Salomon Rex conſorti ſuæ filiæ Pharaonis ædificavit domum propriam, ne ibi maneret, ubi habitaverat arca Domini: *Dixit enim Rex non habitabit uxor mea in domo David, Regis Iſrael, eo quod ſanctificata ſit, quia ingreſſa eſt in eam Arca Domini.* Audite. Regina erat, pudica erat, uxor erat dilecta Salomonis, eliminatur tamen non dico ex templo, ſed è domo, in qua jam non erat, ſed aliquando hoſpitata fuerat Arca Domini. Ergo habitare nequit tanti Principis conjux, ubi rudimentum religionis conſtitit; & ſimul cum Arca divinitatis cohabitabunt ſcelera, cum Spiritu S. ſpiritus malignus. Non, non habitabit juxta eum malignus, nec permanebunt injuſti ante oculos ejus. Peccatum venenum tale eſt, quod reſiſtit Spiritui S. quod ignem cœleſtem non admittit, in quod obſtinatum ipſa divinitas dominari nequit.

1. Paral. 8. v. 11.

XIII. Addit Suetonius in Caligula cor illud venenatum ubi theriaca tinctum, atque inunctum fuiſſet, ſubitò flammam invaluiſſe, ipſumque in favillam redegiſſe.

Quænam hæc theriaca? Sanguis nimirum, ac vulnera Salvatoris, virtus ſacratiſſimorum myſteriorum. Conficitur theriaca ex viperis, ſerpentibuſque ſuſpenſis, ac caſtigatis. Et Chriſtus in ſerpente æneo ſuſpenſo adumbratus virgis conciſus, amoriſque igne coctus, unde nobis theriaca confecta, id eſt virtus ſacramentorum collata. *Filius Dei altiſſimi jubetur occidi*, ait melliſſimus Pater, *ut vulneribus meis, id eſt peccatis pretioſo ſanguinis ſui balſamo medeatur.* Ipſe ſuſpenſus, excruciatuſque eſt, ut theriaca nobis pararetur, qua venenum peccati profligaretur.

Sanguis Chriſti theriaca.

S. Bern. ſer. 3. de Nat. Dom.

Sume ô peccator hanc theriacam in vino, id eſt cum vera compaſſione, ac contritione, ſeu lachrymis, (quæ vinum Angelorum ab eodem S. Patre indigitantur) & ſanaberis. Utere illa,

revocando tibi assertorem tuum inter alias causas tam dira perpessum, quatenus Spiritus S. nobis emereretur, idque pro scopo laborum suorum posuisse, ut ille mentes nostras cœlestium amore vehementius inflammaret. Utere expendendo quanti hoc balsamū hæc theriaca constiterit, quanto cum labore ac dolore confecta, & vix fieri poterit, quin venenum ututvenenatum fuerit, absudat.

Num. 21. v. 9. Filii Israel Deo rebelles in deserto serpentum læsi morsibus, conspecto æneo serpente, quem jussu Domini Moyses in stipite erexerat, à venenato vulnere curabantur. Effigiem hanc typum fuisse Passionis Dominicæ, nemo est qui ambigat. Addit Adrianus primus Pontifex; *Si ergo quispiam percussus fuerit à serpentibus peccatorum, Christum crucifixum intueatur, & habebit sanitatem.* *In Epist. ad Carol. M. Regem Gal.*

Ut autem id dignè præstemus, tu ô divinissime Sponse, sine cujus numine, nihil est in homine, adjuva, tu nos somnolentos increpa, tu frigidos flammis adure congruis, tu stimulis urge efficacibus, ut cor nostrum habile, dignumque reddatur tua dilectione. Amen.

CONCIO. XXIX.

IN FERIAM III. PENTECOSTES.

Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Ioan. 10.

ARGUMENTUM.

Nuptiæ Spiritus S. constantes in fide.

LIquido satis superque ostensum fuisse vobis autumo primum, alterumve officium, quo se invicem conjugati prævenire obstringuntur, quodque amator divinissimus Spiritus S. Ecclesiæ suæ sponsæ præstare dignatur. A. Restat tertium, nempe fidei, seu fidelitatis perpetuæ. Et hanc sibi mutuò spondent sponsus & sponsa, immò Deo teste, & hominibus vovent usque ad mortem.

In

In canticis canticorum invitat dilectus dilectam ad diademata capessenda: *Veni de Libano soror mea sponsa: veni de Libano, veni coronaberis.* Ter eam evocat, & triplici videtur corona redimire velle, non alio fine arbitror, quam ut eadem officia sibi præstita remuneretur. *Cant. 8.*

Unde & Christus Dominus tametsi fateretur se venisse in mundum, ut arctissimas hominum necessitudines rescinderet; (*Veni separare hominem adversus patrem suum, & filium adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam,*) non tamen dixit uxorem adversus virum suum, aut vice versa. Ut nimirum indicaret fidem conjugalem, necessitudinemque indissolubilem esse debere, nec ulla ratione dirimendam. *Matth 10. v. 35.*

Quàm verò sacrosanctè hanc fidem præstet, exhibeatque sponsæ suæ Ecclesiæ amator divinissimus Spiritus S. videamus.

§ I. *PROTHASIS.*

Spiritus S. fidelis, & constans erga sponsam.

II. Nemo satis germanè, sincerèque amorem divinum, fidelitatemque explicuit, qui illi adamantinum vinculum non innexuit. Utut profanus amor, utpote levi receptus fomite, ubi aliquantulum arsit illustrior, haud difficulter extinguatur; utut fides, perinde ac licium violetur, rumpatur ve; divinus amor, fidesque perpetua est, nec Numen ex sua parte ullum deserit, quem semel in suam gratiam recepit. *Amor divinus constans*

Oseas Propheta vaticinans de hoc divino fœdere, cum Ecclesia ex gentibus assumpta, perquam graphicè circumstantias, officiaque omnia describit: Ait enim: *Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri.* Hæc autem non intelligebatur alia, quam Gentilitas, quæ nunquam jugum Domini subiverat, sed in modum efferarum belluarum vixerat. Ista hic in fidem recipienda perhibetur, atque ad Christianam mansuetudinem effingenda. *Osea 2. v. 18. 19.*

Qualenam autem illud fœdus futurum indicat, cum subdit: *Et sponsabo te mihi in sempiternum*, ita nimirum, ut nunquam te sim repudiaturus, ut semper tecum futurus, ut spiritus meus semper in te permansurus.

Ut autem planius officia sponsi evulget, pergit ultra: *Et sponsabo te mihi in justitia, & judicio, in misericordia & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* In quibus verbis tria conjugum officia, seu vota complexus est. *Honorem* quando ait: *Sponsabo te mihi in justitia, & judicio.* Siquidem per hanc justitiam nihil aliud accipitur, quàm justificatio, cujus gratia in filios Dei adoptamur, hæredesque regni empyrei inscribimur. Amorem autem, quando subnectit; *in misericordia, & miserationibus*; siquidem solius nostræ miserius inopiæ, ac perditionis, sic nos dilexit ut Filium suum unigenitum daret mundo. Unde Apostolus: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis S. Spiritus, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum.* Fidelitatem denique manifesto adducit, quãdo cõcludit: *Et spõsabo te mihi in fide.* *Officia conjugum.* *Ibid.* *Tit. 3. v. 5.*

Hæc enim non est aliud, quàm fidelitas, ac constantia in promissis, quâ Deus assecurat, nuptias has fore perpetuas, nec ullo repudio revellendas. In sponsa autem est illa, qua illa se fidelem fore compromittit, nihilque præter ipsum amaturum, amore imprimis substantiali, ac appretiativo recipit. Hinc ter repetit hoc vocabulũ: *sponsabo*, quatenus certã, plenam, perfectam, in æternum duraturam sanciat, ac significet desponsationem. Vera enim fides, amicitiaque semper æternat. Nec habendus amicus est, quisquis aut amare desiit, aut fœdus rupit. Solas inimicitias esse mortales, amicitias æther ipse voluit esse immortales, ideoque illis non istis terminos posuit: *Sponsabo te mihi in sempiternum.*

III. Et licet nonnunquam perversus quisque per suam malitiam se sequestrat à Deo; licet nonnunquam provincia, aut regnum quodpiam per hæresim assumptam libellum exaret repudii ipsi Spiritus S. veritati præfracte contradicendo; ipse tamen ex sua parte nunquam deserit; nec unquam permittit, permittetque, ut tota Ecclesia adultera evadat. Etenim infallibile, ac irrefragabile est Christi testimonium: *Alium Paraclitum mittam vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum Veritatis.* Utique non titulo, aut nomine dumtaxat præsentiam suam testaturum, aut otiosum spectatorem futurum; sed illum, qui ampliaturus, clarificaturusque est nomen ipsius, qui illius sponsam tanquam Paraclitus consolaturus; qui illam docturus est omnem veritatem, qui annuntiaturus eventura, & ordinaturus omnia; verbo qui cuncta invisibilia munera, gratiasque operaturus, idque non certo, ac limitato tempore, vel initio duntaxat Ecclesiæ; sed in omne ævum, à progenie in progeniem. Quemadmodum enim Ecclesia ipsius divina cooperatione semper opus habet; ita ipsius perpetua indiget mansione, & consequenter vi ejusdem promissionis reget, implebitque illam suis muneribus, ut maneat cum illa in æternum.

Spiritus S. assistenti a perpetua in Ecclesia.

Ioan. 14. v. 16.

Ioan. 16. v. 13.

IV. Idipsum non tantum pollicitus est Sponsus divinus Ecclesiæ sponsæ suæ, sed se exoraturum apud Patrem recepit; dicens: *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*; idque ea intentione ut suam propaget, divulgetque gloriam. *Ipse me clarificabit, quia de meo accipiet.* Et numquid Pater æternus quicquam filio supplicanti ad dextram suam denegabit, qui semper pro sua reverentia exauditus est? Illiusne preces aversabitur, qui ad dexteram Dei sedens interpellat pro nobis? Vel numquid gloriæ Filii sui quicquam derogari sinet, qui incessanter gloriam illius promovere, vel per mortem atrocissimam adnisus est?

Ioan 14. v. 16.

Rom. 8. v. 34.

V. De hac ipsa assistentia per Isaiam Prophetam jam olim Dominus authenticam, absolutamque promissionem fecerat. Nam cum multis de adventu Messiæ, de erectione, ac propagatione Ecclesiæ egisset, concludit in hæc verba: *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui in te est, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus amodo, & usque in sempiternum.* In quibus

Isa. 59. v. 21.

bus verbis non tantum jugem divini Pneumatis mansionem stipulatur Dominus, sed insuper modum indicat quo id futurum, nempe quod ipse suo adjutorio Verbum Dei (non verò Scripturam duntaxat) ex ore ad os, à progenie in progeniem propagaturus sit. Siquidem citra auxilium gratiæ ipsius, nemo Verbum illius docere, discere, explanare, conservare posset.

VI. Et ut certi, securique simus de tali assistentia, per S. Paulum Apostolum non tantum idipsum comprobat, sed & multò firmiorem, constantioremque futuram, quàm in antiqua lege enuntiat. Audiatur ille: *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sanctum est. Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient dicit Dominus, & consummabo super domũ Israel, & super domũ Iuda testamẽtũ novũ, non secundum testamentũ, quod feci patribꝰ eorum, in die qua apprehendi manũ eorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.* q. d. Quantum distat ortus ab occidente, quantum cœlum à terra tantundem excedet novum testamentum vetus illud, & quemadmodum terra, cœlumque exhauriri nequit, ita nec testamentum Christi unquam deficiet. Ipse enim appromisit, & *Verbum Domini manet in æternum.*

Heb. 8. v. 6. & seq.

Ier. 13, v. 31.

Isa. 40, v. 8.

Hac infallibili assistentia S. Spiritus Ecclesia nixa subsistit, hac durante tanquam columna veritatis aut tanquam Marpesia cautes inter decumanos fluctus, ita ipsa inter hæresum machinamenta, persecutionesque in sua fide inconcussa subsistit: *Alium Paraclitum dabo vobis, &c.*

VII. In præsenti, quam agimus, festivitate Spiritum S. consedisse supra vertices Apostolorum legimus: *Seditque supra singulos eorum.* Cur quæso nunc residet, qui initio creaturæ ferebatur supra aquas? Cur sedet, qui alias duntaxat descendere visus est? Cur sedet, qui alias duntaxat apparuit? Respondet Oecumenius: *Super singulos sedet, stabilitatem, ac permanentiam significans; dictio enim sedit, idem significat, quod permansit.* Quando vulgo dicitur, bene is sedet, indicatur non levi, mollique brachio movendus; ita & Spiritus S. quando sedisse legitur, indicat se non recessurum. Ipse enim non solum perseverantiæ Author est, quæ donum est ejus; verùm etiam per hanc sessionem nos in hac tam necessaria constantiæ, ac fidelitatis virtute instruere voluit. Unde cum Dominus Paracletum hunc sponderet, in eodem tempore, illius perseverantiæ mentionem fecit: *Alium Paraclitum dabo vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Semper enim gratia illius in ipsis permansura erat, & ipse nunquam ab Ecclesia sua recessurus, nunquam aliam sponsam adamaturus. Quemadmodum naturæ Conditor, primusque motor, & causa prima, perpetua sua providentia rebus omnibus, quæ natura constant, præsens adest, eosque ad fines suos generali concursu suo incessanter dirigit; haud secus divinum Pneuma, quod est gratiæ, felicitatisque Author, in supernaturali mundo, hoc est in Ecclesia simili

Spiritus S. cur sedisse supra Apostolos dicitur.

In h. l.

Sessio perseverantiam indicat.

mili modo se gerit, piorum mentibus occulto, & invisibili illapsu sese insinuans, eosque supernaturali virtute, ad supernaturalem finem, per pietatis, & justitiæ opera adducens. *Alium Paracletum dabo vobis.*

§ II. APODOSIS.

Fidelitas sponsæ inculcatur.

VIII. Hic, hic sicubi alibi sponsus hic divinus inaudire concuperet illud Cantici Canticorum à dilecta modulis fusum: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ille mihi fidelis, verax, & constans, & ego illi; ille me ex sua parte nunquam deseret, nec ego unquam auxilio ipsius fulta ab amore illius avellar. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ejusmodi sponsas ille adamat, ornat, magnificat, coronat.

Cant. 2. v. 13

Spiritus S. cur cœlos ornare dicitur.

IX. Sapientiæ non minus oraculum, quàm patientiæ speculum Jobus inter alia opera divinitatis à se celebrata illud eructat: *Spiritus Domini ornavit cœlos.* Et quare non prata in quibus tanta ubertas, tanta florum copia, tantusque decor? Isaac certè de Jacobo filio suo differens, inque ipsius persona Christum præsignans, enuntiavit: *Ecce odor Filii mei, sicut odor agri pleni.* q.d. Tantopere fili mihi places, quantum campus longè latèque odorem, ubertatemque diffundens. Cur ergo Spiritus S. non ornat agros, sed cœlos, non fœcundos istos, sed hos steriles? Cœlum hoc anima justi est, cœlum hoc Ecclesia Dei vivi est. Hanc intuitur Angelus Apocalypticus *de cœlo descendentem, à Deo paratam, & tanquam sponsam ornatam viro suo,* Ipsa enim verè est sancta, non tantum in doctrina & capite, sed & in membris, ac moribus. Ipsa descendit de cœlo, utpote à Deo instituta. Descendit inquam ex sententia D. Augustini ad imaginem cœli, quasi cœlum esset, constructa; & ad similitudinem ipsius efformata. Ager vero est corpus nostrum, quod præscindi, arari, occaridebet, ut fructus ferat; vel etiam anima, quæ flores bonorum conceptuum, aut etiam virtutum gignit. Cur Spiritus S. cœlos illos ornat, agros despicit. Nempe agri, prataque modo florent, modò arent, ubi triticum, lilia, rosasque demiraberis brevi calamos leves, sentes, aspidesque conspicies. In vere, tepente cœlo, virent tempe nostra, instante hyeme squallent. At æther ut fulsit primum semper emicat, nec per brumam, nec per æstatem augetur luce. Istud igitur ornat, non illa, Pneuma sacratissimum quia magis sibi complacet in duris, duraturisque, quàm in animabus, ad orationem quidem pronis, lachrymisque calentibus, sed in ardore non diu permansuris. Quid Saulo sævius? Spirans nihilominus minarum, ac cædis in discipulos, ad Apostolatum vocatur. Num deerant in Ecclesia quibus pietas ad tantum suffragaretur fastigium? Num deerant in illis sanctissimis primitiis quibus erat cor unum, & anima una, pietate mites, humilitate demissi, contemplatione sublimes? Non utique. Cur ergo relictis ovibus lupus eligitur. Autumo, Paulus truculentus erat, sed cōstās subinde in amore futur⁹.

Isab. 26. v. 15.

Apoc. 21. v. 2

S. Aug. in in proem. de doct. Christ.

S. Paulicōstantia.

Excla-

Exclamaturus erat; *Quis nos separabit à charitate Christi? An tribulatio? An angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Hæc planè constantia Spiritum S. pellexit, quatenus Paulo illaberetur in via. Rejecta sunt prata virentia, & cœlum electum est, sterile illud quidem, sed ornamentum tenax. Plerique orabant, & Paulus sæviebat. Ita est, sed illi non erant staturi in virore cum Boreas perflasset, hic exultaturus erat in ipsis vinculis.

Rom. 8. v. 35. 36.

Rursus agri virescunt, & prata florent, sed non sine laboriosa cultura. Arari, perfodi, sarri, rigari, stercorari, nunquam non excoli debent. Cœlum verò citra culturæ adminiculum, flores lucis, quos semel protulit, nunquam non profert. Plerique alii agrorum in morem vernant. sed si Numen nectareis non irriget lachrymulis, si non quotidie tepore consolationum recreet, illico orare desinunt, aras deserunt, ad alia captanda solatia se convertunt. Hi plantæ sunt autumnales, & horti specioli quidem, si ver arrideat, sed aridi si bruma desolationum desæviat. Alii autem cum Paulo, quando aporiantur, non deficiunt, factique in agonia prolixius cum Christo orant. His non absimile cœlum est, unde idem splend semper emanat; & hos cœlos spiritus Domini exornat, & adamat.

X. Cœli instar visa est illa mulier, quam suspexit S. Joannes stellis coronatam, Phœbo vestitam, Cynthiamque pedibus prementem. Cœli instar & illa Regina quæ *adstitit à dextris sponsi in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Non tamen hæc coronæ fulgura, gemmarumque lumina attonitum reddidere. Noverat siquidem coronas liquefieri, vestes colorem deperdere facili posse negotio. Noverat gemmas ipsas, quamvis natura sua durissimas nescio quo pacto in adulterinos degenerare lapides, frangi facillimos. Quid ergo obstupuit? Indicavit quando subtexuit: *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus in fimbris aureis.* Avertit illico oculos Psaltes ab exteriore ornatu, & ad interiorem mentem, ad fimbrias oculos deflexit. Quid istud? Explicat S. Gregorius: *Fimbriæ finales partes vestimenti sunt, quæ idcirco in sponsæ Christi dedecore laudantur; quia nulla est virtutum gloria, si lucere ante vitæ consummationem desistat.* Levidensa rustica vilius est quodvis paludamentum regium, nisi aurum atque ornamenta ostentet in fimbriis. Ardores illi qui relucent in vultu exteriore, in actionibus, aut virtutibus aliis non soles sed favillæ, sed scintillæ sunt; quæ non tantum imbribus extinguuntur adversitatum. sed in tenebras ipsas mutantur, si in fimbriis, id est extremitatibus non compareant. *Nulla est virtutum gloria, si lucere desistat.* Ideoque à sponso divinissimo non respiciuntur, nec perficiuntur, nec coronantur.

Constantia suspicitur à sponso.

Ibid.

S. Greg. l. 6. cap. in lib. Reg. t. 25.

Asbestis virtus.

XI. Magnus naturæ secretioris indagator Plinius tantis verborum phaleris Asbesti lapidis constantiam famæ, & admirationi proposuit, quod succensus igne semel impositorum nullo possit extingui Oceano. Unde Poeta cecinit:

Qui semel accensus susceptos detinet ignes
Extinguique nequit.

Perseverantia.

Huic lapidi persimiles esse oportet, quotquot tanquam lapidi vivi superædificantur in cœlesti Jerusalem, posteaquam semel ignem conceperunt, ut nunquam extinguantur; & quocunq; vento insurgente, quacunque persecutione invalescente ardere pergant, cumque Apostolo eructent: *Quis nos separabit à charitate Christi tribulatio? an angustia?* Pone gladios, funde maria, explica ignes & mille discrimina rerum, per omnia perget amor, citiusque mallet emori, quàm non ardere.

Inconstantia noxia.

XII Etenim si à constantia, fidelitateque sua, sponsa recesserit, si ignem nutrire desierit, jam non est apta amplexibus cœlestis Sponsi, immò jam non est apta regno Dei. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* Usque adeo inconstantes invisi sunt spiritui divino, ut non solum, qui ab aratro resilit, laboris tœdio repudietur; sed is quoque qui licet stivam non ponat, oculos tamen retorquet, ut quæ sunt retrò aspiciat. Et sanè Lothi uxor Sodomas non repetiit, nec recessit à via, sed ad montem festinabat; verùm quia dum pergeret gressu, oculis subtristit, obriguit in statuam. Ut discat unusquisque non solũ relapsũ, sed vel inconstantiæ umbram, apud Deum capitalem esse, & Spiritui S. exosam. Hujus sponsa quæcunque individua esse gestat, vel umbram infidelitatis, inconstantiæque expalleat, & fidelis subsistat.

Luc. 9. v. 62.

Lothi uxor.

XIII. Constantia Sforția Ducissa suum candorem, fidelitatemque inter conjugales curas testatura Cygnum aquis innatantem, & desuper tres vespertiliones suo volatu quasi tenebras offundere minitantes pro symbolo assumpsit, cum inscriptione: *Candor illæsus.*

Typhus.

Sinceritas.

Anna verò Regina Ungariæ & Bohemiæ Ferdinandi I. Imperatoris uxor manus connexas cum rosa pro symbolo amoris habuit, adjecto lemmate: *Sic in perpetuum.* q. d. Manum quam tibi consorti Domino meo injicio, dum vivam, nunquam retraham. *Sic in perpetuum.* Amorem, fidelitatemque, quam nunc juro, Deo adnitente dum vita superstes fuerit conservabo. *Sic in perpetuum.*

Idem.

Hoc symbolo, & re ipsa excellere debet, quisquis Spiritui S. jungitur. *Sic in perpetuum.* Manum quam semel ad aratrum misit nunquam retrahat; candorem quo semel per gratiam effulgere cœpit, nunquam in fuliginem commutet, sitque fidelis, ac constans usque ad mortem: *Sic in perpetuum.* Quisquis sincerè amat, is una dilectum fortissimè hamat, nec nominandum est amoris jugum, nisi juge fuerit.

XIV. At heu, quoties Prothei, quoties perfidi invenimur, quoties respi-

ci-

cimus, & ex cygnis in corvos refingimur! Utinam, utinam ſacratiſſimus ſponſus noſter opprobrium illud ad nos detorquere nequiret, quo olim ingratam, adulteramque ferit ſynagogam apud Jeremiam Vatem: *A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea; & dixiſti non ſerviam. In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix.* Toties enim rumpimus fœdus, toties adulteri evadimus, quoties per peccati libidinem Sathanæ corrivali adhæremus. Omne peccatum fornicatio quæpiam eſt, qua impius in unum quadantenus corpus cum diabolo coaleſcit, atque à Deo divortium facit.

Ier. 2. v. 20.

Hac in parte ſi forſitan ſua quempiam redarguat conſcientia, audiat eundem divinum ſponſum, tametſi repudiatum etiamnum ad ſuos amplexus ſolicitantem: *Vulgo dicitur: ſi dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; numquid revertetur ad eam ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* Audiat hæc inquam, & niſi prorſus perfrictæ frontis, atque animi ſit, amatoriis hisce vocibus provocata ab adultero ſe avellat, & primo ſponſo ſuo Spiritui S. contrita, ac ſupplex accidat.

Ier. 3. v. 1.

XV. Feriæ olim ſolemnes habebantur apud Athenienſes, quibus amicis convenire ſanctum fuerat, atque mutuam vel redintegrare, vel in novam conjurare amicitiam. Habuiſſe hoc, vel ſicut alia pleraque comminiſci poterat ſuperſtitioſa gentilitas, ſicque imaginaria lætari felicitate. Nobis etſi aliæ feriæ indictæ ſint, ad Numen reconciliandum tum iſtæ imprimis amatoriæ ſunt, & ſponſo amorum dedicatæ. Æmulemur in hiſce non tam Athenienſes, quam ſanctiſſimos quosque, & coronidem illis per juratam fidelitatem, conſtantiamque imponamus. Aderit procul dubio votis noſtris idem divinus amator, ſi modo fortiter exturbaverimus malignum. Aderit ſi modo ſincere eidem adhærere propoſuerimus. Aderit ſi debitis amoris officiis eidem reſpondere contenderimus. Fiat id Numine tuo ô ſponſe diviniſme. Amen.

Tympius.

CONCIO XXX.

IN DOMINICA I. POST PENTECOST.

SEV

SACRATISSIMÆ TRINITATIS.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Matt. 28.

ARGUMENTUM.

Patria SS. Triados.

I. VNa, eademque palmaris superstitiosæ Gentilitatis cœcitas extitit, ut ignorarent quod colerent; adorarent, quod nescirent. A. Perstrinxit hanc superstitionem assertor noster in Samaritana illa suam jactante religionrm & collem Samariæ Sionis jugo præferentem, dicens: *Vos adoratis, quod nescitis.* q.d. O te simplicem fœminam, & rerum divinarum ignaram! Vos ariolamini Deum esse affixum loco, & eapropter nonnisi in vertice hoc litatis; perinde acsi destitutus esset auribus ad audiendum alibi; aut oculis ad videndum; aut potestate ad opitulandum; quum tamen cœlum, & terram impleat, & cœli cœlorum eum capere nequeant. *Vos adoratis quod nescitis, nos autem adoramus, quod scimus.* Castigavit eandem in Areopagitis Doctor gentium, cùm ex fortuito visa in pegmate exarata epigraphe: *Ignoto Deo*; in eos invectus est: *Viri Athenienses per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo.* Viri incliti, viri excelsi animadverto vos non tam vera religione, quam exotica superstitione imbutos. Neque enim notis duntaxat, sed & ignotis Numinibus poplites submittitis, vota nuncupatis, thuraque succenditis. Nemo autem

Act. 17. v. 22, 23.

tem prudenter colit, cujus Divinitatem nec fide, nec argumento alio assequitur. Eam ob rem huc veni, quatenus superstitionem vestram in veram commutem religionem, ut pro Diis falsis agnoscatis Deum verum, ut pro multis colatis unum; pro incognitis certum, & notum adoretis.

Verum enimvero, si illi censoria digni virgula, quod in tenebris hallucinati sunt ambulantes, aut umbris pro veritate hostias litaverint, profectò innoxii non erunt, qui in luce Evangelii non adorant, quod noverunt, & crediderunt. Ut illorum culpam ignorantia quadantenus extenuat; ita horum ignaviam vel ipsa notitia exaggerat.

Jam verò cui amabo nostrum SS. Triados mysterium ignotum est? Quis non credit in Patrem universi conditorem, in Filium assertorem, in Spiritum S. Paracletum? Quis ignorat Deum unum in natura, & trinum in Personis, summum, atque interminum bonum esse, ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia? Et tamen forsitan rarus est, qui ad eam explicitè colendam singulari studio, ac amore feratur, ipsam corde complectatur, ore laudet, opere ipso concelebret. Ne itaque deinceps rei hac in parte inveniamur, stimulis quibusdam perurgere contendam, idque ad majorem ejusdem sanctissimæ, ac individuæ Trinitatis gloriam, ac intensioris in eam pietatis incrementum.

Rom. 11 v. 36.

§ I.

Primum motivum colendæ SS. Trinitatis est creatio.

II. Nullum hic ego pium cultum anathematizare intendo; quin immo & laudo, & commendatum haberi cupio tam cultum supernorum indigetum, & imprimis ferventissimam erga magnam Dei Matrem, Dominam nostram clementissimam pietatem, quàm omnem alium, quo suprema illa Majestas vel in se, vel in suis extollitur.

SS. Trinitatis cultus commendatus

Expressam tamen inter alia pietatis opera SS. Trinitatis venerationem ipsa imprimis ejus imago, in quam conditi sumus, omni jure à nobis efflagitat. Conditurus enim hominem, non ab alio quopiam rerum creaturam, aut possibilium specie, aut genere ideam illius mutuatus est; sed à semetipsa desumpsit; dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Faciamus illum non ad normam aliorum animalium faucibus terram versus depressis, sed ad imaginem nostram non brutum, sed ratione insignitum, non mortalem, sed & immortalem. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* In quæ verba S. Augustinus: *Nostram dixit, quia conditus est ad imaginem Trinitatis, ut imago Trinitatis, esset homo.* Et certè tam vivis eam lineamentis nobis inaravit, ut cum in creaturis cæteris vix tenue extet Divinitatis vestigium, in homine illustrissimè resplendeat. Trinitas illa est in unitate naturæ, & homo in una anima tribus nobilitatus præsentiis. Deus Pater per intellectum cognoscendo sese, ac possibilia omnia

Homo imago S. Triados. Gen. 1, v. 26

S. Aug. de Gen. ad lit.

producit Verbum, puta Filium, & eum amando producit Spiritum S. haud secus homo intelligendo v. g. sese producit in mente sua verbum intelligibile atque inde in voluntate resultat ejusdem amor. Deus totus est in mundo, & totus in quavis mundi parte; & anima hominis tota in toto corpore, seu microcosmo, & tota in quavis illius parte. Ille omnia in eminenti in se continet, & hic habet esse cum elementis, vivere cum plantis, sentire cum animantibus, intelligere cum Angelis; sicque rerum omnium tam corporalium, quàm spiritualium gradus in excellenti in se complecticur. Quippe ad imaginem Dei factus est homo, ut mundi increati foret icon quæpiam, & ejus infinitæ artis, ac sapientiæ testimonium. *Faciamus ad imaginem*, &c.

Homo conditus in gloriam SS. Trinitatis.

III. Quid autem hoc pacto intendebat Plastes divinissimus? Cur homini cœlestis hic Phidias naturæ suæ insculpsit imaginem? Cur conditus perhibetur homo ad similitudinem Trinitatis? Non cogam hic concilium SS. Patrum, rationes divini indagaturus consilii; vosmet ego consulo, vestrum judicium efflagito. Dicite quisquamne affabre, sciteque elaboravit opus quodpiam, quin famæ suæ, gloriæque aucupium vel apud Deum vel apud homines præfixum habuerit? Sanè Phidias sculptoriæ artis Patriarcha inclitus, nomen suum clipeo Minervæ eo insculpsit artificio, ut nonnisi eo confracto eradi, obliterarique potuerit. Vos itidem quoniam collimatis in vestris imaginibus, & umbris? Quis illas vel in mnemosynon, vel in monumentum non proposuit. Quo fine hanc B. Virginis, hanc augustissimæ Trinitatis iconem in hac basilea erexistis? An non in cultum, ac venerationem publicam? Quod si itaque opificum quivis in suo opere intendit memoriam sui, famam suam, honorem suum; si icon quævis & ipsiusmet adorandæ Trinitatis à vobis propalam in cultum Latreuticum proponitur, quisquamne sibi imaginabitur, alio intuitu imaginem suam nobis insculpsisse Numen, quàm in gloriam, & laudem suam?

IV. Sed quid vestram sententiam innumeris obnoxiam erroribus inquiro; altius mentem attollo, ex ipso Tripode, seu verius oraculo scisciror, in quemnam finem homo conditus? Et audio: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Quemadmodum ipse est origo omnium, ita & finis; in laudem & gloriam ipsius cuncta sunt condita. Opifex horologii magno ingenio, & solertia opus suum elaborat, adaptat rotulas, dentes, pondera, retinacula concinnat; idque in eum finem ut cymbalum resonet. Ad eundem modum cœlum & terra, quæque eorum ambitu continentur, perinde ac horologium quodpiam mira varietate, sapientia, potentia perfecta sunt, quatenus tandem resonaret cymbalum linguæ humanæ, & opificis gloriam evulgaret. *Omnia propter se*, &c. *Pr. 16. v. 4.*

Ex quo si argumentor: si tota S. Trinitas ad opificium hominis concurrit, eundemque ad imaginem, ideamque suam condidit, quid obsecro consectaneum est, præterquam ut hic eam expressè laudet, reipsa eam præsentet, omnibusque præferat? Quid reliquum? quàm ut ostendat quivis se con-

conditum in gloriam ipsius, intellectu ac fide eandem cognoscat; lingua cognitionis interprete illius adorandam majestatem enarret, voluntate complectatur. Quid consequens? quàm ut actiones nostræ à SS. Trinitatis invocatione inchoentur, & in eam reflectantur; quemadmodum Filius à Patre procedit, & in eundem se reflectit per amorem, qui est Spiritus S. Quid consequens? quàm ut per gratitudinis, cultusque reciprocationem in eam revertamur, prout ipsa est pelagus bonorum omnium, ex quo universa redundant. Id sanè & jus creationis, & imaginis conditio exigit, & debitum nostrum exposcit; cui perfidè contravenimus, si eandem nec colimus, nec invocamus. Itaque ex hoc capire singulariter nos eidem affectos par esset.

§ II.

Motivum alterum renovatio hominis.

V. At gravius solidiusque colendæ SS. Trinitatis fundamentum est, quod conspurcata fœdissimè hac per peccati turpitudinem imagine, & memoria per oblivionem, intellectu per cœcitatem, voluntate per debilitatem violatis, idem cœlestis Timantes eam rursus vivis suis coloribus instaurare sit aggressus. *Ite*, inquit, *in orbem terrarum, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Tria nomina audis*, scribit augustissimus Pater, *sed quomodo unum dicitur nomen? Non enim dixit in nominib⁹, sed in nomine? Tria nomina dicit, & quomodo unum ponit? Requiris à me quomodo uno nomine tres appellentur? Nescio & libere me nescire profiteor, quid Christus voluit indicare; hoc solum scio, in hoc Christianus sum, qui unum Deum in Trinitate confiteor.* Non in nominibus, ait, quia in unitate Deitatis, Personæ non distinguuntur, sed in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. ut sola Personarum distinctio signaretur.

Matt. 16.

S. Aug. s. in festo S. Trinitatis.

Hic percontor rursum an non sufficeret dixisse in nomine Patris solius, aut in nomine cujusvis alterius Personæ, ut expiaremur? Profectò ita, si Domino placuisset, sicque ab eo institutum fuisset. Et tamen disposuit, ut ea expiatio non nisi ab expressa SS. Trinitatis invocatione eveniret; ita ut si vel unius nomen reticeretur, totum baptisma otiosum imò & sacrilegum evaderet. Quorsum obsecro istud? An ut hoc pacto ostenderet Baptismum vim suam habere à Patre æterno mittente se ad nostram redemptionem, ex sanguine suo eundem fertilem reddente, ex Spiritus S. gratia intus vivificante? An solum id eo consilio factum ut sciremus eundem esse Generationis, ac Regenerationis authorem, nempe Patrem, Filium, & Spiritum S. An verò potius ut profiteremur nos toti adorandæ Trinitati initiatos, devinctosque?

Baptismus cur conferatur in nomine SS. Trinitatis.

VI. Æmulatio haud mediocris inter Corinthios extitit colentes, ac præferentes Baptistas suos, cujus me-

meminit ipse Apostolus in prima sua ad Corinthios his verbis: *Significatum est mihi de vobis fratres mei, quia contentiones sunt inter vos.* Qualesnam illæ? *Quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ.* Quoniam hic à S. Paulo sacro latice tinctus erat, idcirco se sectatorem illius, cultoremque gloriabatur. Quod autem alter hanc gratiam à S. Petro, & tertius ab alio retulisset, ea propter hunc potius, quam alium celebrabat. Sic contentio serpebat, & ad schisma populum illum novellum concitabat. Si itaque & nos in nomine Patris, aut Filii solius, aut Spiritus S. ablueremur, forsitan & nos quidpiam humanum pateremur, & ut quondam Corinthii Apostolis magis, minusve; sic nos personis divinis diversimode afficeremur, unam alteri anteponentes. Quid fecit sapientia æterna? Omnes tres personas advocat, quatenus in nomine omnium instituatur renovatio, & toti SS. Triadi simus mancipati.

1. Cor. 1. v. 11-12.

VII. More olim receptum erat, ut mancipiis stigmata, suorum Dominorum stemmata præferentia inurerentur, ad dignoscendum cujus essent, & cui ancillarentur. Nobis altiore digito in eodem sacro latice character indelebilis imprimitur, ut ex eo servi unius Dei, ac Trini ab omnibus dignoscamur. Est enim Doctore Nazianzeno Baptismus, quod olim circumcisio sigillum videlicet; quia per eum consignati *cujusnam Domini sumus cognoscimur.* Apud Judæos signum erat circumcisio, quod colerent Deum unum, ac verum in natura; nunc character hominis Christiani est, quo distinguitur non solum à Gentibus, sed ab ipsis Judæis, quod colat SS. Trinitatem. Etenim ut S. Basilius docet: *SS. Trinitatis mysterium, Christianum, & nostræ religionis maxime propriũ dogma est, per quod distinguitur à gentilibus, & Iudæis, cum hi unum Deum agnoscant in persona unica, illi plures deos ementitos in personis & natura.* Distinguimur inquam, ut dogmate ita charactere, nequidẽ ininferni clibano delebili, quo profitemur nos, contestemurque servos, ac mancipia SS. Trinitatis. Ergo si servus quispiam emptitius, si stigmaticum mancipium, si is qui Domino suo quoquo modo authoratus est, illius honori, ac commodo velificare obstringitur, multo amplius homo Christianus Deo ac Domino suo obstrictus manet, cujus stigma inaratum cricumfert.

Baptismi Character.

Greg. Naz. Or. de Bapt.

S. Basil.

VIII. Insuper obligamur fide explicita credere Deum unum in essentia & Trinum in personis, Patrem nimirum ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum S. ab utroque procedentem. Et quorsum istud? Cur nequit apud nos esse vera, perfectaque Divinitatis professio, etsi non credatur in eadem distinctio? Cur non minus de necessitate salutis, ac medii est, unitatem in Divinitate, quam Trinitatem in Personis profiteri? Num ut fidem otiosam, tanquam gladium in vagina reconditum servemus, nec unquam eo ad pompam sæculi rescindendam, ad dæmonem profligandum, ad gloriam ejusdem adorandæ Trinitati; promovendam utamur? At redarguit hanc opinionem Jacobus Apostolus, dicens:

cens: *Quid proderit fratres mei, si fidem*
Jac. 2. v. 14. *aliquis habeat, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare illum*, Quid prodest cujuspiam artis præceptorem habere, si præceptis ejus non obtemperes? Quid juvat Medicum consulere, si medicamentis ab eo præscriptis utare? Quid attinet difficilis viæ ducem inquirere, si ducatum illius non sequare? Num ut speculemur profundius hoc mysterium, ea propter jubemur explicitè credere in personis proprietatem, in essentia unitatem? At
Pr. 25. v. 27. scimus, quod ait Sapiens: *Scrutator Majestatis opprimetur à gloria.* Non intelligere, aut rimari mysterium illud absconditum jubemur, sed credere & venerari. Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est. Incomprehensibilis enim Sapientia, altissimaque Majestas intra angustias humanæ rationis coarctari nequit, quæ nonnisi per transennam speculatur divina. Laxius & liberalius cor illa pollet diligere, quam mens intelligere. Consuetudo enim opacorum corporum est, prius calere, quàm lucere. Si ergo nec ardeamus, quomodo lucere poterimus? si nullam rationem divinorum habemus, quomodo rationem divinorum scrutabimur?

Quorsum itaque obstringimur mysterium illud explicite credere? Ut nimirum per fidem promoveamur ad spem, per spem ad charitatem ejusdem individuæ Trinitatis. Ut nimirum qua fide cognoscimus Patrem æternum nos adoptasse in filios, eadem in spem adeundæ hæreditatis erigamur; qua fide credimus Filium lytro sui nos cruoris præstinasse; eadem veram libertatem nobis conferendam præconcipiamus; ut qua fide Spiritum S. Paracletum, ac sanctificatorem profitemur, eadem nobis datorem spondeamus; & ex virtute spei tandem ad amorem, cultumque ejusdem sacratissimæ, ac individuæ Trinitatis provehamur. Hæc certè coronis institutionis Baptismi est, hic finis renovationis nostræ.

§. III.

Medium tertium Reconciliatio.

IX. Jam verò denigrata rursum super carbones hac imagine, eadem rursus pœnitentiæ pennicillo reformatur. Qua ratione? Non alia, quàm SS. Trinitatis interventu. *Trinitas est*, ait D. Ambrosius, *quæ peccata dimittit.* Et S. Ephrem: *Gratia Trinitatis remissionem ex nimia sua benignitate præbet.*
S. Ambr. S. Ephr

X. Io confirmationem istius accipio Prophetiam Jonæ elucidandam. Hic Ninivitis evoluto quadraginta dierum spatio, nisi virtute pœnitentiæ crimina sua expiassent, extremam minatus est ruinam. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Septuaginta
Jona. 3. v. 4. quos sequitur S. Ephrem. legunt: *Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur.* Magna hujus translationis disparitas à quatuor ad tres descendentis. Eam tamen propugnandam assumpsit S. Ephrem, docuitque per triduum pœnitentiæ tempus in lege, & Evangelio determinatum, præfixum esse, quo Numen iratum placari queat: *Tres*, inquit, *dies Lex, & Evangelium peccatoribus ad pœnitentiam prædicat.*

Verum hæc solutio videtur non tam relaxare, quam constringere nodum difficultatis. Numquid enim actum continuò de peccatore erit, si triduum in peccatis perseveret, & non resipiscat? Numquid non promissa est gratia peccatoribus, quacunque hora, vel momento ingemiscentibus. Numquid quadrante solo satis non est cœlo lucrando, diluendisque noxis? Numquid non unico suspirio possumus cum Latrone neglecta redimere brevique compendio beatam mercati æternitatem? Si *impius egerit pœnitentiam* (ait apud Ezechielem Dominus) *ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodiverit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam vita vivet, & non morietur.* Nulla dies, nulla hora certa præscribitur peccatori, quomodo igitur ex mente hujus S. Patris triduum præfigitur, aut qua ratio ea interpretatio legi, aut Evangelio consonat?

Ezech.18. v.21.

Reponit præfatus Pater, se per dies tres non accipere dies solares, sed potius legem gratiæ, & concursum SS. Trinitatis; citra cujus opem, ac gratiam, peccator converti, conteri, indulgentiam peccatorum obtinere neutiquam valeat. *Tres*, inquit, *dies ex præscripto conceduntur pœnitentibus, quoniam per consubstantialem Trinitatem humanitas mortis reatum exuit.* Hæc nobis elargitur vires ad passiones edomandas, hæc clementia, ac bonitate sua peccata dimittit, hæc dono gratiæ justificantis hominem in filium adoptat. Quocirca LXX. Interpretes numerum quadraginta dierum constrinxerunt ad triduum, quò ostenderent neminem posse resurgere à morte peccati ad vitam, citra gratiam SS. Trinitatis.

XI. Figuram hujus alteram deducit Ireneus ex jubilæo illo solemni Rahab prostitutæ concesso, per Josue, Assertoris nostri umbram referente. *Sit*, inquit ille, *civitas hæc* (Jericho) *anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino. Sola Rahab meretrix vivat, cum omnibus, quæ in ea domo sunt.* Erant in illa civitate tot millia virorum, ac mulierum juvenum, ac senum; servorum, & ancillarum; nulli parcitur præterquam scorto huic; aut qui in domum ipsius, perinde ac ad asylum se receperat; cæteri omnes ad internecionem delentur, aut ferro, aut igne. Quid hoc mysterii? aut unde tanta gratia meretrici? An ob id solum, quod speculatores Hebræos tutata est: *Abscondit enim nuntios quos direxerat.* Vix credo sufficiens id fuisse motivum, ad conferendum tantum privilegium scorto vilissimo. Quid ergo? D. Irenæus respondet non illam duntaxat extitisse causam, sed quod in iis speculatoribus exceperit, & per fidem edocta, absconderit Patrem, & Filium, & Spiritum S. Credidit enim nuntiis de lege differentibus, & eapropter à morte erepta. Unde quantumvis antehac gentilis extiterit, & fornicaria; tamen quia SS. Trinitatem in corde habuit veniam meruit, & resipuit. Sic enim ille: *Suscepit speculatores, qui speculantur universam terram, & apud se abscondit Patrem, & Filium, & Spiritum S. & cum universa civitas in qua habitabat, concidisset in ruinam Rahab fornicaria servata est*: nimirum SS. Trinitatis gratia expiata est, defensa, & salvata. *Gratia enim Trinitatis*, ut dixi, *remissionem ex nimia sua benignitate*

Josue 6. v. 17.

Ibid.

Iren. lib. 4. adv. hær. c. 37.

præ-

præbet. Verè magnam, ac nimiam, quia cum peccatorem millies fulminare posſit; eum nihilominus infinita misericordia ſua ſuſcipit, ac complectitur.

Quod ſi itaque ex inferioribus, levioribusque corporis vinculis exemptos, nos gratos, memoresque aſſertoribus eſſe addecet; quantò amplius Deo, ac Domino noſtro infernalibus ſoluti cataſtis? Si mortales Mæcenates colimus; immortalibus non deferemus? Si illis omnia noſtra conſecramus ſtudia, an non juſtius omni affectu, ac devotione SS. Triadem, à quo tanta in nos bona redundant proſequi par erit? Exaggeratio enim beneficii exauget obligationem debiti: quantoque inſignius illud eſt, tanto & incrementum iſtius gravius.

§ IV.

Motivum quartum Eccleſia militans.

Eccleſia cultrix SS. Trinitatis.

XII. Præluxit nobis hac in parte tota prope Antiquitas, quæ pro nullo fidei articulo ſtetit conſtantius; in nullo tuendo deſudavit laborioſius; in nullo propagando egit ferventius; quàm ut hoc SS. myſterium clarius innoteſceret, firmiusque ſubſiſteret. Hoc illa omnibus ſuis actionibus præfixit; Trinitatem illa vulgari illa formula in omnibus auſpiciis invocavit: Das walt Gott der Vatter/ und der Sohn/ und der H. Geiſt. Trinitatem illa ſemper in ore habuit, ſemper in corde fovit.

S. Agnes devotio ad SS. Triadem. Lipelloo 20. Aug.

XIII. Hanc ut ſingulari ſtudio coleret B. Agnes de Monte Politiano edocta eſt ab ipſa B. Virgine, quando oblatis eidem tribus lapillis exoticis monuit: Ut quævis illius ædificatio conſtantiſſimæ fidei individuæ Trinitatis fundamento niteretur. Ut, inquam, nihil unquam auſpicaretur, quod SS. Triadi non conſecraret; nihil perficeret, quod in ejusdem cultum non referret, nihil omnino cogitaret, aut diceret; quod eodem quaſi ſigillo non obſignaret.

S. Clara devotio ad S. Trinitatem

XIV. Eandem imprimis deveneratam eſſe S. Claram de Monte Falco patuit ex corde ipſius, anatomiæ arte exempto, & patefacto. Quum enim medium ſciſſum fuiſſet, in eo tres globuli reperti qui hodie quoque manent & viſuntur; quorum ea conditio eſt, ut duo tantumdem habeant ponderis, quantum tres; & unus etiam nihil minus, quàm tres ponderant. Hæc ſubdit Granatenſis oculati teſtes, iique graviſſimi viri non ſine magna admiratione viderunt, & pro concione etiam populo expoſuerunt, quò fideles & præſentibus miraculis in fide confirmarentur, & Sacroſancta Trinitas pro merito collaudaretur.

Lud. Gran. Con. 2. de Feſto.

Franc. Foliani devotio erga S. Trinitatem. Biblioth. ſcript. ſ. l.

XV. Ad ſtuporem verò excelluit hac in parte P. Franciſcus Folianus Soc. noſtræ, vir notiſſimæ ſanctitatis, qui SS. Triadem in omni oratione frequentiſſimè, ſuaviſſimèque compellabat, idque non niſi aperto ſemper capite. Multa de ea commentatus eſt, ſed ita ut nunquam nomen illius, niſi de genibus ſcriberet, & quidem literis grandioribus elegantique charactere. Inhabitabat Romæ cubiculum triangulare, tribus aſſeribus pro ſtrato utebatur, in menſa fuscinulam cultrum, & cochlear in formam triquetram diſponebat; panem ter cruce ſignabat, tria ex illo fruſta ſcindebat,

nunquam pluribus, quàm tribus ferculis vescebatur. Omnia denique in gloriam unius, ac Trini Numinis peragebat; ita ut subinde etiam exlecto corde ejusdem honorem, religionem, & amorem, relicta vestigia satis contestata fuerint.

Discamus ab his si membra ipsorum sumus, & esse volumus eandem devenerari, optemusque ac ingeminemus cũ Poeta: *Si mihi sint linguæ centum, sint oraque centum*, immo si solus haberem omnium hominum, atque Angelorum ora, ac linguas; illa omnia quotquot, quantaque essent, in SS. Triados doxologiam expromerem, ac effunderem.

§. V.

Motivum quintum, Ecclesia triumphans.

Cœlites provocant ad cultum S. Trinitatis.

XV. Discamus vel maximè ab Ecclesia triumphante, in qua unicum hoc festum agitur, unica non nisi Trinitas adoratur.

Isa. 6. v. 1. 2. 3.

Isaias Vates ad illius superni cœtus in extasi evocatus consortium: *Vidit Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*, ac Seraphinos inumbrata facie obvelatisque alis pedibus, stantes supra illud, & ingeminantes audiit: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum plena est omnis terra gloriæ ejus.*

S. Ambr. l. 2. de fide c. 4.

D. Ambrosius expendens hunc locum cultum SS. Triados ostensum, ac commendatum adstruit: *Cur trina* inquit, *repetitio nisi quia Pater, & Filius, & Spiritus S. sanctitate unum sunt. Non dixit semel ne Filium sequestraret, non bis ne Spiritum præteriret, non quater ne creaturas conjungeret.* Et ut ostenderet Trinitatis unam esse Deitatem, cùm tertiò dixisset, *Sanctus, sanctus, sanctus, addidit singulariter, Dominus Deus Sabaoth.*

S. Cyrill.

Concinit eidem Cyrillus in hæc verba: *Cum sanctus ter dicunt Seraphim, claudunt doxologiam in hoc, Dominus Deus Sabaoth, in una Deitatis natura sanctam constituentia Trinitatem.*

XVI. Idem omnino Trisagion se audivisse testatus est intimus Domini Amanuensis in eodem divorum collegio, à quatuor animalibus mysticis, non habentibus requiem die ac nocte & jugiter inclamantibus: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Sanctus Deus Pater, sanctus Deus Filius, sanctus Deus Spiritus S. *Sanctus* (ut vertit Chaldæus) *in cœlis excelsis, domo majestatis ejus; sanctus super terram quæ est opus potentiæ ipsius, sanctus in sæculum, & in sæcula sæculorum.*

Apoc. 4. v. 8

Chald.

XVII. Huic Trisagio Græci, & ex eis Latini addiderunt epitheta sequentia: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis miserere nobis.* Ita enim hymnus hic sub Theodosio juniore Anno Christi quadringentesimo quadragesimo sexto tempore terræ motus Constantinopoli revelatus est à Deo, ad extirpandam hæresim Eutychetis unam tantum naturam, uti personam in Christo hallucinantis. Nam puerulus parvus in aëra raptus ab Angelis eum edoctus, Proclo Archiepiscopo, aliisque enarravit; quatenus eandem

Damasc. tr. de Trisag. Niceph. l. 14 c. 46.

doxolo-

doxologiam concinendo Dei opem, ac misericordiam implorarent. Quod ut factum, illico pestis, & terræ motus desæviit.

XVIII. Hoc itaque est officium, hæc occupatio SS. Angelorum, & Electorum citra interstitiones ullas Numen optimum maximum collaudantium. Horum societatem si ambimus, (& quis est, qui non exambiat?) cum iisdem concinamus, & identidem Patrem, Filium, ac Spiritum S. collaudemus. *Sanctus, sanctus S. Dominus Deus Sabaoth.* Sanctus in cœlo, sanctus in terra, sanctus in gehenna, sanctus in gloria, sanctus in gratia, sanctus in justitia. Sanctus glorificans Angelos, sanctus justificans homines, sanctus excrucians dæmones. Sanctus ante sæcula, sanctus in sæculis, sanctus in æternitate. Sanctus in potentia, sanctus in sapientia, sanctus in providentia. Sanctus Pater in creatione mundi, sanctus Filius in redemptione, sanctus Spiritus S. in nostra beatificatione. Sanctus Pater à quo omnia; sanctus Filius per quem omnia, sanctus Spiritus S. in quo omnia. Sanctus, sanctus, sanctus Deus in omnibus, & super omnia benedictus.

Vel vulgatum illud à S. Ignatio Martyre identidem iteremus. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Gloria Patri qui creavit nos, gloria Filio, qui redemit nos, gloria Spiritui S. qui sanctificavit nos. Gloria Patri ingenito, gloria Filio unigenito, gloria Spiritui S. Paracleto. Gloria Patri cujus est potentia, gloria Filio, cujus est sapientia, gloria Spiritui S. cujus est beneficentia.

Vel minimùm ante actiones nostras mane imprimis surgendo, vesperi cubitum concedendo signum sacrosanctæ crucis fronti ac pectori imprimimus, SS. Triadem invocantes, & eodem contestantes, nos ad imaginem illius conditos, nos gratia ejusdem reformatos, nos eidem in tempore & in æternitate mancipatos. Amen.

CONCIO XXXI.

IN DOMINICA II. POST PENTECOST.

Cœperunt se singuli excusare. Luc. 14. v. 18.

ARGUMENTUM.

Invitatio ad Convivium.

I. MAgni æstimatum à plerisque mensæ Magnatum accubuisse, aut ad saliares dapes invitatum esse. A. Arrogantissimus, fastuosissimusque Dux Assueri Regis Aman posthabita magnitudine divitiarum suarum, filiorum corona, & gloria, id in cœteris deprædicat, quod ad convivium Reginæ cũ Rege invitatus fuerit. *Et posthæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium præter me.* Esther. 5. 12. Post hæc inquit, quasi his omnibus præfero dignationem Domiæ meæ sereniſſimæ, quod me epulatum unà cum Domino meo Rege vocaverit.

Miphiboseth itidem filius Jonathæ filii Regis, accersitus ad mensam Davidis affinis sui; stupore redundante ex eo honoris intuitu plenus, exclamavit: *Quis ego sum, quod respexeris super me canem mortuum; & pulicem unum.* 2 Reg. 9. q.d. Unde hic mihi honos? hæc benevolentia Domine mi Rex? Agnosco, & penso singularem favorem tuum in me, quò me indigniſſimum, abjectiſſimumque prosequeris, nec quod pro tanto munere, ac dignatione rependam, invenio. *Quis ego sum.*

Alii itidem magni ducunt vel abaco æqualium accumbere, & sympoſium celebrare.

Et tamen cum Rex Regum, & Dominus dominantium ad suum sollicitat convivium, ad sua gaudia invitat, prope omnes excusationis siparium prætexunt. *Cœperunt se singuli excusare.* Superi, quid est hoc? Tanti & Domini despuere preces, & tam lautum denauseare convivium? An id forsitan de

de perfidis potius Judæis, quàm de plerisque fidelibus intelligendum? Vel an alios nuntios præstolantur, ut veniant? Tentabo & legationem iterabo.

Partitio.

Ne forte exorbitem in hac functione mea præteritorum Legatorum insistam evangelicis vestigiis; ita ut primum conveniam Nobiles, tum opulentos, tum alios.

§ I.

Invitantur nobiles incassum ad Epulas Christi.

II. Magnifici, Prænobiles, Generosi Domini. Amicus vester optimus, addictissimusque, à quo omne bonum vestrum dependet; & ut liquidius eloquar Deus, & Dominus vester per me vos convenit, & humanissimè, amantissimèque ad exiguum obsequium, tum ad epulas solennissimas invitat, rogatque. Scitote quoniam jam parata & appositа sunt omnia, & sola vestra desideratur præsentia. Quæso enixè, ne moras nectaris, sed loti, atque expediti vos ocius accingatis. Si fortè quispiam vestrum tempus in alienis negotiis protraxerit, & venire tardaverit; noverit oppilandam januam, necullis precibus deinceps reserandam. Proinde erectus spe optima vestri adventus; peto, quæsoque an de eo certiorem reddere Dominum meum debeam? Quid respondetis?

III. *Villam emi, & vado videre illam; rogo te habe me excusatum.*

O Domine mi quid dicis, quid prætendis? Numquid alii villas non habuerunt & tamen venerunt? Numquid villas non habuit David Rex potentissimus? Numquid villæ, prædia, possessiones, deerant Ezechiæ, Josiæ, totque aliis Regibus & Monarchis? Nec destituuntur alii Principes vobis noti; & nihilominus gratissimam habuêre invitationem Domini mei, nulla interposita mora comparuere. Cur ergo tu detrectas?

IV. *Villam emi, & vado videre illam.*

Utinam emimus, videres hæc transitoria, & exadversum cominus superna; immensa ista, parva ac nulla illa tibi viderentur. Quemadmodum enim, qui elatissimi montis cacumen inhabitat, ea quæ in campis, & vallibus sunt minima reputat; adeo ut multa, quæ si in monte essent magna apparerent, eminus & in valle posita nec obtutu quidem suo assequatur: suppari ratione quisquis mundana tanquam in valle miseriæ, ac mutabilitatis posita conspexerit, minima, ac vilissima reputabit, si mentem in sublimi fixam tenuerit. *Terrena bona vana.*

Fingit Menyppus, Icari præsumptuosus imitator, alis à se architectatis ad orbem lunæ subvectum, & inde terrena respiciendo risisse hominum ignorantiam, de possessione agrorum gloriantium, pro regnorum imperio decertantium, & de auri, argentiq; copia superbientium, quũ tamen opimus ager nõ major quã unus Epicureus atomus, & regnũ non latius, quã lens Ægyptia, & locus auri, ac metallorũ ferax *Luciande Icaro & Menippo.*

velut

velut parvulum granum milii reputaretur. Quid ni & tu, & quisque alter villas tuas rideres, ac despueres minusque atomo judicares, si mentem non fictè, sed verò ad supernas possessiones, ac gaudia attolleres. Quid ergo istis affligeris, & ab illis elongaris?

V. *Villam emi, & vado videre illam.*

Si antea non vidisti priusquam licitareris, atque auctionareris, profectò desipis. Quis enim catum in sacco emit, aut adamantem nunquam oculo libatum?

Prudentia necessaria.

Dicitur de fœminis, quod longos crines nutriant, sed breve judicium. Ego autem ex tuo procedendi modo assequor illas multò te esse prudentiores. Etenim de iis in proverbiis sapientissimus, veracissimusque Salomon testatum reliquit: *Pr.31.v.16.* *Consideravit agrum & emit eum.* Prius lustravit omnia, priusquam præstinaret. Non vidit tantum, sed herbidam istam, quam sæpe ostentat mundus ubertatem prætergressa, fœcunditatem radicum penitus est rimata. Neque enim mundi rosas vidit tantùm, sed quæ inde nascuntur spinas consideravit. Purpuram commendavit, sed prodeuntes ex ea flammas conspicata fastidivit. O quot agrum seu voluptatis, seu gloriæ non emerent prodiga salutis suæ jactura, si erumpentem ex eo florem tam blandum oculis non explorarent, sed mente discuterent cras mittendum in clibanum. Tu verò prius numerasti pecuniam, quàm aut in fundi, aut ædificii notitiam venires. Quid stultius agere; aut præconcipere poteras? Ne itaque absurdius exorbites, meum sequere consilium, *Pr.4.25.* *palpebræ præcedant gressus tuos* in omnibus, quæ moliris, & quò te vocat humanitas Domini Dei tui, ne quæso moreris comparere.

VI. *Villam emi, & vado videre illam.*

O te terrenorum servum, quis terrarum Dominus splendida, sed vana appellatione nuncupari gestis. Solus is terram possidet, qui eam calcat, solus dominatur in terra, qui eam non in capite, sed sub pedibus gestat, teritque.

Audisti Apostolos *constitutos esse principes super omnem terram*; sed scito sceptrum non prius apprehendisse, quando relictis omnibus secuti sunt Dominum. *Ecce nos reliquimus omnia.* Eapropter primipili Christianæ fidei opes suas ad pedes Apostolorum proculcandas dejecêre; scientes, nec se Christum sequi posse illis gravatos; nec regnum cœleste possessuros, nisi per aurum calcatum, sibi gradum ad id effecissent.

VII *Villam emi, & vado videre illam.*

Si Christi servus esset, utiq; non tá augeres bona, quàm abdicares. Audires utiq; clamantem. *Vade, vende omnia quæ habes; & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Contendens intrare per angustã portam, quæ ducit ad cœlum; et si cameli instar oneratus iis esses, priusquam jure mortis convincaris, ultro tanquam pondus summè noxium deponeres. *Matt.19.21*

VIII. *Villam emi & vado videre illam.*

Per Deum prospice, ne tibi eveniat, quod illi prodigo filio, misso ad Villã, ut pasceret porcos, qui vixerat ut porc⁹ *& cupiebat reficiliquis ipsorum, & nemo illi dabat.* Dignissimum enim est, ut qui paternam nauseant mensam, ad mercenariorum, imò belluarum absur-

surdissimatũ amandentur. Æquissimũ, ut qui ambrosiam despuit, fame contabescat. Justissimum ut qui infernum versus nidulatur; inibi, & non in cœlestibus requiescat.

Villam emi & vado videre illã. Frustra hic tempus tero, ut video. Ad alios me converto. § II.

Invitãtur opulenti, nec admittunt.

IX. Vobis quoque viri opulentissimi salutem plurimam à domino meo fero, & significo gestire illum ex animo vos sibi in palatio suo habere commensales. In hunc finem struxit convivium pinguium, convivium medullatorum, & vindemiæ. In quo omnia affutura, quæ & oculos oblectent, & aures palcant, & appetitum expleant. Itaque missis aliis curis forensibus quæso ad vota Domini mei assurgite, & unà mecum ingredimini. Quid mussitatis? Quid tergum obvertitis?

X. *Iuga boum emi quinque & vado probare illa, rogo habe me excusatum.* Laboribus oneratus sum, quò me vertam, nescio, ignoscat Dominus, quò minus me sistam.

Divitiæ aggravant.

Bene habet mi amice, si justo pretio mercatus es. Fortunet æther labores tuos, & ad emolumenta optatissima provehat. Verùm num bobus pejus es, quin te ad modicum à laboribus recingas, quatenus convivio vaces? Illi indulgent exantlatis laboribus quieti, ac genio; tu bestialior bestiis, diu noctuque jugum trahere, molam versare non desistes? Illæ trahunt necessitate coactæ, & tu subibis incessanter propria voluntate? Modicum tibi indulge, erit tempus, quo probes, nunc Domino meo morem geras.

XI. *Iuga boum emi*, &c. *Quid juga emis*; & quidem *juga boum* (loquor cũ Patre mellitissimo) *cui jugum suave gratis offertur*; & quidem jugum hominis. Siquidem jugum Christi jugum Dei, & hominis. Nonne suavius est istud, quàm illud? Nonne pro illo mereris præmium vitæ sempiternæ, pro istostipendium gehennæ? Cur ergo jumenti jugum eligis, & despicis Christi? Cur tuo malo mercaris tibi illud, & detrectas istud? Cur illud vadis probare, & non istud? O si periclitareris hoc paululum, sentires, quàm suave sit, & quàm leve onus ejus, sentires jugum esse non tam laboris, quàm quietis. Veritas enim sempiterna est, quæ loquitur, & nec falli, nec fallere potest. *Tollite iugum meum super vos & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis, requiem animabus vestris.* Nunc fortè dum trahitur grave esse videtur, sed ubi depositum fuerit, senties quàm leve fuerit.

S. Bernard.

Iugum Christi leve.

Matth. 11. v. 29.

XII. *Iuga boum emi*, &c. An tu de Nabuchodonosoris stirpe es, ut malis fœnum cum bobus masticare, quàm cum hominibus & Angelis Dei vesci alimonia cœlesti? Hem quanta metamorphosis est ista, hominem tantopere degenerare à conditione sua, & cõparari jumentis insipientibus, eisque assimilatum esse; nec velle sapere ea, quæ Dei sunt.

XIII. *Iuga boum emi quinque & vado probare illa.* Ubinam quæso sunt illi boves tui? ubi labores tui? Pharao Rex putabat se stare supra fluvium, *de quo ascendebat septem boves pulchræ, & crassæ nimis.* Si ignoras qua de causa ex flumine emersisse dicantur, respondebit D.

Terrena fluxa.

Gen. 41. 18.

S. Amb. l. 2. offic. c. 6. Ambrosius: *Ideo ascendebant de flumine, quod dies, anni, & tempora fluminis prætereunt modo, & labuntur.* Temporales enim opes, ac fulgores, fulguris in morem pertranseunt, & dum affluunt, effluunt. Quod in iisdem illis bobus videre est. Vix enim obverterat vultum suum partem in aliam, cum aliæ quoque septem emergerent de eodem flumine, eæque fædæ, ac confectæ macie, decoquentque priores. *Has sequebantur aliæ septem boves in tantum deformes* Gen. 41. 19. *& macilentæ, ut nunquam tales in terra Ægypti viderim, quæ devoratis, ac consumptis prioribus nullum saturitatis dedere vestigium.* Ex qua visione S. Gregorius infert; idem esse in hoc mundo, atque in æquore niti: S. Greg. *Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere est, in rebus labentibus sui fiduciam collocare.* Perinde enim ille, ac iste fluit, & ut in flumine unda undam, ita in mundo dies diem protrudit, quoad in portum æternitatis idque pernici cursu illabatur. Ergo potius mitte hæc juga, & jugum Christi assumito.

XIV. *Iuga boum emi quinque, & vado probare illa.* Vide ne si nimium boves tuos secutus fueris, ne bobus (auff der Ochsen-Post) ad cœlum pervenias, vel maturius bellicæ, utpote te præcedentes illud occupent. Non frustra inclamat Isaias: Isa. 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Væ vobis, qui juga jugis conjungitis, quatenus eò gravius trahatis. Væ vobis quia si unum jugum difficile trahitur, quomodo quinque imo quinquaginta, aut quinquagena protrahetis?

XV. *Iuga boum emi quinque.* Profecto majorem curam geris tuorum boum, quàm animæ tuæ. *Salutis incuria.* *Nam cujus vestrum bos, aut asinus in puteum cadit, & non continuo extrahit illum.* Luc. 14. 5. At eheu quoties cadit anima, quoties jacet dejecta, immensa sordibus peccati, & rides, & cachinnaris. De bobus indies solicitaris, num pastu suo refecti; at num anima alimonia sua saginata nec quicquam pensi habes. Illos frequenter in colloquium adducis. Quippe.

Navita de ventis de bobus narrat arator.

Ut autem mentio aliqua fiat animæ, ad imaginem Dei conditæ, ut consulatur, ut crescat, & impinguetur, altum semper servatur silentium.

XVI. *Iuga boum emi quinque, & vado probare illa.* Junxêre boves suas Arcæ *Gloria Dei cura.* Philistini, cur tu idipsum non præstas, cur tuos labores, & boves non impendis ad gloriam Dei promovendam? cur non ad trahendam Arcam ipsius, seu thronum ipsius. Arbitratus est Ezechiel Vates bovem unà, cum A- Ezech. 6. quila, Leone, ac homine jugatum ad essedum gloriæ divinæ; an tu inferior, deteriorque ipsis es bobus, qui idem non exequeris? Quæso te, obtestorque si tibi consultum vis in tempore, & in omni superventura æternitate, ne te tantopere deprimas, ne tot, tantisque laboribus subjicias, sed missis tot jugis criminum, unicum jugum Domini suave humeris tuis imponas.

Iuga boum emi quinque, & vado probare illa, rogo te habe me excusatum. Frustra, ah frustra & hic verba profundo. Ubi animus mancipatus est inferioribus

bus servitiis, ibi nec auris altioris dominii auscultat edicta. Ubi appetitus corruptior fœnum ut bos appetit, aut ad allia, & pepones anhelat; ibi in cassum manna nauseanti stomacho obtruditur. Fastidit cœlestia, quisque nimis avidè, avarèque prehensat terrestria. Nec pollet vel oculis versare cœlum, quisquis manibus, animoque volutat cœnum.

§. III.

Invitantur Coniugati, & abnuunt.

XVII. Jam ergo ad vos omnes superstites me converto, vosque certiores reddo, Patrem æternum, pro ea, qua jam ab orbe condito in vos erat benevolentia cœnam magnam apparasse in cœli regia, ad eandemque vos universos gratiosissimè evocare. Quæso vos, obtestorque per salutem animæ vestræ, per quidquid sacrum, ac sanctum est, per amorem Domini Dei vestri, ne vos subtrahatis, aut moras ullas futiles interponatis. Quoniam certò certius id vobis sciendum est, neminem, qui hanc cœnam spreverit, gustaturum illam in æternum. Venite ergo, quia parata sunt omnia. Quid audio?

XVIII. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* O nefas! ô malum! Tu non potes venire propter uxorem? Numquid te vinculis adstrictum tenet, quò minus te movere queas? Numquid uxorem Dalilam nactus es, quæ te Samsonem innexuit, rasitque crimen fortitudinis tuæ? Numquid tam terribilis est, ut castrorum acies ordinata? Numquid equitatui Pharaonis assimilata? Numquid Jezabelem tibi jugasti, quæ te ad omnia mala incitet? Numquid cor tuum quemadmodum Salomonis averterunt mulieres à Deo, ut sequaris Deos alienos? Numquid ostiariam duxisti; quæ Petro lapidi electo fuit petra scandali? An ut Socrates Xantippen litigiosã sortitus es, aut omnino in ea Medusam possedisti? *Omnis enim* (loquor cum Stobæo) *qui uxorem ducit, unam aut bonum, aut contrarium dæmonem inducit.* Stob. ser. 69.

Meliora ego de tua uxore suppono, forsitan illa ingressura convivium, tu excluderis. Implebitur fors oraculum illud in vobis: *Erunt duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur.* Luc. 13. 34. Num te latet quidnam evenerit illi marito indies mittenti uxorem ad sacram ædem, epulasque divinas; & se semper subducenti. Ominabatur ille præcaturam pro utroque, & utrique regnum impetraturam; sed heu nimium falsus est. Vidit enim illam Angelorum choris stipatam ad cœlestes delitias deduci, se verò excludi, ac exturbari. Cumque vociferaretur pro me quoque oravit; audiit; & pro te etiam intravit. Ergo ne repellaris in fine, nunc te siste, & me, & illam comitator. *Vxorem duxi.*

XIX. Renuit illa forsitan? Accipe tecum, trahe illam post te, & si illa sinistram tenuerit, tu dexteram prehende. Assimilare sponso trahentis sponsam in odorem unguentorum suorum. Vel si tam chara, aut tam enervis, cum eodem succolla illam, & innitatur brachio tuo. Nihil tam durum, atque inflexile in muliere est, quod vel exemplo bono, vel amoris incendio eliquari, atque inflecti nequeat.

XIX. *Vxorem duxi & non possum venire.* Apparet te nepotem Adæ esse, qui cum prævaricatus esset legem Domini, quam tulerat de non comedendo fructu scientiæ boni & mali, culpam in consortem regessit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Tu autem cum tibi iterato epulum apponitur, oculos rursus in uxorem detorques; ut ab illa dependere videaris, aut in illam nequitiam tuam derivare. Sed scito, quàm parum profuit Adæ excusatio sua, tam parum tibi profuturam tuam, ut ille ex paradyso terrestri, ita nisi acquiescas consiliis meis, ex cœlesti proturbaberis.

XX. *Vxorem duxi & ideo non possum venire.* Vide quæso ne à vero aberres. Mulier enim tibi data in adjutorium non in ruinam. Nonne S. Monica efferum edomuit maritum, & ad Christum adduxit? Nonne Cœcilia Valerianum, & Tiburtium Christo captivavit? Nonne Theodora Silinium Deo lucrata est? Nonne Clotildis Chlodovæum Galliarum primum Regem Christianum precibus, & exemplo vitæ, ac sanitatis reddidit? Nonne Theodolinda Longobardorum Regina duos suos maritos, Domitia Consulem, Romanum, Flavium Domitiani Imperatoris patruelem convertit? Nonne illa Samaritana prope totam civitatem de Christi Domini divinitate edocuit? Non ergo illi crimini dandum erit, sed tibi nisi comparueris, & votis Domini tui responderis.

XXI. *Vxorem duxi.* Vide ne de genere sis olearum, quæ invitata ad regnum reposuit: *Quomodo possum deserere pinguedinem meam?* Aut de stemmate ficuum, quæ itidem postulata ad tridentem, abnuit dicens: *Quomodo possum deserere dulcedinem meam?* Aut de propagine vitis, quæ in eandem sententiam oblatum sibi sceptrum repudiavit: *Quomodo possum deserere vinum meum?* Uxor tua vinum tuum, de qua Psaltes: *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*; sed time ne Rhamnus contra te exardescat, & devoret te. Time, quia qui *amat patrem, aut matrem, aut filium, aut uxorem plusquam me* (id est Deum) *non est eo dignus.* Et si quis venit ad eum, & non odit patrem & matrem, uxorem, & filios, non potest ejus esse discipulus. Time, quia: *Ecce servi mei comedent dicit Dominus, & vos esurietis; ecce servi mei bibent & vos sitietis; ecce servi mei latabuntur, & vos confundemini.* Time, quia *nemo virorum istorum, qui vocati sunt* (& venire renuerunt) *gustabit cœnam illius.* Nemo sibi illas delitias promittat æternas, qui totus est effusus, & immersus transitoriis voluptatibus. Nemo sibi opes præeinat, & thesauros indeficientes in cœlo, quem lucra temporalia avocant à lege Domini piè servanda. Nemo sibi polliceatur regnum præparatum justis ab origine mundi, qui per superbiam aliud sibi architectatur in limo profundi.

Si illæ castissimæ virgines exclusæ sunt, quæ oleo destitutæ paululum tardarunt, quantò amplius illi, & illæ prostitutæ, quæ omnino contemnunt? Si pauper ille ejectus ob defectum vestis nuptialis, quantò justius divites & opulenti ob rapinam bonorum alienorum, ob oppressionem pauperum, ob avaritiam suam, Si Vasthi regina solio

Ibid. 9, 9. Ibid. Psal. 127. 3. Matth. 10. v. 30. Isa. 65. v. 13. Matth. 25

lio deturbata, quæ non illico paruit Assuero marito præcipienti; quanto amplius proscribentur dorsum obvertentes Domino Deo suo, tam blandè invitanti.

Exprobrabit enim illis, quod pridem ore, & calamo sapientissimi Regis prædixerat: *Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo; & subsannabo; cum vobis id quod timebatis advenerit.* Vocavi per Doctores, ac Prædicatores, per me, & viros pios; interius, & exterius; extendi manum meam ad vos ex barathro peccati demersos extrahendos, ad vos vocandos, ad viam salutis indicandam; ad militiam meam evocandos, ad beneficia conferenda, verùm quoniam rebelles extitistis, nec vocanti intendistis, sed noxia quæque & quæ vergunt in ruinam amplexi estis, ego quoque in interitu vestro gaudebo, & subsannabo vos.

Prov. 1 24, & 22.

Id ne malo cujuspiam eveniat, in vota precesque Domini Dei vestri concedite. Et si impigri, alacresque ad adeundas terrenas possessiones curritis, multò alacrius ad sempiternas occupandas festinate. Si cibum avidè sectamini, qui perit; avidius abhinc illum quærite, qui permanet in vitam æternam. Si vos nemo retardat à voluptate noxia sectanda, multò minus quispiam, aut quidpiam remoretur à salutari, ac indeficiente delibanda. Ite, ite pauperes, thesauros inexhaustos possessuri. Ite, ite divites, amplius abundaturi in cœlestibus. Ite, ite nobiles illustrius, & nullis obnoxium cladibus, aut ruinis regnum indepturi. Ite, ite ignobiles fibula filiorum Dei donandi. Ite omnes ne serò cum epulone emendicetis guttulam lymphæ frigidæ, nec obtinere possitis. Ite omnes, ut satiemini ab uberibus voluptatis ejus. Ite omnes, ut inebriemini ab ubertate domus illius. Ite, & frequentate in hac mortalitate panem Angelorum absconditum, ut eodem tandem facie ad faciem fruamini.

Amen.

CONCIO XXXII.

IN DOMINICA. III. POST PENT.

Quis ex vobis habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam. Luc. 15.

ARGUMENTUM.

Ovis errabunda reducta.

I. VNiversa inter animalia nullum prope miserius ovicula à grege exorbitante. A. Cætera in errore, ac deviis sese reflectunt, cubilia propria ac præsepia sibi revocant, ad eadem ultro recurrunt; ovicula ubi semel devitare occœperit profundiores subit usque & usque labyrinthos; quoad tandem feris in prædam cedat lycaonibus.

Hanc in nobis infelicitatem deplorat Isaias Vates: Omnes *quasi oves erravimus*, inquit, *unusquisque in viam suam declinavit.* Erravimus à pascuis æternitatis, à grege Sanctorum, à tramite justitiæ, & declinavimus ad devia iniquitatis, ac injustitiæ. *Unusquisque in viam suam declinavit.* Alius in viam Cain, qui felleos in fratrem gerit animos; Alius in Balaami devia, dum amore lucri, à tramite recti exorbitat, Alius in viam Assyriorum, voluptatem sectando; alius in viam Ægypti, avocato à cœlestibus animo, forensibus curis sese totum devovendo. *Omnes nos quasi oves erravimus.*

Sed numquid qui cadit non resurget? Loquor cum Jeremia Vate, *aut qui aversus est, non revertetur?* Numquid Pastor bonus de reducendo pecore suo inerrante omnem curam cogitationemque deponet? O immen-

Isa. 53. 6.

Ier. 8. 4.

mensam Pastoris nostri clementiam! ô dignationem ineffabilem! Deponant sanè opiliones cœteri, non item Pastor bonus animarum nostrarum. Reliquit is nonaginta novem in deserto, & venit quæsiturus perditam. Deseruit non perduelles duntaxat Angelos, sed & à fidelibus, nos reducturus, recessit. Expendamus id pensiculatiùs; atque ut amorem erga eum, fiduciamque concipiamus, quâ ratione id præstiterit videamus.

Ovium reducendarum modi.

Narratio ac Partitio.

Belo. lib. 3. Nat. h. c. 8.

II. Authore Petro Belvacensi accepimus in Caspia oves inter alias reperiri præstantissimas. Quippe & candore, & proceritate nostratibus multò supereminent, cornibusque grandioribus unà omnes armantur. Verùm opilione paululum recedente, aut stertente, in tantum exerrant, ut sæpius intra mensem vix inveniantur. Ad eas itaque reducendas triplici utuntur artificio.

Imprimis clamore, ac voce illis usitata *Cevona* convocare satagunt. Cum enim huic vocabulo, perinde ac nomini proprio afficiantur, eodem illas tum ipsi opiliones inclamant; tum upupas, psittacos, cornices edocent idem proferre, quas illis palantibus emittunt, artificiosa illa voce revocaturas.

Si hac ratione nihil evincunt, aliam ad eas reducendas viam ineunt. Est inibi, ait idem, arbor duo duntaxat poma in annum proferens ab indigenis *Cykera* nuncupata. Hujus fructus, & foliorum odorem eminus percipiunt, & ubi ubi fuerint, cum festinatione ad ea recurrunt. Pastores itaque si quando voce operam se ludere vident, hos fructus, aut ramos ipsorum in proximo suspendunt, & hoc artificio allicere satagunt.

Tandem nec voce, nec fructibus in eum finem quicquam proficientibus, opiliones illi pelles earum induunt, vocem *bebe cevona* effingunt, & quâ errasse suspicantur, insequuntur. Oves eminus audientes, aut etiam videntes Opilionem hoc habitu, illusæ artificio, perinde ac ad sororem accedunt, comitanturque haud invitæ.

Mira profectò est hæc dexteritas, ac industria horum opilionum; verùm si cuipiam ea suspecta sit, cordentissimè illam suspicere potest in Pastore optimo animarum nostrarum.

§. I.

Quærit Pastor bonus oves perditas inclamando.

Ovis errabunda reducitur voce.

III. Hic imprimis voce sua advocat palabundos, in eumque finem Vates, perinde ac aves, ad reducendum exorbitantes emisit. Ite ad sacrorum codicum silvam, & inaudientes plurimas illarum ejus ore occinentes: Revertere, revertere ovicula ad pastorem tuum, ad ovile tuum, ad Dominum Deum tuum.

Ibi

Ibi parte ex una clangit Malachias: *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos dicit Dominus.* Vos me respicite, & ego vos in oculis meis feram; vos redite ad me, & ego approximabo vobis; vos jugum meum subite, & ego exaltabo vos. Ibi parte ex alia occinet Isaias: *Redite prævaricatores ad cor. Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei.* Reducite in memoriam, quomodo vos paverim quadraginta annis in deserto, & in terram hanc fluentem lacte, ac melle in manu extensa introduxerim. *Recordamini prioris sæculi, & redite ad cor.* Revolvite in quantis prodigiis, & mirabilibus vos de servitute ferrea eduxerim; in quanta bonitate, ac clementia vos rebelles, ad me conversos, antea admiserim, in quanta potentia ab hostibus vestris defenderim: *& redite prævaricatores ad cor.*

Malach. 3. 7

Isa. 46. 8.

Ibidem, aliis missis, canora imprimis voce modulatur Jeremias. *Vulgo dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra? Numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Utut conspurcata es immunditiis tuis, utut secundum concupiscentias tuas deflexeris, utut à me Pastore tuo aversa fueris, audi vocem meam, revertere, suscipiam te; & convertam faciem meam ad te, Et rursum replicat idem: *Revertere revertere virgo Israel ad civitates tuas istas. Vsquequo delitiis dissolveris filia vaga?* Usquequo salubria fugitas, noxia sectaris? Usquequo aures aperis Orco, claudis cœlo? Usquequo volupiæ litabis. *Revertere, revertere.*

Dei misericordia in peccatore revocando.

Ier. 3. v. 1.

Ier. 31. 27.

IV. Audiit has voces ille, qui de se cecinit: *Erravi sicut oves quæ periit.* Nam ubi à Nathan Vate errorem suum quantumvis in umbra parabolæ propositum intellexisset, extemplo in se reversus exululavit: *Peccavi Domino.* Heu me miserum quò deveni, in quem labyrinthum incidi, quantis me obnoxium reddidi periculis. *Peccavi.* Ignosce Domine, parce Domine, miserere Domine.

Ps. 118.

V. Audiit has voces longissimè exerrans Augustinus, & resipuit. Quadam enim die ingressus hortum, sub arbore in terra procubuit, positisque juxta se S. Pauli Apostoli Epistolis, inibi vocem inaudiit: *Tolle lege, tolle lege.* Surgit, aperit librum, incidit in verba ad Romanos scripta: *Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* Hæc ubi verba perlegit, meditatur, perpendit, cordi imprimit, ad suum charum Alipium accurrit, matrem plorantem, ac de sua salute sollicitam convenit, solatur, totumque se Deo mancipat.

S. Aug. Conf. l. 1.

Rom. 13. 13.

VI. Audiit ille extremè desperatus, & jamjā lupis avernalibus in offam cessurus. Hic eò furoris, ac dementię prolapsus fuerat, ut profligata ōnīpe salutis, ac vitæ sanioris, jā orcum, jam cœlū in necem suam adjuraret. Et cū votis suis

Exemplum desperati reducti.

suis necquicquam se evincere adverteret, frustraque Furias reciprocatis solicitasset postulationibus; corporis animæque suæ interitum, quem à malo genio sese impetraturũ desperaverat, vel per malitiam à Diis se obtenturũ præsumpsit. Eructat itaque plenis faucibus in eos bilem suam, illorum sedibus, ac regnis propalam renuntiat, idque unicè precatur: Si Jupiter nondum inermis es, vel unum detorque fulmen. En caput attollo, feri, qui altos fulminare assoles montes. Si nimis depressum, ac humile etiamnum videtur, votis supra astra effero, eò propius conterendum. Rudentibus, quibus me ad inferos detrahas opus non est, festino ultro, & ut primum vinculum, quo anima jugata est corpori, resciderit, me præcipito. Præstat me in Cimmeriis illis ignotum versare tenebris; quam afflictum, enervatum, desputum per familiares obambulare Penates.

Quis ad tam impuratioris vomitus totis artibus non inhorreat? Quis aliud quidpiam sibi imaginabitur, quam aut fulmine trisulco prosternendum, aut terra dehiscente ad Tartara præcipitandum? Et ecce quæ nova non molitur Amor, missis fulminibus sagittas adaptat, cordi ipsius, non jam in mortem, sed vitam infigendas. Quippe furore, ac dementia debacchanti allapsa cœlitus vox est: *Non poteris perire, quia charitate perpetua dilexi te.* O infinitam! ò incomprehensam! o supereminentem Domini Dei nostri in nos perditos bonitatem! *Non poteris perire.* Utut millies tua impietate Orcum meritus es, supereret etiamnum tibi locus veniæ, patent viscera misericordiæ; *Resipisce. Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat.* Non potes perire. Etsi tua contra te in supplicium sempiternum instigant crimina; multò potentius veniam mea exorant vulnera, tua demerita meis pensantur meritis. Vive itaque, & vale, quoniam non potest perire. Stupeant cœli, expalleat Orcus, congaudeat justus, erigatur iniquus, ad tam immensæ misericordiæ dignationem; & cum præfato perdito, jam resipiscente ad has voces, intonet unusquisque: *Misericordias Domini in æternum cantabo, quia benignus, & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia Dominus Deus noster.* Joel. 2. 13. Labentem erigit, properantem ad interitum sistit, titubantem solidat, desperatum in spem animat, quin & reluctanti identidem gratiam obtrudit. *Quia benignus & misericors est.*

Christi D. bonitas

Dei misericordia

VII. Suppari etiamnum dignatione bene multis inclamat: *Revertere, resipisce,* susci piam te. *Ego vocavi te nomine tuo, meus es tu, ne memineris priorum, & excelsa non intueris, apprehendam manum tuam, noli timere vermis Iacob.* Isa. 41. 14. Si te affligit peccatorum tuorum enormitas, mea te erigat Bonitas; si percellit Justitia, consuletur Misericordia; Patrem accede, ne Judicem sustineas. *Revertere suscipiam te.*

Ah quisquamne supereſt tam præfractus, quem adeo pia non flectant, & emolliant voces? Quisquamne, qui ad illas non resipiscat, & ad Patrem revertatur? Perpendite quæso

si Proto-parentinostro ex paradysi deliciis proturbato dictum fuisset, veni, & redi, patet ostium gratiæ recipiamte, quo cursu, ac promptitudine sese non recepisset? Revolvite si vox ista ad aures fulminatorum, vel semel tota allaberetur æternitate, quanto velociores cervis properarent, quantò perniciores aquilis advolarent, sese posternerent, gratiam exorarent. Vah & nos explodimus oblatam, & ad Sathanæ, ac mundi offucias intendimus. Videamus ne sero nimium sapiamus, & tum primum resipiscere velimus, quum ad ostia perditionis constiterimus.

Inferni consideratio avocat à peccato

§. II.

Bonus Pastor oves errabundas fructibus revocare nititur.

Modus alter reducendi oves

VIII. Optimus animarum nostrarum Pastor, si hac ratione necquicquam evicerit, ad alterum modum in Caspia cum irrationalibus ovibus usurpari solitum convertitur. Habet & ipse in horto ecclesiæ suæ plantam, duplici fructu perinsignem. Arborem dico scientiæ boni, & mali; qua rationales oves ad vitam æternam proficiant; non vero cum Eva in pernitiem abutantur. Nam cum fructum scientiæ bonis illis ingerit, id est venturæ, ac nunquam occiduæ vitæ beatitatem proponit, efficit ut solito loculentius percipiant illa supernæ felicitatis, quanta sint gaudia, atque inardescant illic absisteret, ubi se sperant, sine fine gaudere.

Rursum vero fructu altero prolato, id est scientia mali infusa; efficit, ut eorum oculi salubrius, quam Evæ ad vanam Alastoris Tœnarii sponsionem aperiantur; quatenus expendant illud perpetuum perfidorum incendium, illam pœnæ recrudescentis ærumnam, illam districti judicii romphæam terribilem, ut videant haudquaquam ementita esse fugacia illa tantali poma, Ixionis rotas, Titii vultures, sed acerbiora multo in peccatorum sterquilinio computrescentes manere supplicia; ut revocent à tot sæculis ibi ustulari Cainum, alios que, nec ullum statuendum tormentorum terminum; & ita timore concussi sese ad saniora recipiant consilia, è teporis exurgant sandapula, peccata prioris vitæ diluvio pœnitentiæ expient, Christoque Deo, ac Domino suo jurata eius mandatorum custodia se mancipent.

Bogyris Rex unde resipuit Cedren. & Baron t. 10. p. 16.

IX. Ne hac in parte adducendis testibus (quorum innumerum prope gregem hac vra revocatum cogere possem) immorer, unum omnium loco adduco Bogyrim Bulgariæ regem. Hic sub tempus Michaelis Imperatoris Orientis bello potens, alios inter captivos abduxit methodium, monachum celeberrimum. Quem cum audisset in arte pictoria versatissimum, eundem imperio coëgit, ut aulam suam horrendis belluarum imaginibus efferaret. Præstitit id scite Appelles ille, verum quum omnium oculis satisfaceret, effero summati quidpiam feritatis in omnibus deesse videbatur. Urget ergo, & quod omnium judicaret terribilissimum, adumbret. Admovet manum Methodius, & districti judicii fasces, Erebique horrenda supplicia vivacissimis

simis animata coloribus Regi spectanda proponit. Stupet is, qua viri artificium, qua mysterii horrorem, quidque ea sibi velint scisciatur? Tum ille: Rex serenissime, ut te in æternum vivere percupio, sic una mortalem nosse. Exiguum nobis curriculum vitæ, Author naturæ circumscripsit, æternum aut gloriæ, aut confusionis, & interitus; Ubi enim hinc excesserimus ad hoc tribunal vel inviti cogemur. S *tatutum est* *Hebr. 9.27.* *enim omnibus hominibus semel mori, & post hoc judicium.* Cũ enim multorũ crimina impunita, & plurima justorum merita in hoc sæculo irremunerata maneant; hæc urna dispensabit justis præmia, impiis æterna decernet supplicia. *Descriptio pœnarum inferni* Tunc enim in hos effundet omnem iram suam, & furor iræ ejus apprehendet eos. Tunc mittet eos in locum tormentorum, in stagnum ignis in labyrintum inextricabilium pœnarum. Ibi cruciabuntur oculi, visuri spectra ipsa fronte millies mortem ingeneratura; ibi aures percepturæ stridores, fremitus, ululatus, blasphemias, maledictiones &c. Ibi nares fœtore opplebuntur intollerabili; Ibi gustus, aut siti excruciabitur inexplicabili; aut saginabitur sulphure, piceque, flamma etiamnum eliquante; ibi totum corpus ignis vivacissimæ flammæ nunquam extinguendæ depopulabitur; Ibi futura mors semper reviviscens, & vita semper moriens; Ibi abyssus miseriarum omnium simul collectarum. His visis, auditisque salutari timore perculsus Princeps, ejurata perfidia, ac perversa vivendi licentia castigata, meliori se vitæ redonavit.

Et tu forsitan indurate peccator his lectis, ac fide certa creditis etiamnum exerras post vestigia fœdissimorum hœdorum (affectuum) tuorum? Etiamnum divitiis fugacibus mendicitatem mercaris perpetuam? Etiamnum monumentanea voluptate supplicia nunquam hebetanda, aut finienda conscisces? Resipisce dum tempus est, altumque tibi imprime extremarum miseriarum synopsim, & si umbram reformidas, rem ipsam magis timere, ac cavere satage.

§. III.

Bonus Pastor se ipsum ovibus assimilat ut reducat.

X. Si demum dicantur Opiliones illi in Caspia similitudinem sibi inducere ovium suarum; fecit id profecto Christus Assertor noster, quum ex sublimi regia sua, ac Divinitatis cululi in hæc ima descendens habitu inventus uthomo, omnes nosquasi oves inerrantes insecutus est. *Modus tertius reducendi oves errabundas*

Quod ut planius evadat relegite quæso vestigia ipsius, ac finem, intentionemque viarum ipsius discutite.

Offendetis eum forsitan jacentem inter animalia in præsepio, audietisque aliis sub similem hominibus vocem emittere lamentabundam: A. A. A. Hanc si minimè percipitis, interpretabitur eam vobis Doctor Gentium dicens: *Fidelis sermo & omni acceptione* *1. Tim. 1, 15.* *dignus, quia Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Certum, ac indubium axioma est, omnique studio, ac gratiarum actione acceptãdum, oraculũ dignissimũ fide, &

amplexu, finem totius Oeconomiæ Christi extitisse, ut peccatum aboleret, peccatoresque salvos faceret. Hinc ipse: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Et: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* Tolle morbos, tolle vulnera mendicus erit medicus; tolle similiter peccata, & nec opus nobis erit Christi adventu, & passione. *Fidelis sermo* &c. Nunquam incorporatus fuisset, nisi peccatum Adæ præcessisset.

Matth. 9. 13

XI. Arbitremini ultra meantem jam in judeam, jam in Galilæam, ac finitima regna, salientem in montibus, transilientem colles, & indagate quidnam sibi velint tot itinera? Quo se movet immobilis plenitudo? Quo accedit, aut unde recedit, quo plena sunt omnia? Cur ascendit, & descendit, habitus suscipit, formas variat, mutat officia? Reponet D. Chrysologus: *Vt te mutet in melius, ipse sua toties mutat, & immutat officia.* Et quia diu circumcurraverat, ut diriperet, ac devoraret inimicus; nunc necessario circumit, ut te vindicet, & eripiat Christus. *Venit Filius hominis in hunc mundum, ut dissolvat opera diaboli*; ait dilectus Domini Discipulus. Et quia notaverat, quod is circumeat quærens quem devoret; ait intra se Vindex animæ: meæ Itane sathanas orbē lustrat, insidias struit, affectibus se accommodat, ut subvertat, ac dissipet; circumibo & ego pariter, ut ædificem, & plantem. Si ille venena instillat, ego pharmaco salutifero mederi adnitar; si ille ad captivandas animas Protheum assumit, ego multo insignioreshaud detrectabo metamorphosos, eos vinculis exempturus. Loquar cum Magdalena de amoribus castis, cum adolescentibus avidoribus de thesauris, cum piscatoribus de sagena, cum turba famelica de alimonia cœlesti, cum prefractis de mortis incertitudine, brevitate vitæ, gehennali incendio. *Vt te mutet in melius* &c.

Christi Dzelus.

S. Chrysol. ser.

Dan. 3. 8.

XII. Comitemini ad ipsum Calvariæ jugū, videte inter bina hærētem ligna, vepribus toto confossum vertice, & inquirite quid portendat? Regeret Hipponensis Præsul: *Propter ovem perditam Pastor ejus nonaginta novem dimisit in montibus, & eam quærens Iudaicis laceratus est vepribus.* Cum eam errabundam inter vepres delitiarum, ac senticeta divitiarum quæreret, fieri haud potuit, quin aculeos persentiret.

Aug. in ps. 118 ad finē

XIII. Figite gressum, mentemque in eodem colle, scisciramini quid sibi velit dira illa manuum pedumque in stipite extensio? An non loculento est argumento, quod non sit *abbreviata manus Domini* ad salvandum. An non ad indicandum, quod manum semper habeat porrectam ad sublevandum, ac recipiendum? An non ut oves toto Calvariæ quiescant in colle, magnus ille Pastor virgæ innixus, eaque armatus excubat; edicens lupis, ut absistant, ne vim baculi hujus malo suo velint experiri?

XIV. Inaudietis in eodem stipite quærelas ipsius eximis deductas præcordiis sitim intensissimam indicantes. Expendite rursum cum præfato Authore quid sitiat, apud quem est fons vitæ. Nonne ipse est, qui olim contentiosissimis in templo vocibus univer-

sos

Christus Fons Aquæ vivæ

Ioan.7.37.

Zach.13.1

Isa.12.v.3.

Christus quid sitit in cruce!

August. in Ioan.

ſos ad ſe invitabat: *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat?* Nonne ille eſt, qui Samaritanæ mulieri lympham haurienti; myſticam aquam, & qua ſemel hauſta ab omni exinde ſiti eſſet immunis polliceri potuit? Nonne ille eſt, de quo vaticinatus Iſaias Vates: *Erit fons patens domui Iacob.?* Nonne ipſe eſt, qui per Moyſen Synaiticas rupes in perennem aquæ ſcatebram eliquavit? Nonne ejuſdem nutu Samſon, Quum in ipſo victoriæ æſtu ſiti exareſceret, aperto aridæ maxillæ molari, fontem elicuit? Nonne hic per Angelum Agar ancillæ ſiticuloſa in regione ſcaturiginem aquarum aut aperuit, aut demonſtravit? Verè hic puteus admirationis altus, ſed uberrimus; de quo pollicitus Vates: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Quid igitur neceſſe erat ſitim inter cruciatus profiteri, inbecillitatemque naturæ prodere?

Ajo ſitis hæc non tam aquæ fuit, quam ſalutis noſtræ. *Quid ſitis*, ait S. Pater Auguſtinus, ò *Domine? de cruce nihil dicis, & de ſiti clamitas? Sitio.* Et reſpondet in perſona ejuſdem: *Sitio veſtrum gaudium, veſtram fidem, veſtram ſalutem; & plus animarum, quam corporis mei cruciatus me tenent.* Neutiquam vulgarem ambio lympham, qui in præcordiis meis foveo ſcatebram aquæ vivæ, veſtram inardeſco ſalutem; veſtras abſorbere anhelo animas, ne eas Tartarus deglutiat.

XV. Denique jam vita functus vulnus lateris, quod multò in anteceſſum inhibere poterat in noſtræ ſalutis rationes inferre voluit; ne poſt mortem quidem à redemptione ceſſaret; opeſque, quas nemo ſuſpicatus eſſet liberaliſſimè profunderet; ac omnibus ad ſe recipientibus oſtium reſeraret. Ita Venerabilis Beda in in hunc locum: *Vt in myſtica corporis arca fieret oſtium in latere, & intrarent omnia animalia, quæ in diluvio peccatorum peritura erant.* Quemadmodum per illud diluvium inundans peccatum ſignabatur; ita per illam Noe cymbam Chriſtus figurabatur. In oſtio illius, ex latere poſito, quiſquis recipiebatur, ex cataclyſmo ſoſpes enatabat, & in iſtud lateris dominici quiſquis intrat ſalutem ſibi polliceri poteſt.

Beda h.l.

XVI. Quis itaque tam immenſam Paſtoris noſtri in nos charitatem, ineffabilemque bonitatem non ſtupeat? Quem non totum extra ſe rapiat, impotemque ſui efficiat?

Si ditiſſimus, potentiſſimuſque mortalium pecus quodpiam in tantum deperiret, ut maximis corporis ſui impendiis, ac vigiliis ſuum redderet; ſi fugientem à ſe inſequeretur belluam, & recalcitranti blandiretur; ſi ſtertentem in ſinu foveret ſuo, an non aut amentiæ, aut amoris prodigio imputaretur? Quantum igitur iſtud charitatis indicium, Dominum univerſi in tantum deperiiſſe genus humanum, ut ſimilitudinem naturæ ejus aſſumpſerit, de eo reducendo tantopere allaboraverit; & etiamnum à ſe fugitantem hominem inclamet, beneficiis alliciat, eidem blandiatur, in ſinu protectionis ſuæ foveat. &c. O quantum hic amor diſcrepat à cura, ac ſolicitudine noſtra rerum e-

tiam viliſſimarum;

XVII. Saul quum aſinas triduo inquiſiviſſet, nec invenisſet, ait ad puerum: *Revertamur, ne forte dimiſerit Pater meus aſinas, & ſolicitus ſit pro nobis.* Non valent tanti pecora, & anxietates noſtræ; revertamur.

1. Reg. 9. 5.

Tutelares item Genii quum tempore aliquo, irrito eventu in Babylone reducenda deſudaſſent, dixerunt ad invicem: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata derelinquamus eam.*

Ier. 51. v. 9.

At piiſſimus Aſſertor noſter connivet, & in maxima patientia præſtolatur reditum noſtrum. Vidit, heu me, aut quempiam alium, ab ipſis prope incunabulis poſt concupiſcentias meas ferri, inhiantem occaſionibus peccati, infatuatum vaniſſimis cogitationibus; quas toto animi conatu proſequebar, in ſumma oblivione ſalutis meæ; & in tantis erroribus benigniſſimè tolerare, ac revocare errantem dignatus eſt.

Et ego, aut quiſpiam alius perſpecta tanta hujus Paſtoris bonitate, ac clementia etiamnum de ea ambigem, aut repellendum me confugientem ad eum mihi perſuadeam? Fieri poteſt, ut is, qui tantopere inclamat, qui tanta profundit, ſeipſum immutat, ut accedentem non recipiat? Citius inſtitor quæſitas, & inventas deſpuat merces; citius venator prædam cum labore prehenſam dimittet, citius cœlum, & terra in ſuum reditura chaos; quam Chriſtus hunc titulum deperditurus: *Hic peccatores recipit* &c.

XVIII. Ergo ò dilecte JESU, Paſtor animæ meæ, de me totum deſperans, de tua bonitate confidens, in te me totum conjicio. Spero veniam à te, quia miſericordiſſimus es; gratiam, quia benigniſſimus; gloriam, quia liberaliſſimus, auxilium, quia potentiſſimus; conſilium, quia pientiſſimus; ſolatium, quia dulciſſimus; perſeverantiam, quia fideliſſimus. Et ut peccatorum meorum multitudo, ac enormitas me percellit; attamen id me conſolatur, quod peccatores reſipiſcentes recipis; quod non vis mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat. Dum itaque ſpiro, in te ſpero, noviſſimumque hunc halitum meum eſſe percupio: JESU tu es ſpes mea, tu es tota fiducia mea & virtus ſacratiſſimæ paſſionis tuæ ſalus mea. Da ut non confundar, quoniam ſperavi in te. Fiat. Fiat.

CON-

CONCIO. XXXIII.

IN DOMINICA IV. POST PENT.

Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in Verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 5. 5.

ARGUMENTUM.

Retia actionum nostrarum excutiuntur.

I. Vita nostra perappositè reti confertur Aud. Quemadmodum istud ex stamine, seu filis conficitur, ita vita nostra à filio, atque momento dependet. Ducuntur filia ut plurimum rota volubili, & vita nostra per inocciduas prope rerum, temporumque vicissitudines rotatur. Rete tòtum quantum ex crucibus contextum, non secus vita nostra plena miseriis, curis, crucibus. *Homo*, lamentatur Jobus, *brevi vivens tempore repletur multis miseriis.* Repletur in pueritia, in adolescentia, in virili ætate, atque in decrepita, miseria, eaque cum aceto; non una sed plurima. Rete protensas habet alas ad capiendum, & homo desideria multa inutilia, quæ nunquam explentur.

Vita rete

Iob. 14. v. 1.

Hoc rete expandimus, eoque piscamur, quoties quidpiam operamur. Quo fructu? Qua captura? Videamus.

Partitio.

II. In quadruplici positione Rete Evangelicum nobis exhibetur. Primò enim proponit illud cassum, lutò, sordibusque in tantum oblitum, ut in eo emuscando, eluendoque, impigrè desudaverint piscatores. *Piscatores autem descenderant, & lavabant retia.* Subinde tota nocte in capturam expansum, & tamen vacuum. *Tota nocte laborantes nihil cepimus.* Tertiò indifferens ad piscandum: *Laxate retia vestra.* Tandem refertum multitudine piscium, ruptioni tamen obnoxium. *Rumpebatur autem rete eorum.*

Luc 5. v. 2.

Ibid.

Ad eundem modum considerari queunt actiones nostræ, vel luto peccati inquinatæ, vel in nocte peccati factæ, vel indifferentes, vel bonæ quidem, ac honestæ ruptioni tamen, ac perditioni obnoxiæ.

§ I.

Operibus illicitis nihil nisi dispendia quærimus.

III. Et primum quidem Actionibus luto, sordibusque scelerum temeratis non modò nihil capimus; sed ingentia insuper dispendia in caput nostrum devolvimus. Et utut optimus finis iis præfigatur, nonnisi ad scopum damnationis in iis collimatur. Peccata enim nullius causæ honestæ obtentu, in tantum dignificari queunt, ut Deo placeant; nec ulla recti intentione ita expiari, quin toxico suo animum imbuant; nec ulla intensione

Opera illicita nullo fine bono honestantur

sione conjugatæ virtutis eò efferri, ut Deum contingant. Nam cum ipsa sint iniquitas, quâ ratione justa esse queunt? cum per ea à Deo avertamur, quomodo fieri potest, ut unà in iisdem ad ipsum convertamur? Cum per scelus Numini summa inferatur injuria, qui eodem honorabitur? An iniquum justum, aversio conversio, in injuria decus evadere potest? Nec satis est finem esse rectum si cætera sint distorta. Bonum enim ex integra causa, malum ex quovis defectu. Cum itaque materia, & forma, & causa efficiens peccati reproba sit; totum opus impium judicandum erit.

Saulis sacrificium cur fulminatum

IV. Quis non censuisset Dictatorem Israelitarum Saulem gratiis à Numine cumulandum, quod ea, quæ optima, pretiosissima, pulcherrima, ex spoliis superfuerant, cultui ipsius consecraverit? *Pepercit Saul Agag, & optimis gregibus ovium, ac armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis, quæ pulchra erant, ut immolarentur Domino.* Quid hic absecro mali? An non optima intentio, ut immolarentur Domino? An non prudentis animi consilium reputandum melioribus connivere, pinguia Numini consecrare, vilissima quæque pessumdare? An non sacrificium opus præ aliis religiosissimum? ita quispiam apud semet ratiocinari posset, & Saulem non modò noxa liberum, sed & gratiis dignissimum decernere.

1. Reg. 15. v. 19.

At verò supremi Judicis, summique Antistitis sententia factum illud æquioribus lancibus expendentis, non modò veniam meritum non est, sed severissimè fulminatum. *Quare non audivisti*, inquit, vocem Domini *sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini.* Quæ ista tua dementia, quod impetriis Domini Dei tui obluctari præsumseris, & posthabito ipsius edicto prædam consectatus fueris? Num te præterit acceptabiliorem Deo esse victimam, quæ de captivato intellectu, jugulataque liberrima voluntate offertur; quam quæ de pecudum cadaveribus incenditur? An te fallit, Domino non tam placere adipem taurorum pinguium, quam, spiritum animi devotissimi? Ignoras Deum Spiritum esse, & potius in Spiritu, & veritate adorari velle, quam multitudine holocaustorum coli? *Quare non audivisti vocem Domini?*

Ibid.

Obedientia melior victima

Dices forsitan timui populum. At Deum utique amplius revereri, ac timere debueras? Obtuli ais ea Domino; *at melior est obedientia, quã victima.* Putavi, submissas, jussa Domini mitius interpretanda: at *quasi peccatum ariolandi est repugnare.* Arbitratus sum, subdis, Deum non tam rigidè imperare; at *quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere.* Summa summarum hæc est, stulte egisti mi Saul, inobedientia intentione recta propugnari nequit. Quoniam præceperat tibi Dominus, quatenus interficeres Amalec, & demolireris universa ejus, hoc tibi præstandum erat, non victimæ adducendæ

V. Quis sibi itidem non persuasisset filios Aaronis, legitimos, verosque

Aronis filii puniti

roſque Sacerdotes thus offerentes coram Domino æternandos eſſe? Aarone enim parente ſacrificium conſummante, arreptis thuribulis, & ipſi incenſum meditabantur; verum quod ad adolendum illud, non de legitimo igne, qui in altari ardebat, ſed de alieno hauſerant, offerentibus illis, depluit Dominus ſuper eos fulmineam vindictæ flammam, illoſque in buſta redegit. *Egreſſus ignis à Domino devoravit eos, & mortui ſunt coram Domino.* Bonum opus erat Deo incenſum offerre; ſed quoniam illud non fuerat oblatum per dedicatam Domino flammam, quemadmodum is præceperat; opus illud à conſpectu illius rejectum, authoreſque illius exuſti. Ita alienus ignis, etiam optima intentione ſuccenſus, nunquam ſidera, ſemper Tartara petit? alienum thus non Deo, ſed Orco inflammatur. Fures non ſimilam, aut pollinem, ſed furfures immolant, utut opima dedicent.

Levit. 10. v. 1.

VI. An non ſubſimili errore dementati primi Chriſtianorum perſecutores, arbitrantes ſe obſequium præſtare Deo, ſi in membra Chriſti omni tyrannide deſævirent? An non æquo faſcino laboravere noſtri A-Catholici, dum multis in provinciis præfracta rebellione in Dominos legitimos inſurrexerunt; aliena bona, prætextu religionis, aut in cineres, aut ſuam in poteſtatem redegerunt; Baſilicas ingenti ſumptu, ac molimine eductas demoliti ſunt; & quidquid ſacrum, ac ſanctum erat profanare non erubuerunt? Putabant & hi obſequium ſe præſtare Deo, necquicquam frequentius, quam Evangeum inſonabant, ſed quid tandem ceperunt? Non Deum, ſed Orcum; non cœleſtes gazas, ſed inferni plagas.

VII. Prope Cracoviam Cromero perhibente in lacu Lemuribus infeſto piſcatores toties, quoties rete vacuum, ac convolutum extraxerant. Tandem accuratiore cura illud laxantes monſtrum horrendum, cuprino capite, oculis flammas ejaculantibus, toto corpore in formam draconis deſinente prætexerunt, quo viſo, & ſtridore ejus perculſi diffugiêre univerſi, & monſtrum ſeſe iteratò fundo demerſit. Hæc plane eorum captura eſt, qui per iniquitatem ſuam arbitrantur ſe obſequium præſtare Deo. Etſi enim vel una veniali noxa univerſas nationes convertere, hæreſeſque extirpare pollerent, nunquam tamen vel æther ratam illam haberet; vel ſummus pontifex eam honeſtare, ac canonizare poſſet. Etſi rapinis tẽpla, ac ſacraria conderent, infernum ſibi architectarentur. Etſi fallerent alios, nonniſi opitulaturi Sanctis Dei, nunquam immunes à culpa eſſent. Eapropter qui ita piſcantur, non tam lucrum, non tam uniones gratiarum, ac meritorum; quam ſerpentes, draconeſque ſeſe concluſuros ſciant.

Crome. l. 9. hiſt. Pol.

Piſcatus diabolus

§ II.

In ſtatu peccati in caſſum retia laxantur.

VIII. Suppar prope ſors eos manet, qui in nocte rete ſuum laxant, lethalibus conſtricti flagitiis,

Opera in ſtatu peccati facta infructuoſa

gitiis, ac gratia divina extorres, cœleſtes Margaritas venari nituntur. Necquicpuam & ipſi capiunt, & D. Petro concinnere demum coguntur: *Tota nocte laborantes nihil cepimus.*

Servitus Iudaica

Id innuiſſe SS. Patribus videtur Dominus in privilegiis populo Judaico de ſervitute ſolvenda indultis. Etenim ſanctum erat, ne ullus apud eam gentem, ultra ſeptennium in cataſta ingemiſceret; ſed evoluto ſeptimo, quicunque ille eſſet vernaculus, emanciparetur; liberrimuſque in patriam, domumque ſuam remigraret. Et ſi una uxor ipſius, filiique ſervituti obnoxii fuiſſent, cuncti priſtinæ libertati redonabantur.

Nihilominus ſi ſervorum quiſpiam ſervitutis tempore connubium iniiſſet, filiosque ex eo procreaſſet, tam mulier illa, quam nati ipſius perpetuæ ſervituti addicti menebant; ipſo ſolo libero egrediente in eo ipſo veſtitu, omnibuſque quæ attulerat, quando ſe obſequiis alterius mancipavit. *Mulier, & liberi erunt Domini ſui, ipſe vero exibit cum veſtitu ſuo.*

Exod. 21. v. 4.

Item orabelica

Typus id eſt libertatis, ac ſervitutis noſtræ. In confeſſo ſiquidem eſt, nos gratia ſacri laticis in veram libertatem filiorum Dei de infernalis Pharaonis cataſtis reſtitui, & nihilo ſecius, quæ noſtra eſt dementia eidem nos illecebra peccati ſeductos venumdari. *Qui enim facit peccatum, ſervus eſt peccati,* & tanto graviores ſuſtinet compedes, quanto durior eſt ſervitus animæ, quam corporis.

Ioan. 8. v. 34

Verum tamen etſi hæc noſtra impudentia perpetuum mereatur Averni ergaſtulum; divina bonitate, clementiaque indultum eſt; quatenus hoc jugum mediante virtute pœnitentia, nedum animo ſeptimo; ſed quotieſcunque voluerimus, ejus freti gratia excutere poſſimus. *In quacunque hora ingemuerit homo &c.* Et ita quidem, ut ſponſam noſtram conſcientiam, & opera noſtra, quæ necdum ſervitute contracta feceramus, ut filios Dei gratia procreatos educere ſimul liberos polleamus. Etenim, quæ peccati eſt calamitas, ſimul illa cum homine prævaricante ſub jugum miſſa ſunt; id eſt preces illæ noſtræ, exhomologeſes, eleemoſinæ nullius erant meriti, ut intuitu ipſorū æternæ gloriæ præmia conſequeremur; ita ut ſi in ſtatu tali emigrare contigiſſet, omnem gloriæ meredem illis prius emeritam, una æternum profligaſſemus, & nonniſi incrementum gehennalium ſuppliciorum ob diſpendium tantorum bonorum nobis cumulaſſemus. Attamē ſolutis ſcelerum cataſtis pariter nobiſcum emigrant, inque priſtinam aſſeruntur libertatem. Virtute enim pœnitentiæ recuperatur meritum antehac perditum, & cum non tam mortua, quam mortificata fuerint, mediante illa vitam, ac ſpiritum recipiunt.

Merita mortificantur

Reviviſcunt

Jam vero de filiis in ſtatu ſervitutis procreatis quid ſentiendum? Quid concludendum de orationibus, jejuniis, eleemoſynis in peccato lethali factis? Reſpondeo illa ſemper manere mortua, ac diſperdita. Tametſi enim haud exigui ſit momenti ad conciliandam Dei miſericordiam, ad ſpatium pœnitentiæ impetrandum, ad commovendum cor noſtrum obdu-

ratum

ratum; verumtamen ut illis gloriæ, aut meritorum dodrantem evincamus, nullatenus attingunt. Destituuntur enim principio vitæ, quod est gratia, & idcirco actus cœlo ac beatitati condigni esse nequeunt.

Opera sine gratia otiosa

IX. Clarè, divinèque id Corinthiis Paulus explicuit, cũ diceret: *Si linguis hominum loquar, & angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero omnem prophetiam, & noverim omnia mysteria, & omnem sciam, & si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* Da mihi inquit linguas omnium Gentium quibus detonem ut Demosthenes Græcorum, ut Cicero Romanorum; quibus disceptem ut Plato & Aristoteles, quibus attraham ut famatus ille Hercules Gallicus, Quid inde? Si gratia Dei sum destitutus. *Factus sum veluti æs sonans.*

1. ad Cor. 13. v. 1. 2. 3.

Adde linguas Angelicas, & Seraphicas, quibus unico nutu, aut signo explanem intentiones meas. Numquid exinde quidpiam mihi accedet? Nihil minus. *Factus sum veluti æs sonans &c.*

Agere gratias gratis datas fidem potentiamque medendi morbis quibusvis, imperandi procellis, mortis repagula convellendi, cui tota rerum Universitas obsecundet; tota loquatur, ac stupeat natura; quantus putas videbor cœlo? *Nihil. Nihil sum.*

Fac me profundere in pauperum alimoniam milliones, templa erige, monasteria exstruere; corpus universum in ardentes rogos immittere, cum laurentio torreri, cum Stephano lapidari, cum Eustachio in bove Perilli mugire. Quid tandem illa conferent? Non amplius quam mutio focus, quam Pharasæis tubæ. *Nihil mihi prosunt.* Egrediatur servus liber in eadem veste; iis ornamentis, ac monilibus, quibus ornatus fuerat; at filii in servitute procreati, opera in statu peccati facta non illa quidem manent; sed evanescunt, quasi ea nunquam produxisset, nec computantur in diphtera meritorum. Eheu jacturam gravem! eheu deplorandam calamitatem, rarò tamen ex æquo æstimatam! Quotusquisque enim expendit condignè dispendium bonorum operum, tota peccati servitute patratorum? Quod ad calculos revocandi, qui totis mensibus, si non annis & lustris integerrimis in peccati veterno jacent, oleum, operamq; perdunt? Non dicant illi cum Tito Imperatore: *Amici diem perdidi*, sed annos, sed lustra, quoniam sicut ea, *quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt*, & si sapiunt, ut primum labi contigerit, resurgant.

Psal. 89. v. 5.

§. III.

Opera indifferentia excutiuntur.

X. Alia opera sunt ex se nec bona, nec mala, nec virtutem, nec vitium redolentia. Ejusmodi sunt actiones merè naturales, ut edere, bibere, ludere, stertere. Similiter passiones accidentales, ut morbus, dolor, paupertas, exilium, mors. Item bona corporis, fortunæ, animi, ut intellectus bonus, scientia, sanitas, vires, opes, & similia. Omnia

Opera indifferentia

hæc aliave agnata, per se nec bona, nec mala, nec honesta nec inhonesta sunt. Usus illa initiat, & vel meritoria, vel demeritoria reddit. Cum enim laudabilia ex se non sint, virtutis decus, ac meritum neutiquam obtinent; quoad moderatriæ Intentione ad sublimiorum chorum, dignitatemque subvehantur. Hæc vero quo sublimior fututa, eo itidem opus ex ea factum eluctabitur altius. Quo inferior, eo & actio deprimetur, ac obsuscabitur enormius. Ex.g. Offa quæpiam in se spectata, nec honesta, nec inhonesta; verum si gulæ consecretur, evadit turpis; si infirmo honesta, ac meritoria; si illi, à quo quidpiam præstolaris, vulturina. Idem labor; eadem, similisque afflictio, si acceptetur ex motivo obedientiæ, agnoscendo potestatem absolutam, quam Deus ut Creator in quemvis obtinet, & subjiciendo se illi ut tali, meritum obedientiæ obtinet. Si ex motivo Religionis, offerendo te Deo tuo, omniaque tibi subdita, perinde ac sacrificium, evadit opus Religionis. Si ex motivo Amoris, ad eminentissimum virtutis gradum conscendet. Eadem ratio est aliarum actionum indifferentium; quæ ut una, alterave intentione bona dignificantur, ita perversa conspurcantur,

Intentio radix & Cor. XI. Intentio enim radix est operum, quæ si sancta fuerit, etiam rami sancti reputabuntur. *Si radix sancta etiam rami*, ait Apostolus. Si radix virulenta etiam rami, fructusque vitiosi, ac virulenti evadent. Cor est, à quo vita actionum redundat. Si istud bellunum fuerit, etiam actio non seeus ac Nabuchodonosoris in bisontem transformati, futura est. Huic enim ubi cor mutatum (cor feræ dabitur ei) actutum totus & ipse in belluam abiit. Similem humanum, aut divinum; tota actio humana, divinaque evadet. Fermentum est, quod pro sua qualitate totam farinam actionis in bonam aut malam commutat. Virga Moysis est, quæ si in terram projiciatur, in colubrum vertitur; si extendatur cœlum versus patrat prodigia. Oculus est, qui si simplex inventus fuerit, totum corpus actionis lucidum erit; sin nequam totum corpus illius tenebrosum. Quod enim oculus est corpori, id est intentio operationi. Si ille præcedat, & quod molitur dextrè intueatur, recta, illustris, meritoria evadet actio. Si ad cœlestia sublimetur, eique Domino à quo omne bonum est, placere inardescat, tota cœlestis resultabit. Tunc vel minimum opus mirum in modum effulget; quando auro sinceræ intentionis incrustatur; tunc ad merita vitæ æternæ assurgit, quando eadem animatur.

Rom.11.v. 16.

XII. Compertum id probè sanctis Dei, qui nullam actionem elabi sinunt quam ad DEum non referant.

Ioanni defolo acus clavis cœli

De Fratre nostro Joanne de solo perhibet Joannes Nierembergius eundem in extremis prope constitutum poposcisse acum, quam non procul inde in rimam inseruerat. Mirantibus præsentibus, & jam sui impotem arbitrantibus, quum ab altero adstante porrecta esset, edixit: Hæc mihi clavis cæli erit, hac paradysi portas reserabo, cumque hac mori percupio. Nec quicquam

quam enim hac acu paravi, præterquam amore Dei mei; nec filium per eandem trajeci unquam, præterquam ut illi soli placerem; non secus, quam si ipsummet Christum in fratribus vestire debuissem.

XIII. In Vitis SS. Patrum legitur Anachoretam quempiam cœlesti oraculo edoctum de ancilla in taberna commorante, ipsomet longe meritis superiore, Obstupuit ille, famulamque inquisivit, inventam in partes traxit, percontatusque, ac per Numen obtestatus ediceret, quas vitæ rationes iniret, Deo suo placitura. Cui illa candidè: pedissaqua sum, ut vides, templum indies frequentare mihi haud vacat; aliis itidem heroicis operibus cum aut pauperiem meam, tum ægritudinum insistere nequeo. Id duntaxat adnitor, ut quod ago, in gloriam Domini Dei mei referam; & quotiescunque fascem ligni succollo, id amore ipsius facio, lignum crucis pro me olim sufferentis. Ex quo prudenter conjecit, hanc imprimis apud Deum tantorum meritorum causam, quod omnia sanctissima intentione, & amore servatoris sui auspicata esset.

Ancillæ meritis incrementis avita

XIV. Idipsum D. Patriarchæ nostro, ut alios mittam, familiarissimum erat; nullum ille opus, studium, missionem auspicabatur, quam hac opigraphe non insigniret: *Ad majorem Dei gloriam*; eandemque centies, ac septuagies septies suis constitutionibus inseruit.

In Vita

Quantum vero hic, vel alii hac ratione piscendi ceperint, tum imprimis liquidum evadet; quum in litore æternitatis eorum piscatum contemplati fuerimus. Ex adversum vero nisi hoc artificio retia nostra laxaverimus, operam omnem, laboremque perdemus. Vulgatum est enim, & cœlo, terraque comprobatum. *Hoc capit fiscus, quod non capit Christus.* Quod Deo non militat, aut paret, necesse est, ut pereat. Quodque Averno duntaxat ancillatur, Averni duntaxat meretur stipendia.

Ius Canon. Cap majores 16. q. 7.

Et tamen heu quam vulgare hoc vitium, quam communis sæcularium error, mentem duntaxat in rem præsentem defigere, nec ullis rectæ intentionis trochleis eandem sublimare. Videant hi, ne dum in infimo semper scabello rerum sublunarium considerent, ab altiore cœlestis gloriæ, & ipsi excidant. Videant ne dum omnia ad rationes transitorias referunt, minimum in æternis repositum inveniant. Videant ne & ipsi sero & serio lamententur: *Amici Diem perdidi*, annos perdidi, vitam perdidi.

§. IV.

Bona opera ruptioni obnoxia.

Opera bona meritoria

XV. Tandem optimè jacitur rete, idque imperio Domini ad dextram, quando opera pia, & sancta optima, sanctissimaque intentione, in nomine, ac verbo Domini auspicamur. Hæc enim optato fructu, emolumento, ac meritis nos frustrare nullatenus queant.

Evenit tamen itentidem, ut hoc rete piissimarum actionum vel in dextrum, vel sinistrum

latus projectum rumpatur; & omnis spes mercedis non in aquas tantum, sed & in spumas abeat.

Intentio prava vitiat omnia

XVI. In sinistro rumpitur sæpe respectibus humanis, aut gloriæ evanidæ obtentu. Et tunc evidentissimum est meritum omne actionum quantumvis sublimissimarum enervari, atque annihilari. Quis enim circumpedaneorum, in Domini sui dedicus, gloriam adversarii provehentium, auderet sibi ab hero suo, hujus nequitiæ gnaro mercedem polliceri? Quis militum partibus hostium studentium à duce suo stipendium efflagitare? Nonne illos omni jure fustes, cruces, equulei, & non congiaria manerent? Qua fronte igitur Christianus, in actionibus suis, non tam gloriæ divivæ, quam propriæ velificans æternas sibi retributiones, à Diribitore omnium justissimo polliceri præsumpserit? Quomodo illas Domino Deo suo consecrabit, quas alteri obtulit victimas? Quomodo fraudis suæ ac apostasiæ conscius Judicem non expaveseet?

Intentio prava noxia Matth. 6. 2. 5. 16.

XVII. Multò ante de iis ab eodem irrevocabili sententia edictum est: *Receperunt mercedem suam.* Quam illam? Nempe quam intenderant, nempe humanam, ac transitoriam; Humanam intenderunt, humanam mercedem id est caducam, ac bracteatam receperunt. Ille cum Pharisæo macerabat corpus jejuniis, attenuabat vigiliis, versabat rosarium in momenta singula; ut pius ab hominibus videretur, & visus est ab iis, non à Deo. *Mercedem suam recepit.* Alter eleemosynas elargitur, ut obtineat felicem successum in rebus transitoriis, in mercimoniis, in amicitiis contrahendis, obtinet, & recipit mercedem suam. Tertius disputat, aut etiam concionatur, ut habeatur sapiens, doctus, fœcundus, & habitus est. *Recepit mercedem suam.* Non superest quicquam, quod ultra speret à Deo. Habet mercedem, quam voluit, præmium quod habere noluit, non habebit. Voluit videri ab hominibus, & visus est; voluit placere, & placuit. *Recepit mercedem suam.* Locavit operas suas, virtutes suas, justitiam suam humanis oculis; ab iis mercedem non ab oculis divinis præstoletur. Nemo tam demens, aut effrons inter homines est, ut mercedem petere præsumat ab eo, cui nec in minimo commodare, aut deservire voluit; cujus gratia nec pedem movit, nec digitum contraxit; & à Deo spreto, ac despecto sperabit? Absit *Receperunt mercedem suam.*

XVIII. Multa præclarè gesserunt Romani sago, togaque; laudata exiit eorum justitia, exquisita prudentia, clementia celebris, invicta fortitudo, temperantia illustris, admiranda constantia, sed *Receperunt mercedem suam. Honor*, inquit S. Augustinus, *& gloria, qua Deus Romanos fecit illustrissimos, merces fuit bonorum operum, quæ egerant, nec est quod de summi, ac veri Dei justitia conquerantur.* Eximia fuere illorum opera, sed præmium se dignum retulerant. Gloriam ambierunt, & certè obtinuerunt, finesque imperii ad extremos orientis, & occidentis terminos prorogarunt. *Receperunt mercedem suam.* Æquissimus

S. Aug. l. 5. de Civ. dei c. 15

simus Deus nihil vitii, nihil & virtutis, citra supplicium, & præmium transmittit. Unde actionibus illis excellentioribus, quibus tamen cœlum debere non vult, congruam, extra cœlum remunerationem assignat, ut recipiant mercedem suam, sed non æternam. Ergo aliis placere non cupiat, qui capit deo, nec intentionis oculum in rem ullam creatam defigat; qui Creatoris in se amorem concitare desiderat. Timeat quisque, ne ipsi tandem dicatur: *Recepisti mercedem tuam.* Feciſti hoc & illud, sed recepisti; jejunasti, orasti, sed recepisti. Timeat ne perdat, quod operatus est, sed curet, mercedem plenam recipiat.

XIX. In dextera verò imprimis ob putredinem rumpitur, si ex mera consuetudine, seclusaque omni Intentione, ac pio motu fiat.

Opera ex consuetudine facta assimilantur jocis pueribus

Ejusmodi operarii subsimiles pueris reputandi His nemo inquietior totos dies huc illuc oberrant, nec unquam uno consistunt loco, nunc equitant in arundine longa, nunc volantem plumam agitant; jam domunculas in arena moliuntur, jam per sedilia sursum deorsum saltant; ita sese plurimum fatigant, in summo otio nunquam otiosi. Verum quis fructus eorum studiorum? Muscas captarunt, litus ararunt, cribro lympham hauserunt irritis sudoribus.

Hi operarii, seu piscatores similes iis, qui interdum in mensa fallendi temporis gratia cochleari piscantur. Quid referunt? Manus lividas, & plagas sæpe repetitas.

XX Oseas Vates æquat tales Operarios bobus triturantibus: *Vitula docta diligere trituram.* Etsi enim ab opere solvantur, redeunt ultro assuefacti huic operi, & pellecti spe pastus. Nam subinde os mergunt avena, sicque ultro perpetuant hunc laborem, jugumque haud inviti sustinent. Haud secus agunt nonnulli, qui ex mera assuetudine sacra frequentant, peregrinationes suscipiunt, à vetitis cibis abstinent, ut *vitula docta diligere trituram*; quia nimirum & ipsi os avena mergunt, solatium quodpiam inde venantur, aut morem in naturam traduxerunt.

Item bobus triturantibus Oseæ, 10. v. 11.

XXI. Hos omnes seriò per Aggæum Vatem alloquitur Dominus: *Ponite corda vestra supra vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregavit, misit eas in saculum pertusum.*

Agg. 1. v. 5. 6.

Examinate, expendite, quem fructum retuleritis ex tot confessionibus, communionibus, jejuniis, aliisque piis operibus? An multò fortiores in spiritu, perfectiores in patientia, mansuetudine, dilectione? Exigite an non æquè jejuni ut ante, peracerbi ut ante, inconstantes ut ante? Quid causæ? Non aliud, quam quod ad sacrum Tribunal sine debita contritione, &

examine

examine, ad mensam Angelicam citra famem, & æstimationem; ad verbum dei audiendum sine animo discendi, aut corrigendi vitam vestram accesseritis, Ideo *Comedistis multum* &c.

Id ne deinceps eveniat imitemur S. Petrum, & in Verbo Domini laxemus retia nostra. Laxemus inquam in verbo Activo gratiæ divinæ cooperando: In Verbo Passivo opera nostra meritis Christi ac sacratissimæ passioni ipsius conjungendo. In Verbo Neutro, non faciendo vel minimum, quod eidem non consecremus. Exequamur divinissimi Pneumatis mandatum ore Pauli evulgatum: *Omne quodcunque facitis in verbo, & in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.* Et rursum: *Sive manducatis sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite.* Omnia, omnia. Sive edendum, sive potandum, sive aliud quidpiam patrandum, omnia fiant ut Deus honorificetur, nullus hominum lædatur. Prima vox, prima cogitatio, primus affectus divinam resonet laudem, ignitam ad sidera dirigat sagittam. Id si fecerimus copiosissimum meritorum piscatum polliceri poterimus, quem nobis largiatur, in cujus Verbo suam Petrus fortunatissimè laxavit nassam. Fiat. Colass. 3. v. 17. 1. Cor. 10. v. 31.

CONCIO XXXIV.

IN DOMINICAM V. POST PENT

Qui iratscitur fratri suo reus erit judicio. Matth. 5.

ARGUMENTUM.

Canis servire doctus.

Canis servitia & encomia

ETsi animalium quodvis ad obsequium hominis conditum sit, inter alia tamen canis fidelissimus, obsequentissimusque invenitur. A. Cætera multo labore, ac studio curantur, & ad servitia, usumque domesticum imbuuntur; at canis à natura ipsa in eum finem effictus experientia teste esse comprobatur. Quis enim famulorum amantior Domini sui? Quis comitum fidelior? Quis custodum incorruptior? Quis excubitorum illo vigilantior? Arcet extraneos, domesticos tuetur, sequitur vivos, sepultos vix deserit, pulsatus verberibus blanditur; vulneratus, & cæsus ad unum popisma, aut verbulum

bulum mitius, omnium immemor injuriarum revertitur.

Ira cani collata D. Chrysost. h. 30. ad pop. Ant.

Quod canis est inter animalia, id inter affectus hominis Doctore D. Chrysostomo, est iracundia. *Canis impudens est, ait, ira, sed legem audire discat. si fuerit canis in grege ferox, ut non obediat jubenti pastori, nec ejus vocem audiat omnia perdita sunt, sed si te audire didicit, ale canem, utilis est contra lupos, & pyratas.* Ad eundem modum bilis si subserviat, & obsecundet rationi omnia salva nobis, & integra persistent; at si efferetur, & catenam detrectet, cuncta manent periculis, morsibus, vulneribus obnoxia. Ut itaque ex hoc cane fructum capiamus, servire eum nostris commodis edoceamus.

Partitio.

Ira utilitas S. Bern. in suppl.

II. S. Bernardus tractans de hoc cane triplicē docet ex eo fructum nos reportare posse. Verba illius sunt: *Ira tripliciter nobis servire, & utilis esse potest. Servire nobis, servire proximo, & servire DEo. Servit nobis cū mortificatur, servit proximo dum, æmulatur, servit Deo dum zelatur.*

§ I.

Iracūdia nobis deservit mortificata.

Ira mortificanda

III. Prima servitus hujus canis est domestica, *Servit* inquit *nobis dum mortificatur*; ne nimium m prosiliat in furorē.

Lepidus Dominorum, seu potius famulorum malè feriatorum lusus est, qui cum cane domestico latrabili instituitur. Dicitur illi canis est mortuus, & illico resupinatur, claudit oculos extendit pēdes, perinde ac si mortuus esset. Vellicatur interea per aures & jacet immotus; fodicantur in oculis, quasi à pica, nec se movet; vexatur tanquam à crabronibus in naso, & latet; trahitur in cauda tanquam à vulture, nec se proripit; ceditque hic lusus in commendationem, & amorem illius ampliorem.

Nec caniculo nostro innato, iracundiæ dico, desunt crabrones, picæ, vultures, qui illum concitent. Sæpe sæpius venit frater delitigantium, & convitiis ad velitationem jurgiorum lacessit; non infrequenter soror alia subsimilis illi Moysis cum uxore ejusdem altercantis nos calumniis impetit, hisque aut similibus convitiis infestat: Tu Æthiopissa, tu Furta, tu Titio Erebi, tu probrum ac dedecus nostrum. Identidem advolant alii, atque alii vultures, picæ, crabrones, suosque figunt aculeos. In his omnibus, si nos perinde ac emortuos præstiterimus, serviet id nobis ad amorem, gloriam, plausum, ac triumphum apud homines, cœlitesque evincendum.

Mansuetudo proxeneta amoris

IV. Edico primò, deserviet nobis si mortificetur ad amorem conciliandum. Grata enim est omnibus bonitas, eaque si morum mansuetudine, & affabilitate sermonis stipetur, modestiæque adjungatur gratia, incredibile est, quantum amoris exaggeret imperium. Gratus est omnibus vir literatus, politus, sanctus; at si comitatis satellitiò valletur, multò gratior, amabiliorque habetur. Grata est mulier casta, & pudica: *Gratia super gratiam*, ait Ecclesiasticus, *mulier sancta, ac pudorata*; verum si lenitas animi, si suavitudo pronuntiationis, si blanditiæ totius corporis accesserint, citra ullam comparationem jucundior, suaviorque. Gratus juvenis sedulus, solers, obsequens; gratior multò si vel studia sua, vel obsequia gratiis, ac

Eccl. 26. 19

lenociniis insuper cohonestaverit. Unde Ecclesiasticus idem seriò eam commendans ait: *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* Id est, ut Jansenius exponit: Propter mansuetudinem amplius amaberis, quam ob gloriam quampiam, splendorem mundanum, dotes naturales. Etsi enim dotes aliæ, dignitas, excellentia ad amorem alliciat, multò tamen insignius id præstat mansuetudo, animique lenitas. Quemadmodum enim detestamur in ore spumas, in oculis minas, ferreas in animis manus: ita deperimus leni animo natos, mitesque moribus. Quemadmodum efferati exasperata nube supercilii non nisi Furias Erynniesque demerentur: ita comitatis blandimentis Gratiæ, Chariteſque conciliantur.

Eccl.3.19. Jansen.h.l.

V. Ajo iterum: Servit canis iracundiæ mortificatus ad virtutis, ac gloriæ incrementum. Etsi enim laudabilis ac inclitus sit, qui pollet viribus; qui diripit, ac in potestatem redigit urbes; qui trophæa figit, & præsidiis obsidet regna, attamen, Sapiente contestante, longè glorioſior est, qui animum injuriis lacessitum continet, ne temere moveatur, aut mitigat commotam. Nec ille magnanimus proclamandus, cui micant è casside fulgura, cui tonant è dextera fulmina, ex cujus oculis sagittæ evibrantur; sed cui serenum ridet ab aurea quietè pectus, cui moderatio in fronte lucet, quem nec ira, nec trepidus timor inquietat; nec ulla mentis seditio movet. *Melior est vir patiens viro forti, & qui dominator animo suo expugnatore urbium.* Regibus imperat hic regulus, & ipsis orbis. Imperatoribus palmam præripit hic stoicus. Si æs, aut ferrum existimatur vir robustus, ac validus viribus; argentum, & aurum reputandus tollerans, & perpessititius. Vel si aurum, & argentum ponderat opinione vulgi miles Centaurcius; profectò Adamantes, & Onychinos heros æquanimis. *Melior est patiens viro forti &c.* Concinit Lyricus: *Latius regnes avidum domando Spiritum, quam si Lybiam remotis Gadibus jungas; & utergue Pœnus serviat tibi.* Æternant multò excellentius comitatis, benignitatisque insignia, quam virtutis bellicæ monumenta. Nec magnanimum quidpiam, aut glorioſum reputandum, quodnon insimul pacatum fuerit, ac placidum.

Mansueti vere fortes & glorioſi

Prov.16.

Horat.l.2. od.

VI. Deservit nobis ira dum mortificatur ad victoriam, ac triumphum. Quando nimirum exciti jurgiorum, ac convitiorum classico ab adversariis nostris sola mansuetudine loricamur, nec bellamus, nec balamus quidem. Etenim eo ipso alterutrum citra dubium consequimur, ut vel inimicum mansuetudinis nostræ exemplo in mitiorem refingamus, aut per despectum acrius in illum vindicemus. Necquicquam enim intolerabilius accidere illi potest, quam nos gerere animum omnibus contumeliis altiorem. Estque hæc victoria victoriarum glorioſiſſima, quæ sine ferro & sanguine, solo mansuetudinis vellere obtinetur.

Mansuetudo victrix

VII. Nostis, quia legistis & audistis, Assertorem nostrum tum Leonem, tum Agnum deprædicatum, & viciſſe

viciſſe tum Agni, tum Leonis indutum exuviis. At quæſo quonam in certamine glorioſius triumphavit? ubinam plures aut hoſtes proſtravit, aut ſpolia legit? Sanè in Agni vellere. Nam cum Leonis imaginem prætulit, vicit ille quidem, ſed quem oppreſſerit hoſtem, latet. *Vicit Leo ex tribu Iuda.* Apoc. 5. 5. Verũ cum more Agni, & quidẽ emortui decertavit, vicit zabulum ipſum, & peccatum. *Ecce Agnus DEi, ecce qui tollit peccatum mundi.* Ioan. 1. 29. *Ideo victor,* (fatur de eo S. Auguſtinus,) *quia victima. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* Iſa. 16. 1. Quia nimirum coram tondente ſe non aperuit os ſuũ, *ideo intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam.* pſal. 17. 14.

VIII. Noſtis itidem prænuntiatum eſſe Apoſtolis orbis terrarum imperium. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Pſal. 44. 17. Perarduum profectò opus piſcatores mundo præeſſe, & clavum tenere imperii. Si armorum itidẽ genus noſſe intenditis, quo ſubjugerunt, ſcitote non alio, quam manſuetudine Agni. *Ecce ego Mitto vos ſicut oves in medio luporum.* Matth 10. 16. Imbelles, inermes, rudes, armati duntaxat ovina comitate, mundi domitores edomuere.

IX. Noſtis glorioſiſſima nonnunquam Iſraelitas contra Philiſtym victoria potitos. *Intonuit Dominus fragore magno in die illa ſupra Philiſtiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filiis Iſrael.* 1. Reg. 7. 9. Quæſo vos quibuſnam iterum machinis, aut cœlum in ſuas partes, aut hoſtes in terram protraxere? audite: *Tulit autem Samuel Agnum lactentem unum, & obtulit illum holocaſtum integrum Domino.* Ibid. Stupeo hic ego Samuelem tam parcè Domino ante conflictum litantem. Cur enim non Leonem immolat? An quia emundus ex lege. Cur non Taurum, qui hoſtium internecionem ſuis & cornibus, & mugitibus præſagiret? Quid Agnello cum cœdibus? Nimirum edocere, nos voluit Samuel Eccleſiam ſuam de hoſtibus ſuis cedendo, non cœdendo, balando, non bellando triumphare. Non ita rugitus hoſtes terret, ac manſuetudo. Balatu hoſtes & excivit, & excidit, vel tanquam tonitru in fugam vertit. Nempe ubivis triumphat Agnus, vel inſtar Agni canis emortuus, & ad genium Agni recuſus.

Davidis manſuetudo

X. Videamus idipſum, tanquam in amphitheatro orbis, nobis in uno, alterove propoſitum.

Et quidem hic princeps jure dignitatis, ac prærogativæ locus debetur Davidi ſubinde regi decantatiſſimo. Superi quos ille adverſarios, quos calumniatores, quos vitæ capitaliſſimos hoſtes non eſt perpeſſus? Aulicorum turba, perinde ac crabrones ipſum aculeis pungebant, & regi identidem inſuſurrabant: Uſquequo pateris Domine mi Rex filium Jeſſe ſuperſtitem, qui non niſi ſibi regnum, tibique necem meditatur. Unde ipſe: *Circumdederunt me ſicut apes.* Pſal. 11. 7. Græcus legit, *Circumdederunt me ſicut crabrones.* Chaldæus, *Circumdederunt me veſpæ*, mordentes, pungentes, detrahentes. Alii ex Satrapis tanquam aves altius evolantes ſuo itidem roſtro vellicabant crocitantes: Rex Sereniſſime viperam nutris in ſinu, hominem perduellem confœderatumque principibus externis, ad latus tuum ſuſtines, ſi vitam tuam amas, ſi poſteritati conſulis, tibi

prospice, & ad eum profligandum assurge. De his enuntiavit Ecclesiasticus: *Eccli.10.20.* *Incogitatione tua regi ne detrahas, & in secrto cubili tuo, ne maledixeris diviti; quia & aves cœli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas annuntiabunt sententiam.* q. d. Cave ne summatibus detrahas, quoniam aulici ipsorum perquam Coryceæ aves sunt; quæ convitia tua ingenti cum auxesi deferent. Rex ipse jam ut Vulpes, jam ut Leo infestabat. Ut vulpes quando perfide, & nequiter sese illi conciliaverat; incautum, & improvisum invasurus pestilentius. Ut Leo cum populum universum, quasi ære Campano, contra illum evocaverat, quatenus quoquo modo comprehensum, vivum ad se, mortuumque deducerent.

In his omnibus quæso vos, obtestorque qualem se exhibuit crabronibus, qualem corvis & picis insultantibus? Audite: Semper silui, tacui, patiens fui, loquitur ipse. Qualem Regi vulpi, ac Leoni ferocissimo? Cum ipsum divina dispotione in manu sua habuisset, incolumemque dimisisset, id unum retro exululavit: *David canis emortuus* *Quem persequeris ex Israel, quem persequeris Canem mortuum.* Cur audis verba impiorum dicentium *David quærit malum adversum te.* Scito me tam parum tibi obfuturum, ac canem emortuum. Canis mortuus non latrat amplius, nec ego unquam vel verbulo tibi, tuisque injurius existam. Ut juremerito de eo interpretans hæc verba *D.Greg.h.l.* D. Gregorius affirmaverit: *Vere canis mortuus erat, qui non latrabat, non rodebat, qui non mordebat, sed in spelunca quasi mortuus delitescebat*; perinde ac si illi dictum fuisset mortuus est canis, ita tacuit, ita detrahentes nec allatrabat nec convitiabatur.

Quantam vero inde laudem ac gloriam retulerit nec tenuitas ingenii mei, nec linguæ facundia, nec latera sunt efferendo. Edicat loco mei ore suo vere aureo Chrysostomus, extollatque pro merito: *Egressus*, ait, *post Saulem magis exultavit, quam cum Goliath dejecisset, & ejus caput amputasset.* *Chrysost. hom.2.d. Saule & David* Siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc præda illustrior, hoc trophæum gloriosius. Illic funda & lapide, & ense habebat opus, hic vero prudentia & ratione cuncta peracta sunt, & sine armis contigit victoria, incruentumque trophæum erectum est. Itaque rediit non barbari illius caput gestans; sed animi motionem mortificatam, & iram enervatam; spoliaque hæc non reposuit Hierosolymis, sed in cœlo. Rediit non Saulis diademate redimitus, sed justitiæ corona insignitus. Rediit non paludamento regio circumdatus, sed humanitate amictus. Rediit ex spelunca ea cum gloria, quanta nunquam tres illi pueri ex camino ignis ardentis. Quemadmodum enim illos non adiisset flamma ignis deforis eos allambentis: ita nec hic incendio deflagravit ira in præcordiis suscitata, & à conspectu inimici, militumque suorum adhortatione tanquam auræ flabellis animata. Inde factum, ut jam non choris mulierum, ac virginum, sed angelicis cœtibus concinnentibus ascenderet glorioſissimus triumphator. Inde factum ut ipse hostis tantæ virtuti applauderet, & tanquam ex Tripode illi sceptrum vaticinaretur: *Nunc scio quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum*

num Israel. Inde factum, ut illustriorem multo de adversario referret palmam, quam si è vestigio trucidasset illum. Ita nimirum illi deservivit ira mortificata, ita emortuum sese canem effinxisse juvat.

1. Reg. 24. v. 21.

Eremitæ cujusdam patientia

Forer Vitæ Christi p. 4.

XI. Nec minus, celebris est patientia Eremiculæ cujusdam, à P. Forero in Vita Christi D. relati, & in tantum mansueti, ac pacati, ut nunquam quantumvis gravissimis lacessitus injuriis, urgentibusque pressus incommodis visus sit ulla perturbatione commoveri. Innotuit id cuidam ex illis, qui non tantopere militant cõtra extraneos, quam domesticos, qui non tam in arena, quã de crumena disceptant; qui ut in alios insurgunt corpore, ira in animo succumbunt vitiis. Hic periclitaturus hausta de præfato Tistasto famam, ultro hominem accessit, & pudendis eum è gurgustio suo evocavit convitiis. Ad quæ quum ille saxo similior persisteret, & amice hospitem salute donaret; caniculus, quem unum in deliciis habuit vitio sibi agnato tanquam hostem allatrare cæpit. At miles illico eũdem stricto gladio transverberatum calce contrivit. Hic jam rebatur sudum hoc cœlum in nubes coiturum. At Anachoreta salva serenitate hominem deprecari, ne excandesceret, naturæ id vitium in cane fuisse non malitiæ. Miles sentiens hac ratione se incudem tundere, aut canem mortuum lacessere, ad hortum sese viri convertit, in eoque omnia susque deque vertit, olera partim gladio diffidit, partim pedibus proculcat, abusta minora radicitus evellit, grandioribus aut verticem infringit, aut brachia detruncat. Hæc inter respicit Tistastum, qui ubi furioso animitus compassus esset, tandem ne silentio gravius exasperaret, ait: O Domine mea culpa, si ego non plantassem, non haberes occasionem irascendi. Victum quis jam credidisset furorem tanta viri mansuetudine; at ille ne quid intentatum relinqueret tugurium invadit, tecto spoliat, & quidquid obvium diruit. An non vel in hoc scelere latratum præstolari poterat plusquam molossæum? At ille velut canis mortuus obticuit, id unum efflagitans, ut post tantos labores panem sumere, vires que refocillare haud gravaretur; & tum si videretur pergeret in residuo demoliendo. Quid hic miles? Obstupuit virtutem Anachoretæ, & in se reversus sceluisque suum deprecatus, ejusdem factus est alumnus. Tantum profuit hic canis mortuus famæ, tantum virtuti Cœnobitæ, tantum conversioni militis efferati. *Servit dum mortificatur.*

Patientiæ Exemplum singulare

XII. Verum hac tempestate perquam singularis hæc virtus, & Cygno rarior atro. Insilit hic canis in ipsos Dominos, eosque perinde ac Actæonem dilaniat. Invenire est bene multos, qui vix verbulo perstricti scintillant in oculis, flagrant in genis, fulgurant in vultu, ore minas, manu cædes impotenti eructant furore. Invenire est, quos umbratiles turbant suspiciones, nec minus quam color rubicundus Taurum incitat, aut ursos mappa proritat, aut

Ira rabies describitur

Leones tedæ, gallique cantus percellat, efferantur. Hic mille fora ſtruunt, in quibus & Chymeras vident, & Hypocentauros aliaque figmenta arbitrantur. Invenire quibus nihil eorum, quæ domi ſunt, vel quæ dicuntur ſint ad guſtum, nihil ſatis ad arbitrium eorum compoſitum; menſa videtur ſtrata negligentius, cibi inſipidi, pocula non nitida, diſpliclet riſus, vox tonitru reputatur. Quin & inanimis quoque rebus indignantur, ventos appellant furioſos, ac phreneticos cœlum immite horologium ſideratum, vel quod præcipitet paulum, aut tardet. Invenire, qui toti jacent in fermento, & quaſi aut ſulphure ſe abluiſſent toti crepant, vel quaſi è Timonis Miſanthropi ſchola prodiiſſent, non niſi baculos, cultros, lapides circumſpiciunt.

Credidit Plato ſi vultus, atque oris deformitatem in ſpeculo conſiderarent fore omnino; ut viſo tam enormi monſtro mores, vitamque corrigerent. Ego dico, ſi vultus efferati viri, aut mulieris in aere ſpectandus proponeretur, ruſtici cuncti æris campani pulſu quaſi horrendam tempeſtatem, aut grande malum propulſaturi ad Eccleſiam properarent. Hoc certe non eſt ſervire; ſed dominari in eos canem; nec jam laudem, gloriam, commendationem meretur; ſed ſummam ignominiam, ac dedecus accerſit. Servit nobis cum mortificatur, & amore Crucifixi omnino jugulatur.

§ II.

Ira ſervit proximo.

XIII. Sed nunquid noſtris duntaxat uſibus deſervit? Abſit. *Servit proximo dum æmulatur.* Falluntur, ait D. Gregorius Magnus, *qui putant juſtam & honeſtam iracundiam tantum concedi hominibus in ſe ipſos, non autem in alios.* Hallucinantur veteris Philoſophiæ profeſſores, & virtutis buccinatores ſtoici propugnantes nullum genus iræ cadere in ſapientem, in cujus animo perpetuam quandam molatiam, abſque ulla fluctuum agitatione eſſe volebant. Exerrant alii Originiſtæ qui quandam apathiam, ſeu impaſſibilitatem introducere ſunt conati, ne fortè pectus boni viri, ut ſacrum domicilium, in quo DEus reſideret, ſtrepitu, furoreque compleretur. Falluntur hi, aliique teſte præfato Authore, ſiquidem imprimis mutuæ charitati contraveniunt. Hæc enim uti non minus alieno bono quamſuo lætatur; ita nõ ſuis duntaxat, ſed alienis ſuccéſet delictis, ut ad meliorem eos frugem reducat. Hæc quemadmodum virtutem propriam exacuit; ita etiam alienam. Tolle cotem hanc nec in cãpo, & acie ullum fortem, nec in prœliis ducem palma, & triumphis dignum! nec ſeverum in politia magiſtratum; nec in foro, curiaque bonum, probatumque oratorem comperies. *Si ira non fuerit*, loquitur Os aureum, *nec doctrina proficit, neque judicata ſtant, neque crimina compeſcuntur.*

Ira prodeſt proximo.

S. Greg. l. 5. mor. c. 30.

S. Chryſoſt. h. 11. in Matt.

XIV. Hanc virtutem creditur commendaſſe Pſaltes ſereniſſimus, quando cecinit: *Iraſcimini & nolite peccare.* Idem enim eſt ex ſententia multorum Interpretum, ac *Iraſcimini ne peccatis.* Lentitudo enim deputatur noxæ, cum Dei honor, virtus, & commune bonum à nobis expoſtulat, quatenus juſtam iram concipiamus. Neque enim juſtus

Pſa l. 4. v. 5.

justus esse perseverat, qui cũ viderit delinquẽtes, non incitatur ad coercendũ. Necesse est enim justo, ac bono displicere, quæ prava sunt, & cui malum displicet moveri, cũ id fieri videt. Ipse enim peccati aspectus indignus est, & bilẽ concitat. Qui autem non movetur omnino, aut probat delicta, quod est iniquissimum, aut molestiam castigandi refugit; quam sedatus animus, & quieta mens aspernatur, & renuit; nisi stimulus iracundiæ incitaverit, inflammaveritque. Qui autem intempestiva lenitate sæpius quam par est indulget, is plane audaciam nutrit ad majora facinora, & sibi ipsi æternam molestiarum materiam coacervat.

Letitur nimia in superioribus efficit

Quo in genere imprimis rei sunt: & ab officii sui munere deflectunt, qui curam aliorum gerunt, alios gubernant, proximumque ad meliorem frugem promovere obstringuntur. Hi enim si forte inertia, aut nimia animi timiditate, & mollitie, aliena vitia dissimulant, nec justo animi motu insequuntur; quo sanare eadem potuissent; iisdem sese flagitiis obnoxios reddunt; peccantque non irascendo. Et peccatum quidem non unum est, ac simplex, sed varium, & complexum; si ex illa dissimulatione increscat audacia, & janua ad peccata insequentia aperiatur.

Achab penitus ob conniventiam

XV. Eam ob rem ore Prophetæ reprehendit Dominus Achabum Regem, quod Benadat homini impuro, scelerato, ac blasphemo intempestiva mansuetudine pepercisset: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Dissimulare enim & connivere, aut æquo ferre animo, quod puniendum est, non est virtus hominis mitis, ac mansueti; sed vecordis, ac dissoluti animi scelus, *Quia dimisisti* &c, Eapropter pœnam, quam irrogare debueras ipse lues, cujus enim in te transduxisti delictum non puniendo, necesse est, ut portes mea stante Iustitia pœnam in vindicando.

3. Reg. 20. v 42.

Heli puritus ob entitudinem

XVI. Eam ob rem plexus est Heli, vir aloqui pietate, & multis virtutibus illustris; eo quod vel teneritudine amoris, vel ætatis vitio ignoraret filiis succensore, ad quævis flagitia, ac sacrilegia discinctis. Etsi enim lenioribus verbis ad honesta officia liberos suos cohortaretur, cuperetque esse quam optimos; Deum nihilominus iratum sibi sensit, & ejus ponderosa manu ictus, supremum vitæ diem funesta morte insperato obiit. Et ne aliunde casum illum sibi accersivisse putaretur, ex eadem cathedra, in qua erudire filios debuerat, decidit, cervicemque comminuit. Neq; enim lenem medicinam adhibere oportuit, ubi Gangræna vitiorum intima pervaserat, nec popysmate curandum, ac fascia byssina involvendum, quod ferro, & sulphure expiandum fuerat.

1. Reg. 4.

Eandem ob rem plurimi alii præpositi, ac parentes Nemesim sibi advocant; quod suo desint officio, quod Heli æmulentur; & verborum lenocinio corrigere nitantur, quod verborum acrimonia emendandum fuerat; quod ipsemet stupeant, frigidumque lentorem patiantur.

Iranon est præceps

XVII. Hæc tamen omnia intellecta velim de ira moderata, quam divinæ leges, quam ratio, & considerati animi

nimi prudentia definiunt. Cavendum enim imprimis est, ne clam prorumpens furor mentis oculos, perinde ac Polyphemo poetico effodiat. Non sit similis canibus illis, qui priusquam attenderint, utrum sit amicus nec ne, qui fores pulsaverit, aut strepitum ediderit, latrant; ut imperio rationis nō audito, ad pœnas repetendas omni impetu feratur, & Manliana exerceat imperia.

Præceptum hoc Salomonis divina mente fusum, & ad perennem hominum memoriam literis consignatum. *Non sis velox ad irascendum.* Ne sis instar fistulæ æneæ pulvere pyrio gravidæ, cui meritò lemma appingatur: *Si tangar*: nimirum strages, ac cædes enitar. Si enim vel scientillam concipiat, actutum tonitrum, ac incendium, stragem, & necem progenerat. Non *sis velox ad irascendum.* Ægri est ad suspicionem etiam tactus condolescere, atque exulare; & ægrotantis animi indicium, minis exacerbari, ac indignatione exardescere. *Ne sis velox ad irascendum.* Catena rationis, ac virtutis molossum tuum strictum coerce, ne animum tuum de placido mansuetudinis gradu proturbet; & in innoxios, aut ultra, quam par est, desæviat.

Eccl, 7. 10

XVIII. Hoc præceptum illustraturi Sapientes docuerunt sic aditum præcludendum iracundiæ, ut ipsa mora, & difficultate admittendi vis illius remitteret, impetusque infringeretur. Eapropter Veteres Romani lumina prudentiæ, & moderatissimæ humanitatis viri virgas, & secures Magistratui præferri solitas, circumligatas esse voluere, quatenus interposita illa mora, & tarditate solvendi, victor animus insinuantem sese, atque erumpentem indignationem coerceret, nihilque ab iis committeretur, quod æquitati; ac māsuetudini contraveniret.

Liv, dec. 1.

XIX. Idipsum opinor præ oculis habuit Athenodorus vir sapientissimus, qui Augusto Imperatori id consilii dedit; ne quicquam iratus diceret, aut aggrederetur, quin prius Alphabetum græcum integrum percurrisset recitando; ut hac ratione iracundiæ impetus ipso suo in ortu, magni animi prudentia, opprimeretur.

Et hic perpendere lubet Aphorismum D. Chrysostomi: *Si ut audire discit ale canem.* Jucundum id, ac perutili venatori, si canem inclamet cave, & non insequatur; *harab*, & non laniet feram, noli tangere, & obsecundet. Jucundum item Deo, & hominibus spectaculum si ira maneat sub potestate rationis, nec unquam excusso lupato in torvitatem duram, ac pœnitendam erumpat.

Chrysost. ubi sup.

XX. Scribit Polibius ad Antiochum Epiphanem Alexandriam obsidione premen- *Polyb.*
tem, atque eo articulo patrocinio pupuli Romani gaudentem missum fuisse Legatum è Senatu cum imperio, ut recedere. Verum eo moras nectente, ac dubio quidnam faceret, Scipione, quem fors manu tenebat, Antiochum circumscripsisse, dicendo: *Hic tibi deliberandum in hoc circo, an Romanorum hostis esse velis.* Non præteribis hanc lineam, donec id definias, atque decernas. Eapropter Antiochus territus illico mutata sententia recessit; & Urbi pristinam libertatem indulsit. At eundem modum unusquisque sese circumscribat, antequam furori immolet, sibique inclamet: Hic delibera, & cave ne Deum, ac proximum irrites, ne sine causa fulmine iracundiæ detones.

XXI. Id expresè in hodierno Evangelio vetat Dominus, cum dicit: *Qui irascitur fratri suo reus erit judicio.* In Græco additum est εἰκῆ id ist temerè, sine causa. Edictum itaque Domini est. *Qui irascitur* sine causa, sine ratione fratri suo *reus erit judicio.* *Ira sit justa.*

Unde

Chryſoſt. h. 11. in Matth.

Unde infert citato loco, Os aureum: *Ergo qui cum cauſa iraſcitur, non erit reus. Iuſta enim ira mater eſt diſciplinæ. Atque ita non ſolum non peccant, qui cum cauſa iraſcuntur; ſed è contra niſi irati fuerint peccant.* Hæc ille, ſervit itaque canis hic ratione coercitus nobis, & proximo. Sed non minus Deo. Qua ratione?

§ III.

Ira famulatur Deo

Ira in zelo Deo famulatur.

XXII. Subjungit tertium idem citatus Pater: *Servit deo dum zelatur*, quando nimirum ex motivo amoris divini, & promovendæ gloriæ ipſius quiſpiam exardeſcit. Cum enim amor in bonum dilectum feratur, ſi quis fortè obex occurrerit, connititur animus, atque obluctatur adverſus impedimentum, ut illud amoliatur, & arceat. Nec probi ſubditi nota eſt, qui ad abſtergendam Domino ſuo injuriam, quantum fas eſt, non aſſurgat; nec probi filii, qui parentis damna, ac contumelias non vindicat; nec bonorum conjugum, qui mutuum honorem, & decus ex zelo non procurant; nec amicorum quorumvis, qui invicem honorem ſuum non tueantur. Gloria enim principis redundat in ſubditos, & parentis in filios, & amici in amicum, & viri in uxorem. Nam ut oraculo enuntiat Salomon: *Gloria hominis ex honore patris ſui, & dedecus filii pater ſine honore.* Ita boni viri, & amantis Dei argumentum eſt, ipſius injuriam non intoleranter ferre.

Eccl. 3. 13.

Moyſes zelus Num. 12. 3.

XXIII. Incaluit hoc zelò Moyſes, vir alioqui *mitiſſimus ſupra omnes homines, qui morabantur in terra.* Quum enim de monte deſcendiſſet à conſortio ſermonis Domini, in quo quadraginta diebus cum Deo familiariter egerat, videretque populum ſuum à Deo ſuo perfidè deſciviſſe, ejuſque loco vitulum aureum erexiſſe, hoſtias immolaſſe, divinos ei honores tribuiſſe; tanto divinæ gloriæ zelo incenſus eſt, ut primò tabulas legis, divinò digito exaratas, in terram projectas confingeret, ratus indigniſſimum illum populum Dei legibus honeſtare, qui ipſum nequiter deſeruiſſet; ratus quoque hoc publicum teſtimonium dandum indigniſſimi facinoris, quo divina majeſtas fuerat violata, quo modo ſolemne erat veſtes in aliqua inſigni Numinis injuria lacerari. Deinde recens hoc idolum in flammas proturbatum, & turpiter deformatum, contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & adoratoribus illius epotandum dedit. Tandem tria ſupra viginti reorum millia Levitico gladio trucidavit, atque ita dei zelo incitatus injuriam, à ſuo populo Numini irrogatam, quodantenus ultus eſt. Et tamen idcirco redargutus non eſt, ſed novo fœdere cum adjutoribus ſuis Numini initiatus.

Eliæ Zelus

XXIV. Fervebat hoc zelo imprimis Elias Vates; qui populum ſuum ab idolorum cultu cum incaſſum ardentibus ſuis alloquiis revocare tentaſſet, cœlitus trium annorum cum dimidio ſiccitatem obtinuit, quatenus hac ratione populum ad fidem ſibi habendam diſponeret. Huic ſubinde fraudes, & ſimulationes Prophetarum Baal patefecit, populumque ad eos profligandos incitavit, eoque piaculo propiatus eſt Dominus, & cœ-

dem quadringentorum sacrificulorum ex zelo factam sacrificii loco habuit.

S Pauli zelus

XXV. Fervebat (ut alios mittam) hoc zelo gloriæ dei S. Paulus, eumque cum alias, tum imprimis in Elymam magum, conantem Sergium Proconsulem avertere à fide, effudit. Nam cum Proconsul accersitis Apostolis desideraret audire verbum Dei, resisteretque illis magus, quærens illum avertere à fide, repletus Spiritu sancto Paulus, intuens in eum in hæc, verba divino flagrantia zelo prorupit: *O plene omni dolo, & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas; & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus.* O fallax Ulysses, & omnibus mancipate flagitiis, fili jam non Numinis, cujus esse deberes ob generationem; sed Orci per impietatem, ac imitationē. Perspecta tibi probè est via Domini, liquida lex Evangelica stringens suo complexu omnem aliam legem Mosaicam, divinam, & humanam; nec tamen desistis architectari regnum Sathanæ, eidemque hostias litare innumeras. Ecce jam imminet tibi Nemesis divina, & qui alios in mentis cæcitatem, ac errorem seducere satagis, jam ipsemet cæcitate plecteris, ut vel ex tenebris ad lucem pervenias & resipiscas. *O plene omni dolo* &c. *Et confestim*, Subdit textus, *cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat cui manum daret*: Hæc pœna plurimum profuit Sergio, ut admirans super doctrina Domini, & prodigiis patratis illico animum ad credendum adjiceret.

Act. 13. 6. &c.

Ibid.

Talis affectus in cane hoc non tam mortificandus, quam nutriendus. Canis domesticus simulatè emortuus ubi inaudit lupus, proripit sese, latrat, aut etiam invadit, ad mordet, lacerat: æqua ratione, si audiatur Lupus quispiam in civitate, aut oppido quopiam, qui vel exemplo pravo, vel doctrina perversa noceat, arguendus est, & exagitandus. Si vos patres familias nacti estis famulum, aut famulā in moněta prope singula, aut divinis mysteriis perimprecationes injuriosos; aut cultū Dei nihil pēsi habētes; aut alios adsequiorē vivendi normam solicitantes, nonne & vobis murmurandum, nonne latrandum est. Si vestri filii degenerant à legibus avitis, si blasphemant, si fas & æquum videant, non jam murmurandum sed fulminandum vobis est, non vulgaribus de nemore virgis, sed vel ferreis de clibano utendum est. *Servit Deo cum zelatur.*

Zelus ex amore procedat

S. Leo Ep. 84.

XXVI. Sed & canis huic opus est instructione, ne nimirum privatis ducatur affectibus, ne impotenti motu, & citra scientiam feratur; ne odii aut crudelitatis pruritu agitetur. Non præferat zelus vester unquam in vexillis suis aut Ursum, aut Tygridem, aut belluam quamvis aliam, sed Agnum vultu Leonino formidandum. Nobile illud D. Leonis Pontificis acroama est: sic *adhibenda est correptio, ut semper sit salva dilectio.* Sic lucense iniquitati, ut semper consulere memineris humanitati. Nunquam zelus tuus inflammatur in altari, terminetur in sulphure. Non naturæ unquam inimicus, sed culpæ infensus sit animus;

nec

nec insectetur homines, sed vitia.

XXVII. Ingresso quadam festiva luce Synagogam Christo Domino, occurrit casu, aut ultro etiam homo habens manum aridam. Concurre illi co Pahrisæi livore pleni invigilantes, num hac die sanaturus esset ægrum. Perspexit probe Dominus fibras præcordiorum intimas malevolētia Colchica imbutas, interrogavitq; eos liceretne sabbathis benefacē? an non? salvare animam, an perdere Ad quæ illi subticuere. At ille: *Cum ira circumspiciens eos contristatus est super cœcitate cordis eorum.*

Mar. 3. 5.

Cajet. h. l.

Videtur hoc loco Evangelista duos in Christo JESU manifestare contrarios affectus, nempe miserationem, & indignationem; iram, ac masuetudinē; austeritatem, ac lenitatem. Sed quomodo hæc in unum pectus simul cadere potuere? Respondet Cardinalis Caietanus: *Duabus propositionibus usus est IESVS, ira contra vitium, condolentia ad homines; ut intelligas non iratum saviendo, sed condolendo.* Ex quo pronum est intelligere, in quam diversa objecta præfatis affectibus collimaverit. Etenim cum aliud in homine sit natura, aliud vitium, ita Christus duo in peccatores spicula jecit, quando *circumspiciens cum ira contristatus est*, ut unum miserationis in naturam dirigeret, aliud justæ indignationis, ac zeli, in vitium detorqueret; *ira & zelo contra peccatum, condolentia ad homines usus.*

Ravis.

Alconis sagittarii deterrita

XXVIII. Celebrat præter alios Ravisius Cretensem Alconem sagittarium tam peritum; ut cum Draco ejus filium invasisset, tanta arte direxerit sagittam, ut ea in vulnere serpentis deficeret, & ad filium non perveniret; simulque & illum perimeret, & hunc servaret incolumem.

Hilaret ser f. 6. post Cin.

Tantundem agendum nobis est inquit Mauritius Hilaretus, quoties proximum nostrum culpæ Draco spiris suis involutum tenet; ut quanta pussumus dexteritate, in Draconem intorqueamus jaculum, proximo autem nihil offensionis inferamus: *In inimicis occide errorem, sed fove charitatem*, inquit ille. Qui hoc præstiterit, illi felicissimē suus cadet jactus, & non jam ementita apotheosi cum alcone pro filio vindicato donabitur; sed vero verius cum Elia zelatore gloriæ Dei supra æthera omnia evehetur.

In hunc modum si edomuerimus, atque instruxerimus, canem domesticum, nobisque agnatum, serviet nobis, serviet proximo, serviet ipsi Deo. Serviet nobis in laudem, victoriam ac gloriam; serviet proximo ad correptionem & emendationem; serviet Deo ad injurias ipsius ulciscendas, cultumque promovendum.

Id nobis elargiatur Agnus occisus ab origine mundi; id nobis impetret Virgo singularis inter omnes mitis.

Amen.

CONCIO. XXXV.

IN DOMINICA VI. POST PENT.

Et manducaverunt, & saturati sunt. Matt. 8. v. 8.

ARGUMENTUM.

Panis Salutaris.

NOn omnis panis homini conducit, nec quivis explet famem, ac appetitum ipsius A. *Suavis*, ait Sapiens, *est homini panis mendacii, & postea implebitur os ejus calculo.* Complutenses legunt: *Dulcis est homini panis mendax, & postea implebitur os ejus filiis.* Tigurina: *Dulcis est homini panis fraude paratus; at tandem os eius scrupulis implebitur.* Quemadmodum panis scrupulis lapillisque mixtus intuenti desuper sapidus videtur; sed masticanti molestissimus accidit: ita deliciæ, opesque fraude, & offuciis conquisitæ speciem dulcedinis præseferunt, at in fine exitiosæ deprehenduntur; ac conscientiam, quæ os animæ (quo illa loquitur) mille scrupulis, angoribusque lancinant, cruciant, excarnificant.

Panis duplex

Prov. 20. v. 17.

Panis fraudulentus calculosus

De simili pane enuntiavit Jobus: *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum interius.* Cibus nimirum delicatus, cui quispiam per gulam, ac intemperantiam suam inhiat, initio quidem suavis videtur, sed tandem in amaritudinem desinit. Omnis enim voluptas ciborum primum quidem dulcedine quapiam sensus inescat; at in exitu, per remorsum conscientiæ mordet ut coluber.

Iob. 20. v. 14.

Alius item Panis salutaris ac proficuus de quo Psaltes: *Panis cor hominis confirmat.* Panis ingenerat vires, virtutem acuit, omnia membra corroborat, ac solidat. Panis hic est labore proprio, industria singulari, modoque alias non iniquo partus. Hic enim verè confirmat, vegetumque, ac robustum hominem efficit. Verumtamen cum nihil tam salutare sit, cujus abusus non efficiat; videamus, quomodo & hic sumendus, ut prosit.

Psal. 103. v. 16.

Narratio.

II. Politicus quidam adumbraturus multiplicem usum & abusum, virtutem, effectusque panis, eundem diversis symbolis ad latus mensæ suæ depingi fecerat. Ex his.

§. I.

Simbolum primum enodatur.

III. Primum symbolum pro corpore continebat in campo purpureo messem copiosam in cornua inhorrescentem; adnexa clavi: *Hic ista efficit.* Vulgatum siquidem proverbium est: *Panis habet cornua.* Non quod de facto cornutus sit, sed quod eadem protrudat abundantia illius; super-

Panis habet cornua

superbiamque, fastum, arrogantiam, petulantiam ingeneret.

Cornu Amaltheæ

IV. Comminiscuntur Mythologi Deos munera sua in cornu inclusisse, (quod Amaltheæ indigitatum fuerat) Pandoreque obtulisse. Numquid illis saccus, aut vasculum aliud deerat? Numquid non honorificentius in carchesio, aut paropside ea præsentasset? Honestat quippe non modice munus ipsa manus cõferentis, ac instrumentũ, quo transfũditur. Quid itaq; mysterii, quod opes suas cornu incluserint? An inflare illud gestiebant, deprædicareque suam magnificentiam? Hoc hominum est, non Deorum vitium. An robur inesse opibus, perinde ac bisontibus figurabant? sed quid ea profuissent sexui evitato? Quid igitur? Dii non sunt siderati, norunt quid faciant? Quid itaque mysterii hoc Hieroglyphico involvebant? Non aliud sanè, quam quod panis copiosus agnata habeat cornua, eaque vel Caprorum, vel Bubalorum, vel Cervorum, vel unà omnium.

Opes cur in cornu datur

Caprorum ingenerant, dum saturati, & inebriati ad obscœna quævis se effundunt. Opum enim, ac abundantiæ individua prope pedissequa est Luxuria. Nam dum corpus per abundantiam refectionis resolvitur, cor ad inania, vel fœda etiam gaudia relaxatur. Nec facilè exæstuantis concupiscentiæ stimulos inhibere poterit, quisquis per abundantiam ad immolandum gulæ se discinxerit.

Abundantia vitia generant

Bubalorum, quia ut plurimum ex intemperantia in furorem aguntur, alios viribus impares impetunt, & ferocia sua confisi humana, divinaque jura proculcant.

Cervorum, dum ex abundantiæ frumenti, aut æris; vini, aut olei, ad vanam jactantiam, despectum aliorum pompam vestium assurgunt. *Vicina esse solet potentibus superbia*, Scribit S. Gregorius, *& pene semper rebus affluentibus elatio sociatur; quia & sæpe humoris abundantia duritiam dat tumoris.* Quemadmodum cornua generantur ex humorum abundantia; ita & elatio, præsumptio, superbia, ex abundantia panis. *S. Greg.*

V. Quis quæso Judaico rebelli populo cornua ingeneravit? Nonne abundantia? *Iuxta pascua sua*, ait Oseas *adimpleti sunt, & saturati sunt, elevaverunt cor suum, obliti sunt mei*, Cum tam largiter eos, ac prodigiosè per manna, coturnices, lymphamque de petra profluentem eos pascerem in deserto aridissimo, ac in pascuis uberrimis illos collocassem; saturi cor, & cornua erexerunt. Impleverunt illud, quod de iisdem alibi per Moysen conquestus Dominus: *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, impinguatus, dilatatus, incrassatus, dereliquit Deum factorem suum.* Panis, & copia erexit cornua. Quis itidem Nabuchodonozori, ut alii opinantur, cornua indidit, inque belluam transformavit? Nonne abundantia? Quis Jovi Amonio eadem aptavit? Qui Vitellio? Numquid non panis; Quis illis qui cornibus suis eventilarunt populos, regionesque depopulati sunt? Panis. *Panis habet cornua.* Unde in præsenti, familia tam præfracta, tam contumax tam refractaria Dominis suis? Unde nunc tanta protervia in operis diurnis, in ipsis pauperibus, stipẽq; *Osea 13. v. 6*

Deut.

ostiatim emendicantibus? Non nisi ex abundantia panis. *Panis habet cornua.*

Verum ô cornutæ belluæ nonne audistis; quo fulmine super vos detonuerit Psaltes serenissimus? Excidit vobis credo parum, aut nihil pensi habentibus divina oracula, ac fulmina. Evibret itaque rursum idipsum, & intone; eloquatur, quod ante vobis prædixit: *Dixi*, ait, *inquis, nolite inique agere, & derelinquentibus nolite exaltare cornu.* Nolite quæso incedere tamquam boves, habitantes fœnum in cornibus, nolite impetere alios petulantia vestra, nolite fidere opibus, aut viribus. Cur istud: Audite; quia cornua peccatorum conterentur: *Cornua Peccatorum confringet Dominus.* Auferet Dominus copiam, & vos ad inopiam reducet, ut vel hac ratione humilitati studeatis, quam in abundentia addiscere detrectastis. *Cornua peccatorum confringet Dominus.* Non vultis, ut ipse vobis tandem comminuat, vos illa in tempore deponite. Oderitis contumaciam, ut possitis nanciscí Dei, & hominum gratiam. Execremini proterviam, ut possitis obtinere libertatem perpetuam.

Psal. 74. v. 5.

Ibid. v. 14.

§. II.

Symbolum alterum mensæ proponitur

VI. Alterum symbolum in campo cohibuit nigerrimo, cui pro corpore parte ex una erat panis Gedeonis integros conterens exercitus; ex alia turba Judaica coturnicibus saginata; infra Epigraphe, *Sic officit, & interficit.*

Ex cessus ciborum officit

Memorat historia Judicum, quod ad animandum Gedeonem contra Madianitas, eidem præceptum fuerit hostium castra ingredi. Quod ubi fecisset, audivit militum quempiam, somnium referre proximo suo, in hunc modum: *Vidi somnium, & videbatur mihi, quasi sub cinericius panis ex hordeo volvi, & in castra madian descendere, cumque perveniisset ad tabernaculum percussit illud, atque subvertit, & terræ funditus coæquavit.*

Jud. 7. v. 8.

Ex libro Numerorum itidem constat rebelli populo Israelitico, & manna cœleste nauseanti, demissam esse infinitam prope multitudinem coturnicum, sed & unam iram Dei in eos detonuisse. *Adhuc carnes eranes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit cum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus, sepulchra concupiscentiæ.* Quamdiu contenti erant cibo uno, quamdiu abstemii tamdiu salvi, sospitesque mansere; at ubi voluptatum Ægyptiarum eos desiderium cepisset, ubi sese carnibus oppleverant, in cadaveribus bestiarum, ac volucrum mortem repererunt. Non Coturnices, sed Crocodilos quis dixerit fuisse illas volucres, quæ suas absumpsere convivas.

Num. 11. v. 31, 32.

VII. Hierogliphicum id omnis gulæ, tollere perimere, contrucidare illa novit, non saginare. Quod patravit in castris Madianitarum, ac Israelitarum idipsum etiamnum operatur in mensis Ganeonum. Morbus & Mors suam genealogiam, & incunabula à Morsu traxere. Si Adam abstinuisset, mortua fuisset ipsa mors, nec mortale evasisset genus

nus noſtrum. *Sic officit & interficit.* Hoc gladio Macedo, orbis domitor, hoc Holophernes provinciarum terror, hoc Philiſtinorum Satrapæ, hoc alii innumeri periere. *Sic officit, & interficit.*

VIII, Unde non otioſè vulgatum adagio eſt. *Plures occidit gula quam gladius.* Bene multi tum in juſtis bellis, tum in duellis, tum aliis in tumultibus ferro cadunt, plures tamen per exceſſum cibi, potuſque Comprobatum id oraculo Eccleſiaſtici conteſtantis. *In multis eſcis erit infirmitas, & propter capulam multi perierunt.* Exceſſus enim ciborum, potuſque, ſi non illico vitam eripit; conſumit, maceratque ægritudine diuturna, quoad tandem morte repentina conficiat. *In multis eſcis erit infirmitas* &c. Ut corpora ægra beneficio abſtinentiæ reſtituuntur; ita per repletionem relabuntur, an emoriuntur reſtituta. *In multis eſcis erit infirmitas.* Etſi enim natura homini taxaverit annos, dieſque vitæ, ſobrius tamen eos prorogare pollet per abſtinentiam, quos guloſus decurtat, ac imminuit per gaſtrimargiam. *In multis eſcis erit infirmitas,* Cum ſaburra, ac ſentina id commune habent cibi, ut ſi hiſce corpus, perinde ac navis illa nimium oneretur, minima exorta tempeſtates ſeu adverſitate mergatur, ſorbeaturque. Si autem hæc juſto moderatoque pondere gravetur rideat tempeſtate, perque decertantes feratur inconcuſſa procellas; & illud ſi remoderata diæta ac temperantia utatur, graviſſimarum etiam alterationum victor evadat. *In multis animis &c,*

Gula interimit

Eccli. 27. v. 33.

IX. Noverat id probè Politicus alter qui tres viros ſedulo indigavit, nec uſpiam gentium reperire potuit. Imprimis opificem gnavum, & gnarum artis ſuæ ad incitas redactum. Deinde conſtantem divini Verbi Auditorem impium, ac ſcandoloſum. Demum hominem Abſtemium præmaturè mortuum, aut è contra Helluonem ſola ætate gravem, ac recoctum. Hos inquit ille, quæſivi in Germania, Gallia, Italia Hiſpania, Polonia, & nuſpiam expiſcari potui; plurimos autem notavi ex ipſa oppletione repentina morte, in ipſo ætatis flore ſublatos.

Abſtemii longemi

X. Noverat id medicus ille, qui ab ipſa edoctus experientia definire præſumpſit. omnes prope homines confici, aut propter gulam, aut alterius cujuſpiam affectus inordinatam paſſionem. Hi ſunt Geographi, qui limites humanæ conſtringunt; Parcæ quæ nemini parcunt. Hi carnifices qui exquiſitis doloribus excruciatos conficiunt. Panis itaque nimius corpus gravat, morbos creat, vitam ipſam intercidit. *Hic officit & interficit.*

§. III.

Symbolum Menſæ Tertium.

XI. Tertium ab eo ſimbolum adumbratum erat in campo cœruleo, habens pro corpore panem communem cum amphora aquæ, & inſcriptionem: *Hic ſolus ſufficit.* Videtur hoc ſymbolum aſſumptum ex illis Eccleſiaſtici verbis: *Initium vitæ hominis panis, & aqua.* Quem locum alii ita interpretantur. *Summa humanæ vitæ panis.* q. d. Vita in pane ſita eſt, ſeu ad conſervandam vitam ſufficit panis & lympha,

Frugalitas cõmendatur

Eccli. 29. v. 28.

pha.

Dominus frugaliter suos habet

XI. Identidem apparasse Dominum suis fidelibus mensam extraordinarium legimus, verum semper fere in pane, & aqua.

Respexit inopiam alimentorum in populo Israelitico, & misericordia motus eundem reficere decrevit. Quo cibo? pane, & aqua. Vidit laborem servi sui Eliæ, viresque exhaustas ab itinere, destinavitque illico ad refocillandum illum Angelum. Quo apparatu? Cum quibus eduliis, bellariis, dulciariis? Non aliis, quam pane, & aqua. *Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ.* In hoc situm, consummatumque erat totum convivium. Cordi habuit, ut alios mittam, in novo testamento Paulum primum Eremitam, ita ut eum prodigiosè per annos sexaginta & ultra paverit. Qua alimonia? Panis dimidio. Ita cœlestis Oeconomus sanctos, electio, ac dilectos famulos suos nutrit; ita tractat amicos suos, & quidem ad societatem, ad contestationem omnem. *Commederunt, & saturati sunt.*

3 Reg. 19.

XII. Exadversum impii Helluones epulantur quotidie cum fulminato divite splendide, nec tamen famem explent. Apponuntur illis assa, & elixa, & frixa, è silvis, & montibus petita; volantia, ac natantia, sed inter hæc omnia esuriunt & sitiunt, non secus ac Midas inter aurum, Tantalus inter poma fugacia; nec Atticis bellariis, Græcoque meraco sitim, famemque extinguere pollent. Quia nimirum convivium supra convivium statuunt, cœnas cœnis connectunt, fercula apponunt quorum ne numerandi quidem, ne dum edendi est facultas; non ut famen repellant, sed ut ventrem laxius distendant. Quia nimirum non tantopere illos Dominus, quam illi semetipsos pascunt, lautiisque famem non tam repellunt, quam irritant; sitim non edomant, sed veluti oleo ignibus affuso anctius inflammant.

Abundantia non explet

XIII. Notaverat hoc magna & verè fidelis Prophetissa in Cantico suo Magnificat, cum Psalleret: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Adimplevit bonis temporalibus & æternis, terrestribus ac cœlestibus miseros; exhaustosque; at opulentos in divitiis ipsis destituit famelicos. Amplius enim sæpenumero expletur pauper fragmento panis; quam dives ficedulis, & phasianis. Condit illi fames crustam suavius, quam huic aromata ex tota Affrica, Lybiaque advecta: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Multitudo enim ciborum ut dixi, non tam placat famem in mensis divitum, quam proritat; non tam vires augmentat, quam extenuat. Quantum enim accrescit corpori, tantundem plerumque demitur Spiritui. Adeoque quisquis exoptat muneribus divinis pie, sancte, salubriter frui, is à multitudine ciborum abstineat, frugaliterque ipsis vescatur.

Luc. 1. v. 53.

§. IV.

§. IV.

Symbolum quartum discutitur.

XIV. Juxta istud aliud visendum extabat in campo niveo, & hoc exhibebat mensam Evangelicam hodiernam, pane, ac pisce instructam. Desuper illam manus protensa benedictionem impertiebat, circa eandem autem manus protendebatur, ad cœlum adnexum erat Lemma: *Hoc reficit nec deficit.* Quo ipso exprimere intendebat, omnem abundantiam, ac refectionem à divina benedictione, jugique gratitudinis scatebra redundare.

Benedictio Domini ditat Prov. 10 v.22.

XV. Primum patet ex Salamone in Proverbiis: *Benedictio Domini*, inquit ille, *divites facit.* Non casus non fortuna, non fraus, non usura, non rapina, quibus ditescere satagunt impii; non etiam industria, vel labor proprius; sed Dei favor, ac benedictio, est propria ac præcipua causa ditans, & replens in bonis homines justos.

Quis obsecro Abrahamum de Ur Chaldæorum in exteras, ignotasque eductum provincias, ad tantas opes, *Gen.12.v.2.* possessionesque provexit? Nempe, *Benedictio Domini.* Benedicam *tibi*, ait ille, *& magnificabo nomen tuum, eritque benedictus.* Quis Isaac, & Jacob tantis auxit opibus; vel inter Ægyptios; vel in terra Haran? Quis? *Benedictio Domini divites facit.* Quis Job afflictissimum, deperditum supra fastigium prioris fortunæ extulit? *Iob.42.v.12.* Quis? Audite: *Dominus benedixit novissimis Iob magis, quam principio ejus.* Quis alios sustinet, erigitque? *Benedictio Domini divites facit.*

Ubi hæc benedictio non est, ibi nihil prosunt cœtera, nihil succedunt operæ, & industriæ. Ibi verificatur illud Aggæi: *Seminastis multum, & inculistis, parum comedistis & non estis saturati, bibistis, & non estis inebriati.* *Agg.1.v.6.* Dei enim proprium est ditare, ac proinde ditescere volenti favor, ac benedictio Dei imprimis implorandus, tum pia, sanctaque vita promerendus.

XVI. Alterum itidem liquet ex hodierno Evangelio, in quo promissa gratiarum actione, exiguam alimoniam in tantam excrescere fecit quantitatem, ut septem panibus distributis, quatuor hominum millia refecerit, postque tot exaturatos viros, post expletam mulierem, ac parvulorum innumerabilem multitudinem, Apostoli septem cophinos ex reliquiis collegerint, impleverintque. *Et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas.* *Marci 8.v.8* Ita gratiarum actio seminarium factum est abundantiæ ciborum.

XVII. Hebræis edixerat Dominus: *Cum introduxerit te Deus in terram Chananæi, sicut juravit tibi, separabis omne, quod aperit vulvam Domino.* *Exod.13.* Quid sibi vult hæc separatio, & oblatio? Num Dominus donorum suorum avarus est repetitor? Neutiquam. Cur itaque primogenita sibi exposcit? Nempe, quia primogeniti ex gratitudinis affectu oblatio, non solum non amittitur; sed ipsum hoc munus, teste Lippomano, aperit vulvam ad ulterio-

Lyra. h. l. res fætus: Deus, inquit, *exigit primogenita, ut homines hac oblatione testentur gratitudinem suam. Testari autem gratitudinem opus est acceptissimum Deo, & invitat Deum ad majorem liberalitatem.* Semper enim gratitudinem comitatur abundantia, & quanto quisque se gratiorem Deo præstiterit, tanto eum liberaliorem experietur.

Matth. 25. XVIII. Apud S. Matthæum varia talenta distribuisse Dominum servis suis accepimus. *Vni dedit quinque talenta, alii duo, alii autem unum.* Ex his qui cum gratiarum fœnore dona retuleruut, amplioribus remunerati sunt beneficiis; qui nullum vel fœnus, vel gratitudinis signum exhibuit, privatus est omnibus. Illi beneficia beneficiis cumularunt gratitudine sua, hic vitio suo obnoxium se reddidit suppliciis. Nempe cum agro id Numen commune habet, ut pro una glande silvam rependat, pro grano mensuram bonam, & confertam, & coagitatam reponat. Cum sole, ut steriles campos intensius, ac intensius exurat, stagnantesque lymphas absorbeat, & exhauriat. Cum Oceano quod grata vicissitudine fontes refundat. Cum puteo, quod coronari cupiat.

§ V.

Symbolum quintum evolvitur.

XIX. Postremum symbolum Panem cum Manna Angelico præsentabat in campo viridi, Lemmate adjecto: *Hic tandem deficit.*

Vict. Antioch. in Mar. c. 8. Victor Antiochenus intentiones Domini circa hodiernum prodigium ad scrutinium revocans, autumat figuratum illud in manna cœlesti. Ait enim: *Quemadmodum Deus Optimus Maximus Manna Israelitas paverat: sic ne ea vice Patre inferior videretur (nempe Christus Deus) panes hic in deserto multiplicavit.* Ut ille panem cœlestem prodigiose depluit, sic hic non minus miraculosè dispensavit. Nec minus ab illa hæc cœlestis alimonia dici potuit, quum à manibus Christi, & incrementum, & benedictionem cœlestem acceperit. Liquidum porro est, quod Manna illud Angelico apparatum famulitio, sub auroram legeretur, soleque exoriente deflueret, ac evanesceret. *Cumque incaluisset sol liquefiebat.* Exodi 16. v. 21.

Hierogliphicum id crediderim epularum nostrarum. Quid enim vita nostra intuitu æternitatis, nisi aurora quæpiam in comparatione dici? Quid sibi electi? nisi Manna quodpiam, in quo prælibamus, ac degustamus munera, ambrosiamque nobis præparatam; conjicimusque, si tanta nobis præstat in hac valle lachrimarum, quanta daturus sit in die nuptiarum; si tanta captivis erogat in ergastulo, quanta largiturus filiis in palatio. At utut arrideant dapes corpotalis refectionis, evanescent perinde ac Manna, ubi dies æternitatis illuxerit, ac sol justitiæ affulserit. *Hic tandem deficit.* Cibus caducus. Imitator licet sardanapulum in luxu ciborum, Assuerum in splendore conviviorum, Cleopatram in pretio cœnarum; at scito *Hic panis, hæ epulæ tandem deficient.*

XX.

XX. Innotuit D. Paulo Apostolo Corinthios paululum acerbius inter se confligere de meo, ac frigido illo verbo, deque pane lucrando, & augendo. Quid ad ista ille? *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet.* 1.Cor 6.v.13 Sensus illius est Interprete Cornelio: Cur lites ob temporalia suscipitis, quæ fere ad escas, & ventrem tendunt? Esca enim res caduca est, & vilis; ad hoc facta, ut in ventrem projiciatur. Venter autem res abjectissima in homine, tantum ad hoc conditus, ut escas concoquat, digerat, egerat, aut in se contineat. Et quamvis venter resurrecturus sit cum cæteris membris, non tamen amplius escas admittet. *Deus enim & hunc, & has destruet*, ut nimirum non sit deinceps venter escarum, qui epulis pascitur, nec escæ sint ventris, ut ventrem inescent, impleantve. *Hic tandem deficit.* Quidquid blanditur palato, quidquid delectat in transitu est. Hæc sententia mundo data, ut omnia orta occidant, aucta senescant, fortia infirmentur, magna imminuantur, dulcia in amara commutentur, ac tandem finiantur. *Hic tandem deficit.* Transibit mundus, & concupiscentia ipsius, putrescet caro, & cibus ipsius, evanescet abdomen, & pondus illius. *Hic tandem deficit.*

XXI. Eapropter universos adhortatur Dominus. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Ioan 6.v.26 Si filii hujus lucis exiguis istis, & prope momentaneis deliciis identidem ita inescantur, ut se capere non possint, quo desiderio exardescere nos par est, in bona æternæ patriæ nobis apparata. Hic vix gustamus delicias, & avellimur; seu potius absynthio inebriamur; & perinde, ac sanguisugæ carni, ita illis adhæremus. Ibi autem possidebimus opes, fruemur gaudiis nullis sæculis defuturis; quorum suavitas non sensim, ac successivè, sed tota simul percipietur, immensa quadam accumulatione infinitorum bonorum, in æternum simul, ac velut una collectione fruendorum. Operamini *non cibum qui perit; sed qui permanet.*

XX. Adhortatus, ad idipsum in particulari Martham satagentem circa frequens ministerium Dominus. Nihil illa intermittebat, quod tanto hospiti excipiendo consentaneum judicaret. Si quid aviaria, piscinæ, macella habuêre pretiosum; totum id ad ignes, focosque ab ipsa fuerat damnatum; quatenus nimirum creatura Conditori suo gustum peregratum faceret, jam inter mortales vescenti. Sed & cellaria aperta, ut sapidissimus vini liquor flueret fonti bonorum omnium, Oceano gratiarum. Neque diceres alias bellaria tam blande risisse, quam cum ante humanissimam Christi divinitatem collocata sunt. Inter hæc ipsi sorori suæ indignata, veluti otiose sedendi ad pedes Domini, ejusque verbo auscultanti, suppetias postulavit quæribunda: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi* Luc.10.v.4

Martha studia in Christo excipiendo

ut me adjuvet. Quid vero adhæc Dominus? Arbitratus est totam cum anxietate in externum servitus genus effusam, & supra suam frugilitatem munificam, dixitque ei: *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima; porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Istam partem nisi verses, nisi una intendas, nec tibi nec mihi sapis; nisi ad hoc figas cor tuum, ac desiderium tuum, nihil agis in tantis laboribus tuis. Ita nimirum cibus apparandus corporis, ut multo amplius animæ sua refectio præbeatur. Ita hic est sumendus, ut simul anima saginetur. Non bellè me tractabis in oculis, nisi me una regnumque Patris mei verses in præcordiis. Non erit ad justum caro à te condita, nisi spiritus in his omnibus fuerit ad Deum erectus. *Operare non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Et ideo Maria optimam partem elegit, quia verbis meis, quod illius est intendit. Hanc æmulare, hoc te una refice, si mihi gratificare, meque reficere gestis. *Operare non cibum qui perit, sed qui permanet.*

Ibid.

Epilogus.

Hæc symbola si non mensæ affixa & ipennicillo expressa habere licuerit, mnimum cordi impressa geramus; & si quandoque mensæ lautiori accubuerimus, legamus, aut revolvamus priores illas inicriptiones; *Hic ita efficit, hic sæpe officit, & interficit.* Hic cibus quanto copiosior apponitur, tanto & corpori, & animæ identidem evadit pestilentior. Sic sumamus temporalem alimoniam, ne subinde amittamus per gastrimargiam sempiternam ambrosiam.

Quod si vero egestate premimur, perpendamus alia lemmata adnexa; quod nempe panis solus & *sufficit*, & *reficit* quod ea parsimonia Sancti Dei plerique victitaverint, quod benedictio Domini divites faciat in omnibus bonis, quod ipse repleat desiderium suorum.

Tandem si frugaliter donis Dei vescamur perpendamus, quod ista deficiant, & ad sempiternas epulas animum, mentemque attollamus, ad illa suspiremus, his inspe tamdiu Spiritum reficiamus, quoad re ipsa possidemus Amen.

CON-

CONCIO. XXXVI.

IN DOMINICA VII. POST PENT.

Veniunt ad vos in vestimentis ovium Matth 7. v. 15.

ARGUMENTUM

Vestitus Lupi redarguitur.

I. EXpendendo Lupum investitu ovium mihi propositum, in optimam de ejus sanctiore vita deveni opinionem. A. Arbitratus sum enim pertæsum silvestris vitæ, ad ovile, frugemque se recepturum. Credidi deploraturum rapinas suas, pœnitentiæ ergo; cum Adamo & Eva zonam, seu melotem hanc assumpsisse. Persuasum habui ovis mansuetudinem, & illius imprimis, qui ovis instar ad occasionem ductus est patientiam æmulaturum. Censui minimum Veterum Sarmatarum, aliorumque hominum piorum simplicitatem habitus, præ aliis elegisse. Ita enim de illis cecinit Ovidius:

Pellitus celeri sarmata fertur equo.

Et de primis Romanorum Quiritibus Propertius:

Curia purpureo, qua nunc nitet alta senatu.

Propert.

Pellitos habuit, rustica corda, Patres.

Verumtamen ab hac sententia me avocat Dominus, quando cavendum nobis esse ab hujusmodi Lupis admonet: *Attendite á falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Attendite ab iis, quia ita ambulant, & desuper quidem pellem ovinam præseferunt, intus autem Lupum nutriunt.

Quid autem est istud, quod in tali displicet habitu? Cur non invehitur in eos, qui zebelinis, linceis, vulpinis pellibus vestiuntur? Cur non monet attendendum ab iis, qui ursorum, tygridum, aliarumque fetocium animalium villis utuntur? Quid nocet lana, pelliscque ovium? Nempe non habitus ovis displicet, sed lupus eidem subductus. Non pellem ovinam, sed subuculam lupinam execratur Dominus, non fulminat simplicitatem ovis, sed hypocrisim Lupi condemnat.

Narratio ac Partitio.

II. Extat libellus cujusdam Hispani Augustini Facundez de re vestiaria, ubi inter alios aphorismos ornatus aulici, ponit etiam hunc; ut inter vestem ipsam, & id quod subsuitur sit proportio certa, idq; propter decorem,

rem, ac perpetuitatem. Deficiente illa, nec vestis futura est honesta, nec firma; ac durabilis.

Quod hic de veste materiali adstruit, pluribusque canonibus amplificat, idipsum ego pronuntio de mystica, ac morali. Nisi in hac conveniat subtegmen cum superficie, nec vestis ipsa erit honesta, nec firma; sed potius abominabilis, & modicum durabilis,

§. I.

Vestis Ovina lupo subducta indecens.

III. Et primò quidem mirum in modum dedecet hominem Christianum vestitus ovinus lupo subsutus, estque non Deo duntaxat, & hominibus, sed ipsi Diabolo odibilis, & execrabilis.

Iris cur non invocata ad bene dicite

Quid pulchrius Iride, seu Arcu cœlesti? quantis ille nitet coloribus? quot illecebris oculum ad sui rapit admirationem? & tamen nunquam hic ad chorum invitatus; nunquam laudibus divinis celebrandis interfuisse legitur. Tres illi Heroes jussu Regis Babyloniorum in fornacem succensam conjecti, & ab igne ejusdem illæsi; convocarunt chorum ad *Benedictus* intonandum ex omni creatura, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Convocarunt inibi ex cœlo Angelos, solem, lunam, stellas; ex aere grandinem pruinam, rorem, pluviam, fulgura, & tonitrua, ex Aquis Cete, & omnia quæ moventur in ipsis; ex terris, universa germinantia, bestias, & pecora. At numquid Iridi hic delatus est honos? Numquid ad benedicendum Dominum rogatus, vel admissus? Neutiquam. Quid obsecro istud mysterii? Num hic fortè Heroibus illis excidit? Aut numquid hic minus vocalis, habilisque ad laudandum Dominum?

Dan. 3. v. 57.

Cygnus cur non immolatus?

IV. Pro responsione ex choro ad Altare me confero, & ex eodem lego proscripsisse Dominum Cygnum, quem ipsemet plumis candidissimis convestivit, cantusque mira suavitate condecoravit. Nec alia de causa, quam quod candor ille extraneus sit, in solis plumis consistens, carne intus nigricante, quæ externa illa pulchritudine incingitur. Et sub typo hujus fulminantur hypocritæ, qui superficietenus candorem, suavitatemque præseferunt, animo autem obduruerunt. Non absimiles illis senioribus Judicibus populi Israelitici in Babylone, qui cygneum candorem cæsarie, & barba simulabant, in animo adulterium, indignationem, iram, cœdem fovebant. Hujusmodi hostias abominatur Dominus, eosque ab altari suo sequestrat.

V. Hinc intelligetis cur Iris ex Choro itidem proscripta; siquidem tota illius pulchritudo ad nihilum deservit, præterquam ad pompam apparentem, fallaciamque oculorum? Non enim realiter ullum in se continet colorem, aut pulchritudinem; sed tota illa apparentia, sive viridis sive purpurea, sive cœrulea, causatur in aere ex interpositione nubium adradios solares. Et idcirco Iris indigna est habita,

quæ

quæ chorum frequentaret, aliisque sociaretur creaturis. Ita Præsul Affricanus: *Deum laudare non meruit Arcus ille pulcherrimus, quia fictos habet colores.* S. Aug. Non respicit Numen crustam venustatis, nisi invenerit medullam bonitatis. Negatio ipsa latet in forma exteriore; lumineque, ac pulchritudine tenebræ colorantur. *Deum laudare non meruit Arcus* &c. Nec hypocrita.

VI. Et sanè si infideles privantur communione Sanctorum, si arcentur ab aris, si eliminantur è Templis, si fulminantur à Numine; qua ratione particeps evadet Hypocrita, seu Lupus in pelle ovina? Nonne & ipse aut infidelis, aut Semipaganus existit?

Hypocrisis suspecta infidelitatis

Apud S. Lucam agens Dominus de illo servo nequam, qui moram faciente Domino pergræcari cœpit bona Domini sui, sic loquitur: *Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat; & hora, qua nescit, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Luc. 12. v. 46. Apud S. Matthæum hanc eandem adducens historiam ait: *Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis,* Matth. 24. v. 51. Sic qui ab hoc Evangelista *hypocrita* dicitur, à S. Luca nominatur *infidelis.* Nec id mirum. Hypocrisis enim est spei jactura, fidei quasi amissio; vel certè validissimè incitat ad infidelitatem. Eheu quot mortalium novimus propter superbiam turpi apostasia desciviſſe! *Quomodo vos potestis credere,* Ioan. 5. v. 44. ait Veritas sempiterna, *qui gloriam ab invicem accipitis.* Ad hæc verba alludens S. Chrysostomus ita scribit: S. Chrysost. hom. 73. in Mat. *Vult autem Dominus in hoc ostendere causam, propter quam non poterant credere Christo Pharisæi; hoc est, quia omnia faciunt, ut videantur ab hominibus.* Impossibile enim est, ut credat Christo cœlestia prædicanti, qui gloriam hominum concupiscit terrenam. Patum fidit, ille verbis Christi, qui opera sua facit ob vanam gloriam. Si enim crederet Christum impleturum promissa sua, & centuplum relaturum, non tot advocaret testes oculatos, spectatores boni operis adhibet. Videtur enim re ipsa dicere: Estote testes (si fortè aliquando vobis opus sit, ut vos sistam) me hoc opus bonum feciſſe, cui Christus *Centuplum* in premium promisit; ne forsitan opus à me factum, & simul tam largam mercedem eidem abneget. Ergo meritò hypocrisis suspecta infidelitatis, & quasi rea apostasiæ. Ergo meritò execratur eam Dominus, ponitque partem ipsius cum infidelibus.

VII. Quanquam quid dico? Facilius DEus tolerat infidelem, quam hypocritam. Communionem mensæ, quam huic derogat Apostolus, eandem indulget infidelibus. Et ut loquar ore Ambrosii: *Tolerabilius Deus sustinet infidelem integrum, quam fidelem divisum.* S. Ambr. Causam subnectit: *Hic enim Deum, quem optimè novit, contemnit, quod gravius est: ille verò Deum, quem non novit aspernit, quod levius est.* Pati potest Deus Paganum, aut Turcam, siquidem Deum, & Filium ejus non agnoscit; at Christianum divisum esse, qui DEum quidem cognoscit; illi tamen nec servit, nec adorat, idipsum

Hippocrita pejor infideli

1. Cor. 10. v. 27.

Deus

Deus minimè sufferre potest. Quis autem Christianus vivit divisus? Deum cognoscens, illi tamen ut par est, non serviens? Solus Hypocrita. Hic enim divisus est, quando extrinsecè appareat Christianus, intrinsecè verò totus est bestia, & infidelis. Hic igitur perversus Christianus, hic Lupus in ovina pelle tantò apud Deum fastidio est, ut supremus Dominus, cui de Turcis Paganisque cura est, nimia contra hypocritas indignatione incitatus, eos sufferre nequeat. Ponamus unguem in ulcere, & reflectamus nos ad calamitates Reipublicæ christianæ; cur status istius tantopere accisus? Cur res Paganorũ tam florentes? Et si investigare causam fas esset, forsitan deveniremus ad hypocrisim Christianorum, mendaciumque vitæ ipsorum. *Tolerabilius sustinet Deus infidelem integrum.* &c. Quid Apros Osmanicos in Palestinæ vineam sanguine Filii Dei irrigatam immisit? Quis Ægyptum Anachoretarum patriam iisdem subjecit? Quis majorem partem Orbis, quondam Christiani, illis ipsis vectigalem reddidit? An non hypocrysis, mendaciumque vitæ nostræ? *Tolerabilius sustinet Deus infidelem* &c. In natura unum contrarium duellat contra illud, quoad id quod fortius, enervet id, quod infirmius; haud secus Deus tanquam summè oppositus confligit contra hypocritã. Nam ut Deus est id, quod est; (Ita enim ipse: *Ego sum qui sum*) ita hypocrita monstrat esse, quod non est, & idcirco è diametro repugnat Deo; & hic tanquam oppositum omnipotens tamdiu in ipsum agit, quoad omnino disperdat, annihilet? que eundem. *Tolerabilius sustinet Deus infidelem.* &c.

Hypocrita divisus

Hypocrita Deo contrarius

VIII. Ex umbra lucem, ex typo veritatem desumite. Offenderat Dominus in via arborem fici, declinavitque ad eam, lecturus fructum quempiam ad se refocillandum. Cum autem nec quicquam præter folia invenisset maledictionem eidem impreeatur est: *Numquid ex te nascatur fructus in sempiternum, & statim continuo arefacta est ficulnea.*

Ficus cur maledicta

Matth. 21 v. 19.

Vidit aliam arborem multò insigniorem Nabuchodonosor Rex inmedio terræ. Nam ut ipse eam depingit: *Altitudo ejus nimia, & proceritas illius usque ad terminos universæ terræ; folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea; subter eam habitabant universa animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Vix hanc arborem Rex, idque in somnio intuitus erat, cum jussa est excidi atq; eradicari. *Ecce vigil & sanctus de cœlo descendit, & fortiter clamavit, sic dicens: Succidite arborem, præcidite ramos ejus, excutite folia, dispergite fructus, fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus.* Per Deum quid deliquêre hæ arbores, quod tam severè in eas animadversum? Quid ficus, illa siquidem ut eidem patrocinatur S. Marcus, *non erat tempus ficorum?* Quid altera procera & fortis, quæ asylo extitit creaturis prope omnibus? *Succidite arborem.* Non aliud, quam quod, ut in cæteris homo justus. & rectus; ita in his hypo-

Item Arbor Nabuchod.

Dan. 4. v. 7 & seq.

Ibid.

Marci 11. v. 13.

crita

crita adumbratus sit. Etenim ficus corticem habet cinericium, folia aspera ad instar cilicii; fructus quos producit, vestem plerumque circumferunt laceram; colorem semper exprimentes pallidum. Immo quo maturiores, eo auctius apparent mortificati, cervicem nunquam non demissam gerunt, caputque inclinatum; & quasi lachrymis perfusum.

Ficus Typus hypocritæ

Altera itidem arbor nonnisi ferarum erat receptaculum, nec minus hypocriræ pototypon. Erenim cum in tantam excreverit altitudinem, adeo latenter, & occultæ substantiam terræ in se convertit; ut nullus omnino animadvertere potuerit, quando manducaverit, suxeritque, quantumvis ille Argus fuerit. Etcum cœlum vertice ferire videretur, tamen radices altissimas habebat in terra. Odit hanc similemque fictionem Dominus, & vel in umbra fulminat.

Ex quibus colligere pronum est, quantopere detestetur hypocritam ipsum. Nam si arboribus, nonnisi ex hoc capite reis, imprecatus est, quod personam illius præsentaverint; qualiter non excandescet contra corpus; animamque ipsiusmet hypocritæ? Si unico verbo arefecit ficulneam, quod foliis abundaret non fructibus, quanto atrocius supplicium infliget ipsis hypocritis, qui deforis monstrant vigorem sanctitatis, intus autem omnino steriles sunt, & infœcundi. Si succidere fecit aliam, quod nec edere nec bibere in tanta vastitate videretur, contingereque cœlum, quæ profundissimè hæserat infixa terræ; quanto crudelius desæviet in ipsam hypocritam, cujus ipsa duntaxat typum gessit. Quippe: *Tolerabilius Deus Justinet infidelem* &c.

Hypocritæ Deo quantopere exosus

IX. Verum enim vero, ut Deus O.M. exosum habet hominem hypocritam; ita non minus ipsimet homines eundem aversantur, & execrantur.

Item homines

Apud S. Matthæum confert illos Dominus sepulchris dealbatis: *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis.* In quo autem? An quod scelera parentum, petinde ac sepulchra, cadavera occultarent. Ideo enim ædificabant monumenta, qua tenus abolerent ex memoria posterorum scelera parentum; qui dum conditiva magnificentius ornata venerantur, non cogitant de sicariis. *Similes estis sepulchris dealbatis.* An quod vulgi scelera Præsulibus, Doctoribusque imputentur. Etenim quisquis peccator perimitur, Præsulum, Doctorumque conscientiæ, tanquam tumulo infertur; sanguisque peremptorum ex manibus eorum exquiretur. *Similes estis sepulchris dealbatis.* An quod ipse viduas, substantiamque ipsarum absumerent. Id enim manifesto ipsis exprobravit Dominus, cum apud S. Matthæum fulmina in eos detonaret. *Væ nobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum.* Quemadmodum *sepulchrum patens est guttur aliorum*, in quod cadavera animalium conjiciuntur: ita vos toti quanti sepulchra estis, qui viduas, pupillosque devoratis. *Similes estis sepulchris dealbatis.* An quod intus in anima mortui sint, licet exterius in corpore vivere videantur. Ita sentit D. Chrysostomus: *Merito quidem corpora peccatorum*;

Hypocritæ cur sepulchra dealbata

Matth. 23.

Matth. 23. v. 14.

Psal. 5. v. 11.

S. Chrysost. in Matth. hom. 45.

rum, sepulchra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Anima enim quæ peccaverit ipsa morietur. & subdit: *Sicut ergo sepulchrum quamdiu clausum est pulchrum videtur foris, si autem fuerit apertum horribile est; sic & simulatores bonorum, quamdiu non cognoscuntur laudabiles sunt, cum vero cogniti fuerint, inveniuntur abominabiles. Similes estis sepulchris dealbatis.* An quia sunt semipulchri, secundum exteriorem apparentiam, non interiorem? Sunt sepulchra forinsecus incrustata calce, & marmore, intus autem plena ossibus mortuorum. Sunt sepulchra deforis expolita specie virtutum, intus pleni omni spurcitia, & peccato. *Similes estis sepulchris dealbatis.* An quod horrorem incutiat, fœtoremque procreet. Perrarus est qui fœtentem quatriduo in sandapila Lazarum attrectare non exhorreat, nemo qui cadaver putridum amplecti velit. Ad eundem modum perrarus ex nobis est, qui hominem hypocritam non aversetur ac detestetur. *Similes estis sepulchris dealbatis.*

Antipatri hypocrisis Plut. de Regno & imp.

X. Vidit ejusmodi sepulchrum dealbatum Alexander Macedo in Antipatro Græco, qui in candidis vestibus incedebat tanquam virtutis, probitatisque Candidatus; & illico eundem non sine verborum sulphure perstrinxit dicens: *Antipater foris utitur albo pallio, intus autem totus est purpureus.* Non potest in tantum suam, vel pallio hoc, velare arrogantiam, quin transpareat. Toga hæc non est species modestiæ; sed velamentum malitiæ; non nititur hoc habitu venustare virtutem, sed publicare ambitum, affectatamque majestatem. Candidatus is est non probitatis; sed regni, & imperii. *Antipater foris utitur albo pallio, intus autem totus est purpureus.*

Et quis nostrum est, qui suppari censura non configar hypocritas? Quis est qui non damnet fucum, & cerussam? Quis est qui non æquo decreto reprobet mendacium oris ac moris, linguæ & vitæ?

XI. Parum est & istud; cum & ipse Orcus hypocritam execretur, ac detestetur.

Diabolus odit hypocritam Act. 19. v. 14.

Audite casum. Hebræorum quidam videntes signa, quæ operabatur S. Paulus, per virtutem nominis JESU, supra Energumenos; *tentaverunt & ipsi invocare nomen Domini IESV super eos, qui habebant spiritus malos, dicentes: Adjuro vos per IESVM, quem Paulus prædicat; respondens autem spiritus nequam dixit eis: Iesum novi, & paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* Erant hi Exorcistæ filii Scevæ principis Sacerdotum; erant familiares, & contribules ipsius dæmonis, nec tamen illis connivebat. Quid causæ? Nempe hypocritæ erant, & cum infideles essent, nec in JEsum crederent, discipulos JESU se exhibere coram aliis affectabant, moreque discipulorum Christi exorcismos faciebant. Id enim indicavit Orcus cum diceret: *Qui vos estis?* Quasi diceret: Cum vos sitis hostes JESU & Pauli, cur inter Pauli Christique consortes vos numerare non erubescitis? Eapropter vindicaturus nequitiam invaluit contra eos, gravissi-

gtaviſſimèque afflixit. A deo inviſi ſunt hypocritæ, ut vel ipſi dœmones eos abominentur. Quid igitur mirum ſi homines, ſi Deus ipſe illos execretur. Ubi ubi Lupi hi in ovina pelle comparuerint, ſive in cœlis, ſive in terris, ſive in ipſo inferno, invenient, qui illos inſectentur; qui habitum ipſorum damnẽt, & anathematizent.

§. II,

Habitus Lupi ovina pelle ſubductus non eſt durabilis.

XII. Obſervandum ſecundo eſt, ut in habitu ſit proportio inter partem ſuperiorem ac inferiorem propter firmitatem. Si enim panno Hiſpanico, aut etiam Sileſitico ſubſuatur tela ſerici ſubtiliſſimiæ, tatem non feret.

Hypocriſis apparens tantum

Et inter pellem & ovinam, ac Lupinam eſt ne aliqua proportio? Nulla. Suapte natura diſſuitur una ac altera. Quin etiam ſi jungantur chordæ ovis, ac lupi in unis fidibus rumpentur citius, quam conſonabunt. Hæc natura eſt hypocriſæos, ut paret, ita diſparet. *Quæ eſt enim ſpes hypocritæ, ſi avare rapiat?* Percontatur Jobus. Quamdiu illa ſubſiſtet? qua nititur baſi, vel anchora? Et Reſpondet ſibimet: *Ædificavit ſicut tinea domum ſuam.* Quemadmodum tinea architectatur domum ſuam deſtruendo; non ſecus hypocrita idipſum quod operatur, perdit; quod molitur, corrumpit: *Ædificavit ſicut tinea domum ſuam.* Cum ſtudioſiſſimè confeciſſe hæc videtur latibulum, ſibimet in carioſo ligno, aut veſte attrita, arroſaque creat exitium; & ille dum domum ſuam deforis honeſtare putat; intus exitium quærit. *Ædificavit ſicut tinea domum ſuam.*

Hypocrita tinea

Iob. 27. v. 18.

XIII, Comprobat hanc eandem infelicitatem ipſorum Sophar Naamathites amicus præfati Jobi, rem tanquam experientia comprobatam, ac notam indicant; *Hoc ſcio à principio ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum brevis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* q.d. Ab orbe condito, hoc quod dicam experimento compertum eſſe liquet, quod laus & gloria impiorum breviſſima ſit, & gaudium hypocritarum, quod ex illa capiunt ad inſtar puncti. Quid eſt ad inſtar puncti? Si Mathematicos conſulamus dicent, eſſe quidpiam indiviſibile, cujus ſi particulam demere velis, totum adimes. Ejuſmodi eſt gaudium hypocritæ, quod capit ex applauſu populi, veluti punctum quodpiam. Ex eo enim ſi quidpiam ſuſtuleris, in quo fundatur, totum illico peſſumdabis. Si vel punctum honoris detraxeris, totam illius machinã ſubrues. *Gaudium hypocritæ ad inſtar pũcti.* Si vel ſibiles vel oculũ benevolum avertas, dolore, luctuq; cõficies *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Nam ut ſcribit Sidus affricanum S. Auguſtinus: *Cum cœperint aliquibus ea ipſa ſubtrahi, vel negari, quæ iſto velamine conſecuti ſunt, vel conſequi cupierunt, tunc neceſſe eſt, ut appareat utrum Lupus ſit in pelle ovina, an ovis in ſua.* Tum ſi lupus fuerit illico exululabit, illico ab opere deſiſtet, & ad alia convertetur. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Tolle minimum, totum peſſumdediſti.

Hypocritæ gaudium breve

Iob. 20. v. 4, 5

Hypocritæ gaudium cur æquale

S. Aug in c. 7. Matth.

XIV. Si ad Neotericos me convertam Philoſophos eorumque indagem

Gaudium hypocritæ punctum inflatum

consensum, forsitan non defuturus, qui gaudium, gloriamque hypocritarum punctis conferat inflatis. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Incrementum ista, ac decrementa desumere ab ipsa creduntur auræ, seu aëris dispositione. Et hypocrita unde quæso intumescit, aut detumescit præterquam ex popularis auræ afflatu.

Aug. l. 21. de Civ. Dei c. 16.

Diogenes ille Cynicus omnium ad se oculos, oraque conversurus, rigidissima hyeme se frigida, inspectante turba conspergebat, ut totus glacie obrigescetet; omni populo commiserante, simulq; vitæ rigorem demirante. Fortuitò illac pertransiens Plato, cui histrionis hujus vanitas apprime comperta erat, id unum turbæ insusurravit: *Si vultis misereri, abite.* Ratus cessaturum illico à suimet carnificina, ubi desierit afflare aura humana. Quippe: *Matth. 23.* *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Et quamdiu se viderint videri, tamdiu gnaviter operantur; ubi autem se haud videri viderint desistunt à bene cœptis. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

Gloria hypocritarum vana

XVI. Non minus appositè gloriam, seu gaudium histrionum alii reducent ad punctum imaginationis. Apprehensio hæc una est; meraque vanitas, nec minus gaudium, & laus hypocritarum. Quot fortissimi milites ac duces stupendis facinoribus eò duntaxat collimarunt, ut mundi applausum universalem mererentur. Quot sapientes suos consecrarunt labores, vigilias, studia in conscribendis libris, in enodandis intricatissimis quæstionibus, ut hanc gloriæ apparentiam, ac doctrinæ indipiscerentur. Quot alii morales, qui suspensum trahebant mundum, operibus verisimiliter sanctis, strictissimis jejuniis, eleemosynis largissimè erogatis, orationibus frequentibus, unam in intentione præfixam habebant æstimationem hominum, cum hodiernis Pharisæis & scribis? Nec defuerunt qui eam sibi videbantur cum Alexandro, Pompejo, Julio Cæsare despousasse, nomenque suum ac facinora æternitati consecrasse. Verum ubinam mansit gloria ipsorum? quamdiu, vel ubi subsistit?

Si descendamus consilio S. Bernardi in infernum viventes, ne descendamus morientes, inquiramusque de eorum pristino statu, ac gloria; respondebunt: *Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, & tanquam avis, quæ transvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris.* *Sap. 5. v. 8.* Si insistamus examini ipsorum, percontemurque de ipsorum glorioſis facinoribus; de patientia, fortitudine, justitia, temperantia, an cum illis æternent? Reponent: *Virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere.* *Ibid.* Non inficiamur quidem nos opera heroica patrasse in sæculo; verumtamen nec argumentum, nec signum ullum remansit, quod ostendere potuissemus. *Virtutis nullum signum valuimus ostendere.* Per Deum quid dicitis? Ergone nullum tu vales ostendere signum fortitudinis, ac patientiæ Muti Scævola in brachio tuo; quod ultro, tanquam vindicaturus errorem, focis ustulandum imposuisti? Nullum. Ergone tu Regulæ, qui ut

fidem

fidem ſervares Carthaginenſibus, te eorum lanienæ expoſuiſti ; dolioque ferreis clavis armato incluſus, ac volutatus periſti , nullam cicatricem exhibere valuiſti? Nullã Ergone tu Q. Curti qui te in lacũ inferni præcipitaſti, ſicque os illius tuo corpore amore patriæ obſtruxiſti , nullum indicium demonſtrare vales? Nullum. Ergone vos alii Heroes poſt tot devictos populos immanitate barbaros, multitudine innumerabiles, locorum longitudine diſſitos nullum argumentũ manifeſtare polletis? Nullum. Si vel dimidium tantũ pro Dei gloria feciſſemus, quantum pro evanida laboravimns, utiq; & præmiũ merceſque; & ſigna fortitudinis noſtræ æternaſſent. At verò cũ ad ſolam popularem auram captandam, æſtimationemque hominum comparandam ea præſtiterimus, unà cum aura evanuêre, cum hominibus occubuêre, *Virtutis nullum ſignum valuimus oſtendere.* Evenit nobis, quod prædixerat Sapientum quiſpiam: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*, quod vel ſolum apprehenditur , vel ſola aura inflatur, vel perit, ſi dividatur.

Pſal. 72. v. 19.

XVII. Notavit in ſpiritu hanc eorum calamitatem Pſaltes , & ſtupore plenus exclamavit. *Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubitò defecerunt.* Reſpondetque ſibimet : *Perierunt propter iniquitatem ſuam, velut ſomnium ſurgentium Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* q. d. Sciſcitatis qua ratione repente, qui pius habebatur, corruerit. Fucatam præferebat ſanctimoniam non ſolidam. Imaginariam virtutis umbram non veram virtutem poſſederat. Unde mirum eſſe non debet, ſi Deus virtutum, fucum illum citò obliteret , ac deleat. Non diu mihi crede in civitate Domini virtutum, imago fictæ , ſimulatæque virtutis perdurabit. Ad tempus forſitan modicum effulgebit, cæterum eam DEus pertæſus illico deterget. Nemo fidat nimium colorum præſtantiæ. Nam quamvis exquiſitè virtutem adumbres , imago illa, & ſpecies virtutis, non virtus eſt; ideoque redigetur in nihilum. Effinxit ſcitè fuco ementito amicitiam Joab, ſed ad nihilum redactus eſt ; Effinxit Judas proditor avaritiam ſuam non minus affabrè , ſed & ille ad nihilum redactus eſt , effinxit ingeniosè, vulpes illa Herodes pietatem ſuam *Vt & ego veniens adorem eum* , ſed & hic diſperiit miſerè & imago illius abolita. *In Civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* In civitate Caini tantiſper ſimulachrum virtutis ſubſiſtere poteſt , ubi eſſe virtus vix poteſt. At in domo Dei ſola virtutis idea conſpicitur, unde aliæ imagines ducantur. *In civitate tua imaginem ipſorum in nihilum rediges.* Ita necquicquam diuturnum, quod fucatum, necquicquam firmum, quod in ſola ſuperficie fundatum. Ita veſtis ovina lupo inducta & gratiam perdit, & ætatem; odium Dei procreat, & vanitatem exaggerat.

Virtus ſolida

XVIII. Et tamen eheu quam rarus eſt, qui in operibus etiam virtutis, & pietatis propriæ laudis pruritu non ducatur? Quam rarus qui roſas circumferat, & non abdat tela in præcordiis , quibus graſſetur in fratrem. Quam multi videntur æmulari in jejunio aut S. Paulum , aut S. Antonium

Anachoritas, & in ingluvie vix cedunt lupis. Quam multi videntur imitari castimoniam S. Joannis S. Agnetis, S. Catharinæ, & re ipsa in secreto cubili sui volutantur in omni immunditia, & obscœnitate. Quot cum Beli sacerdotibus Curios simulant, & bacchanalia vivunt. O si seorsim singulorum pectus eruderare fas esset, forsitan ad latratum, ululatumque stabalantium intus belluarum inhorrescere cogeremur.

XIX. Narrat Vierus de præstigiis dœmonum, Anno reparatæ salutis, 1541. rusticum captum esse, qui se verè intrinsecus lupum arbitrabatur, etsi exterius humanam formam præseferebat. Hic cum passim in homines, & imprimis pueros sæviret, truculenterque grassaretur, decretum; ut vivo pellis detraheretur, quo Lupus sub ea latitans manifestaretur. Quod si omnibus in hac urbe degentibus pellemque ovinam præseverentibus ad eundem modum corium degluberetur; plures fortassis Lupi reperirentur, quam vulgò credatur.

Vierus l. 3. c. 21.

XX At utut nos indulgemus, aut dignoscere non sufficimus, discernet eos Dominus, partemque eorum ponet cum infidelibus. *Visitabo*, ait per Sophoniam, *super omnes qui induti sunt veste peregrina.* Quænam ista? non alia quam Ovina lupo subducta. *Quid magis est peregrinum quam sub lupis rapacibus vestimenta ovium?* scribit Rupertus. *Quid magis peregrinum; quam eum, qui intus plenus est iniquitate, foris hominibus justum apparere.* Hosce visitabit Dominus, & detracta pelle ovium canibus Avernalibus objiciet dilaniandos, & exagitandos.

Soph. 1.

Rupert. h. l.

XXI. Quisq; igitur manticam suam excutiat, & si forte quidpiam improportionatum in vestitu suo invenerit, ocius deponat aut commutet. Sequatur consilium S. Pauli Romanis datum: *Induimini Dominum nostrum IESVM Christum*, non tantum exterius præseverendo; sed & interius imitando: Nam ut explicat ad Colossenses: *Induite vos sicut electi Dei sancti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Viscera misericordiæ, inquit, ut non tantum exterius succurramus, opitulemur, consolemur; alios; sed & in ipsis visceribus commiserationem habeamus, & virtutes alias ex corde operemur. *Induite vos.* &c.

Rom. 11.

Colos. 3. v. 12. 13. 14.

Ita eveniet ut cum Lupi hædis aggregati à sinistris steterint fulminandi, vos ovibus à dextris sociemini, in æternum coronandi. Fiat id meritis, & auxilio tuo, Christe Redemptor.

Amen

* * *
* *
*

CON-

CONCIO. XXXVII.

IN DOMINICA VIII. POS PENTECOST.

Laudavit Dominus Villicum iniquitatis, quod prudenter feciſſet. Luc. 16.

ARGUMENTUM.

Icon Prudentiæ.

Prudentiæ encomium

IN theſauro virtutum moralium, nulla gemma invenitur pertioſior prudentia. Aud. Quod Adamus in annulo. Sol in cœlo, Navarchus in navi, Helice & Cynoſura in vaſtiſſimo hoc periculoſiſſimoque pelago, id inter animi Chriſtiani dotes illa eſt. Hæc aliarum virtutum actiones cohoneſtat, hæc ut Pharos alias illuminat, hæc ut dux, & imperatrix omnium dominatur. *Nullus enim habet gratiam,* ait Aquinas, *niſi virtute præditus, & nullus virtuoſus, niſi habeat prudentiam.* Coeteræ virtutes, niſi ea quæ appetunt, prudenter agant, virtutes eſſe neutiquam poſſunt. Quoquò Prudentia ingreditur; eodem honeſtas & decorum, mens ac ratio vegetior, gratiiſque coronata comitatur.

S. Tho. 2. 2. q. 47. a. 14.

Intuitu hujus virtutis videtur Dominus hodiernum Iniquitatis Oeconomum depredicaſſe, quod prudenter ſibi proſpexiſſet. *Laudavit Dominus Villicum* &c.

Sed quodnam quæſo objectum, ſeu fundamentum hujus prudentiæ. Num quod Patronum ſuum grandi affecerit injuria, diſſipando bona ipſius? An quod illius Chyrographa mutaverit, & rationes, tabulaſque corruperit? An quod ex alieno ſibi amicos conciliaverit? At nunquam iniquitas virtuti patrocinata eſt; nunquam ſub turpi vitiorum lacerna prudentiæ germanæ decus occulitur. Virtus & vitium æterno ab invicem diſcreta ſunt divortio. Nihilominus maner inconcuſſum æternæ veritatis elogium; eidem Villico impertitum. *Laudavit Dominus Villicum iniquitatis,*

Expendamus itaque quænam hæc fuerit Prudentia, & quænam vera, germanaque cenſenda, Adm. D. G.

Partitio.

II. Ferdinandus Randoy monetam

Faber in Auct.

tam excudi fecerat, in qua videbatur Prudentia in ſpecie Virginis cum ſpeculo adumbrata, adjecto Lemmate: *Cognoſce, Elige, Matura.* Quibus verbis præcipuas ipſius complexus eſt functiones.

Primum Prudentiæ munus Proſpicere, rectèque judicare.

Prudentiæ actus primus

III. Princeps Omnis Prudentiæ actus eſt recta Cognitio. Ipſius enim proprium reſpicere, quæ vel per ſe mala, & fugienda; quæ remorantia, & evincenda; quæ bona, & executioni Mandanda. Ipſa mentem in varios intendit eventus, qui accidere queunt, ne ſpes fruſtretur, laudabilique fine ſuo deſtituatur; ipſa particularia, quæ ad bene, feliciterque agendum conducunt, inveſtigat; ipſa circumſtantias omnes, quæ rem afficiunt, & cum ea conjunguntur, perluſtrat. Unde à D. Thoma deſcribitur; *Inveſtigatio, qua futura ex præteritis, & præſentibus judicamus.* A. S. Auguſtino: *Prudentia eſt cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum*, ſeu certum, & liquidum judicium de rebus ſingulis, quæ agendæ, quæ omittendæ proponuntur. Ab Ariſtotele: *Habitus vera cum ratione activus, circa ea, quæ & bona, & mala homini ſunt.* Hoc eſt circa humanas operationes & eventus contingere ſolitos.

S. Tho. 2. 2. q. 47.

Aug l. 83. q. 32.

IV. Et quidem ſi iſta cognitio, aut inveſtigatio oriatur ex principiis falſis, carni, & ſanguini patrocinantibus, erat Prudentia merè politica, mundana, vel etiam Diabolica. Hanc perquam graphicè in hæc verba deſcripſit S. Gregorius in ſuis moralibus. *Hujus mundi ſapientia eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt, vera oſtendere, qua vera ſunt falſa demonſtrare.* q. d Hujus mundi Prudentia eſt per fallacias & nequitiam, per falſos rumores, profligatamque innocentiam, per laceram violatamque charitatem, in ſuam aliorumque perniciem abuti, vel omnes nervos vaferrimæ mentis intendere, quatenus ad finem carni, ac naturæ corruptæ conſanguineum enitatur. Ita enim ſubdit: *Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere, cum virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare.*

S. Greg. l. 10. c. 16. in c. 11. Iob.

Ibid.

Prudentia humana

V. Imaginem hujus intueri licet in Juda fratre Joſephi in Ægyptum venditi. Cupiebat ille & fratribus ſuis, & Joſepho adblandiri; illos quidem ſuadendo, ut ſub haſtam exponeretur, huic autem, propuguando ejus à cœde innocentiam. Dixerat enim: *Melius eſt, ut venumdetur Iſmaelitis, & manus naſtræ non polluantur.* Præſtat eum venire, quam mori. Sat inviſus nobis erit, ſi ſemper extra oculos fuerit. *Melius eſt ut venumdetur.* Ita ille ſibi perſuaſit, opitulaturum prudenter innocenti, ne interiret; & furentibus obſecuturum fratribus, ut non nece quidem, ſed

Gen. 37. v. 27.

nexi-

nexibus invisi adolescentis livori suo facerent satis. Verum dum hac ratione sapienter se consulere utrique autumat, insipientissimè hallucinatur. Nam quænam hæc Prudentia servare ab interitu membra, & mentem pueri exponere interitui? Num hanc te serpens prudentiam docuit, ut tergori parsurus adolescentis, caput ejus funeneri objectares? Nemo nocentior Innocentiæ est, quam qui eam improbis addicit. Præstabat in puteo mori, quam fœdissimorum Ægyptiorum fœdari dominatu. Præstabat mori Lilium, quam Rubum esse, & vivere. Præstabat dissolvi in cineres adolescentem, quam carbonibus desolatoriis immitti, si vivat. Secura est innocentia inter secures, invulnerata si feriatur, & nusquam tam integra, quam cum secatur. Mentitus es ergo Juda in caput tuum. quod melius est, ut venumdetur; cum satius esset, à vobis perimi, quam mancipari, pudoremque ipsius Ægyptiæ exponi.

Prudentia politica

VI. Licet aliam spectari in Judæis contra Christum Dominum conspirantibus. Videntes illi signa, & prodigia per ipsum patrata concilium inierunt, dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Si meum sensum ô malevoli expiscari vultis, judico, credendum esse in ipsum, siquidem hæc signa non possunt esse, nisi à Deo; tanquam evidentia testimonia ipsius sanctitatis, ac Divinitatis. Quid illi? *Non dicebant credamus*, ait S. Augustinus, sed perimamus. *Plus enim perditi homines cogitabant, quomodo nocerent, ut perderent, quam quomodo sibi consulerent ne perirent. Qua de causa?*

Ioan.11,47.

S.Aug.in Io:

v.48.

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum. Si omnes crediderint in JESUM, omnes à synanoga, & templo recedent, nullusque erit, qui pro nobis contra Romanos jugum inducere conantes depugnet. Temporalia perdere reformidabant, & vitam æternam nec cogitabant, ac sic utrumque amiserunt. Concludunt ergo cum Caipha summo Concilii Præside, ac Pontifice: *Expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat.* Satius est, ut pereat unus, quam unitas, & communitas. Præstat ut JESUS solus de nullo crimine accusatus, immo innocens, ac propheta, & tantorum prodigiorum opifex occidatur pro populo, ne periclitetur apud Romanos, ne videlicet Romani propter JESUM, quasi Messiam, & Regem Judæorum, tollant nostrum locum, & gentem; itaque gens tota pereat, sed eo sublato, salva & incolumis subsistat. *Expedit nobis.* O stulti! ô bardi! ô stipites! quam verè in vestra prudentia infatuati estis, quam extremè desipitis. Expectate modicum, & videbitis quod non sit consilium contra Dominum; sentietis quomodo hoc *Expedit nobis*, in obfuit nobis commutabitur; quando propter ipsum Christum occisum Romani insurgent, tollentque gentem vestram, funditusque subvertent.

Interesse opprimit insontes

Ib.v.49.

VII. Subsimilem imaginem exhibet præsens Evangelium in flagitioso Oeconomo, qui bonis Domini luxuriosè profligatis, quum se captum, deprehensumque cerneret, omnique

bonorum administratione privandum conjiceret; ne extrema subinde inopia conflictaretur, ac in tenebris, sordibusque computrescceret, adhibuit callido ingenio, & improbo dignam solertiam, qua sibi providit, rebusque suis consuluit. *Quid*; ait intra se, *faciam?* quo me vertam? Profectò ad incitas redigar, & paupertem, comitesque illius famem, sitim, nuditatem hæreditabo. Quid faciam? Non sum assuetus labori, opificium nunquam tractavi, securi, aut harpagine panem non emerebor. *Quid faciam? Mendicare erubesco.* Qui me hactenus suspexerant despicient; qui reformidabant, exsibilabunt, stipitemque pro stipe obtrudent. Hæc ubi intra se exegisset, præteritæ fraudis malitiam nova perfidia cumulavit, tabulas adulteravit, debitoribus aliis dimidium, aliis trientem remisit, sicque benevolentiam aliorum sibi conciliavit.

Ejusmodi Prudentia Machiavellica, serpentina, ac plane diabolica est; qua is utitur, ad nos supplantandos, & in perniciem, calamitatemque per omnem nequitiam deducendos. Quam cum Dominus approbare in citata Evangelii lectione videatur, non fraudem, & nequitiam commendat, sed ingenium, quo quidem ille usus, ad malum quodpiam corporis impendens avertendum; & bonum quodpiam temporale, quantumvis cum dispendio animæ comparandum. Hoc pacto cum audimus quidpiam ab alio quopiam ingeniosè patratum facinus, etsi damnamus factum, laudamus ingenium, dolentes non in aliis insignioribus muniis, aut facinoribus illud locasse.

Prudentia Christiana qua sit

VIII. Est autem prudentia Christiana, si se conformet rationibus æternis & cogitationibus filiorum Dei excelsis. Vera enim Prudentia est, nosse Deum, illius sanctissima lege indaganda, atque exequenda intentionem, cogitationemque defigere, & juxta eandem vitam suam componere.

Hanc Prudentiam inculcavit Dominus discipulis suis, cum diceret: *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut colũbæ.* Quod exponẽs acroama S. Epiphanius, duo inter alia specimina Prudentiæ observat in serpente. Primum est, quod acutissimi visus sit, continuoque oculos vigiles habeat, & si quispiam eorum obducatur cuticulam detrahat; si eruatur, alter succrescat. Id profecto cuivis nostrum accurrendum est, ut si fortè oculum mentis aus lutum quodpiam fœculentæ cupiditatis obduxerit, aut blandæ viscus voluptatis vitiaverit, aut nummi fulgor, & inanissimi aura lucelli perstrinxerit, illum emundemus; effossisque mundanæ sapientiæ luminibus, alia Christianæ vitæ propria, atque divina capiamus; nec in vitium, hujusque sæculi pompam; sed in decus, & Numinis gloriam intenta. Quemadmodum enim vitro viridi, aut cœruleo ante oculos corporis oppositio omnia viridia, ac cœrulea apparent intuentibus; ita obfuscan-

Matth. 10. v. 16. S. Epiph.

Serpentis Prudentia in quo consistat.

te

te mentis aciem viſco, ac luto terrenæ fæcis, quæque lucida tenebroſa quævis tenebroſa lucida objiciuntur, ne inter bonum & malum; inter rectum & obliquum diſcernere queat.

Alterum eſt, quod totum objectet corpus, pro tuendo capite, in quo vitam ſuam, ſalutemque novit eſſe poſitam. Æqua ratione (ſi prudentes inveniri volumus) nobis faciendum, ut nimirum poſſeſſiones omnes, corpusque ipſum malimus exponere periculis, quam Caput noſtrum Chriſtum perdere. *Omnis enim viri*, (& omnium noſtrum) *Caput eſt Chriſtus*; ait Apoſtolus. Caput cum quo tanquam membra cohærere, cum eo conjungi, de ejus influentiis participare debemus, nec ullius hominis, aut rei cujuſvis gratia ab eo divelli. Sic ut neque inopiæ timor, nec ambitionis honos, nec formæ decor, nec mundanæ pompæ choragium, nec illecebra voluptatis nos ullo modo ab illius ſequeſtret amplexu. 1. Cor. 11. v. 3.

Et hic actus eſt primus Prudentiæ Chriſtianæ, ac Germanæ. Æſtimat enim res quaſvis non ad ſtateram popularis auræ, ſed ad pondus ſanctuarii, ad trutinam divinorum eloquiorum libratas. Proinde quiſquis Prudentiæ vere encomio intendit florere, res ſuas agendas ad rationes æternas dirigat, Deum ſibi in omnibus ob oculos ſtatuat, & de cruciatibus ſempiternis evitandis, de vita beata obtinenda, de felici exitu ſortiendo conſilia ſua obfirmet, ſolidet que.

§. II.

Syneſis, ſeu Electio.

IX. Alter prudentiæ germanæ actus eſt Electio. *Elige.* Non enim ſatis eſt ſcire bonum, aut finem, in quem tendere debeas, niſi ad eum obtinendum media adhibeas appoſita, nec ſufficit mala noſſe, quæ avocant, niſi cognita reſcindantur. Nemo ſane prudentem belli ducem indigitaverit, qui nullo ſtratagemate, nulla dexteritate unquam uſus ad bella conficienda, aut componenda. Nemo Œconomum induſtrium, ac ſapientem, qui quidem de re familiari multa diſceptat, interim occaſiones omnes augendæ fortunæ negligit. Nemo hominem quemvis circumſpectum proclamaverit, qui nullum unquam periculum evitavit, aut ſapienter evitandum eſſe perſuaſit. Itaque ut perfectionem quiſpiam prudentiæ obtineat, neceſſe eſt, ut conſiliis ſuis electionem addat, & de mediis ad finem propoſitum conducentibus deliberet. *Prudentiæ actus Electio.*

X. Salomon deſcribens Sapientiam divinam, eidem unum æquè, ac alterum actum attribuit. *Attingit*, ait, *á fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Attingit à fine ad finem, nihil quod inchoat relinquit imperfectum, omnia coronat, infima per media, media per ſumma ad finem perducens. *Attingit à fine ad finem fortiter* ſuperbos dejiciendo, & attingit ſuaviter humiles, & oppreſſos erigendo. Attin- *Prudentia attingit omnia* Sap. 8. v. 1.

git perſpiciendo fines præfixos, & diſponit, media ad eundem ſubordinando. Quemadmodum enim divinus oculus ſapientia, ac providentia ſua cuncta pervadit, ita ejuſdem bonitas omnibus, & ſingulis prout natura eorum capit, aut exigit, pro modulo cujuſque gratias ſuas in eum finem, in quem condidit, diſpenſat; perque viciniora, ac faciliora media res quaſvis perficit, ac beatificat. Et quidem ad finem naturalem obtinendum elargitur formas, ac virtutes quaſdam natutales; quæ ſunt præcipia actuum quatenus ſecundum ipſas inclinentur ad ejuſmodi motus; ad ſupetnaturalem autem diſpenſat formas, ſeu qualitates ſupernales, ſecundum quas ſuaviter, prompteque moveantur ad bonum ſempiternam conſequendum. *Attingit à fine in finem.*

Iacobi Patriarchæ Prudentia.

XI. De S. Patriarcha Jacobo ſequentia tradit Sapiens: *Oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum; & complevit labores illius.* In quo encomio tria extollit, in quibus planè medulla Prudentiæ conſiſtit.

Sap. 10. v. 10

Primum eſt, quod alte animo impreſſerit ultimum finem, in quem conditus. Et hic illi in viſione prodigioſæ illius ſcalæ declaratus, cujus apici innitebatur Numen, evocans illum à terris, atque ad ſe attollens omnia, tanquam ad centrum boni, in quo quieſcere, felicitateque ſua potiri deberent.

Scientiæ Sanctorum quæ ſit

Alterum, quod dederit illi ſcientiam, non Sophiſticam, non Mathematicam, non Machiavelliſticam, ſed Sanctorum; quam mellitiſſimus Bernardus ſic deſcribit: Scientia *Sanctorum eſt, hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum.* Scientia Sanctorum eſt, hic ſeminare, ibi metere; hic laborare ibi mercedem præſtolari; hic certare, ibi coronari. Si animus eſt addiſcere, ac perſpicere hanc ſapientiam, ite ad Beatos Apoſtolos, & videbitis ut illi ad unius vocantis Numinis vocem, omnia quæ poſſederant relinquentes, per infamiam, & bonam famam; per probra, & irriſiones, per flagella, & cruces idem ſecuti ſint. Ite ad SS. Martyres, & deprehendetis, quod illi pro anima ſua decertaverint uſque ad mortem, milleniſque cruciatibus pro ejus ſalute corpus expoſuerit. Ite ad SS. Confeſſores & conſiderate, quam generosè mundi pompam calcaverint, quamque exacti in cuſtodiendis Domini mandatis fuerint. Ite ad SS. Virgines, & exigite, ut illæ voluptatibus carnis renuntiantes, corpus ſuum mortificationis lupato in ſervitutem redegerint, ſeſe ex aſſe Dilecto conſecraverint, illumque accenſis lampadibus præſtolatæ fuerint. Hæc ſcientia *Sanctorum eſt, hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum* &c. Prudentia enim propoſito fine bono, & honeſto, indagat vias omnes eo perveniendi, quo tendere propoſuit.

S. Bern ſem in Verba ſq.

XII. Quod exactiſſimè à S. Patriarcha præſtitum. Etenim viſione illa divina recreatus, & ad vitæ perfectionem informatus, Deum

Gen. 28.

ut ul-

ut ultimum finem, & bonorum omnium fontem incredibili animi demissione veneratus est. Illi, ut supremo rerum omnium Domino, se, suaque devovit, lapide in perenne testimonium, in titulum erecto, unctoque oleo. Locum, in quo tunc consistebat eidem consecratum voluit; decimas rerum omnium promisit; sibique legem, quantum ratio permitteret perfectissimæ sanctimoniæ statuit. O prudentiam! ô scientiam sanctorum, quam meritò suspicere, admirari, & imitari par esset!

Si enim prudenter agere velimus, non sufficit oculum in finem, in quem ordinati intendere; aut discernere, quæ nobis commoda, vel noxia, nisi unà ad media efficacia, & apposita animum adiiciamus. E. g. Si quispiam inardescat animum evacuare ab omni sulphure servilis iracundiæ, non satis est penetrare, eam esse pernicioſam æque animæ, ac corpori, nisi insuper mediis ad id expurgandum utatur. Si enim uxor igneos identidem globos in virum jaciat; isque in pectore ignem concipiat, cogitet necesse est, an declinando eos evitet, an pelle lenitatis, ac mansuetudinis cooperiendo sopiat, vel expendendo patientiam Crucifixi, vel ipsam bilis fœditatem extinguere sufficiat. Si ambitione, arrogantiaque laboret, quærat occasiones sese humiliandi, utatur viliori amictu, utatur speculo cognitionis propriæ miseriæ, ac fragilitatis, similibusque viis, ac mediis. Ita si ab aliis infestetur vitiis, vel crebrā eligat orationem, ac confessionem, vel fugiat occasiones, vel exerceat se in præsentia Dei, vel in novissimorum frequentiore meditatione. Æqua ratione, si ad virtutis cujuspiam perfectionem enitatur, instrumenta percommoda ad eam obtinendam acquirat.

Prudentia mundi efficax

XIII. Et quidem hac in parte exactissima est Prudentia hujus sæculi; sedulissima sese animi inquietudine ad media opportuna seligenda demittit: Si præfixum habeat promovere essedum gloriæ suæ, si expugnare regionem, aut urbem quampiam definiverit, quo genere armorum non utitur, quibus illam subruere cuniculis nititur, quibus circumcirca æneis quatit machinis, quibus desuper ignivomis infestat globis? si alter quispiam ad augendam rem familiarem exacuit intentionem, quos ille labores, vias industrias, suscipit, in quæ pericula se conjicit, quot miserias, inediasque lubenti animo exhaurit? Si tertius in pulvere scholastico lauream obtinere gestit, quot vigilias non sustinet, quot flagris expolitur, ac dedolatur, quot vexationibus ingenium ipsius acuitur.

Incuria mortalium

Sed eheu in solis filiis lucis hæc prudentiæ lampas identidem deficit. Norunt illi perbelle finem, in quem plasmati, norunt se non habere hic manentem civitatem, & tamen torpent, nec de via inquirenda, nec de viatico accurando soliciti. Norunt evidenter animæ majorem habendam rationem; & tamen minus illi, quam huic prospiciunt. Norunt regnum cœlorum vim pati, & violentos illud rapere; & torpent, nullamque sibi vim inferre volunt. Eapropter meritò con-

queritur Dominus dicens: *Filii hujus ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua.* Illi labore indefeſſo pro lucello aliquo evincendo contendunt, hi prô pudor, ſi pro donis gratiæ augendis, deque ſalute ſua firmanda jubeantur eſſe ſoliciti, lecto affigi caput, ſomno oppreſſum, ſurrigere vix ſufficiunt. Illi nunquam non prompti ad occaſiones quaſvis lucri; hi ſi evocentur ad ſempiterna bona obtinenda, velut inciſis nervis incude graviores, reſupinantur. illis ſi agatur de lite aliqua evincenda, beneſibi conſulunt, Patronos caulæ conquirunt, eidem invigilant, hi ſi vel quartam partem horæ divinis commentandis ſeponere jubeantur, onus non ferendum exiſtimant. *Filii hujus ſæculi prudentiores ſunt.*

§. III.

Gnome, ſeu Matura.

Prudentiæ actus tertius

XIV. Tertius Prudentiæ actus eſt matura Executio. *Matura.* Ad eam enim pertinet captare occaſiones, nec ſinere tempus oportunum ad res conficiendas elabi; quod cum ſemel è manibus evolaverit, incaſſum ſubinde requiritur, nec ullis Archimedis revocare poteſt machinis. Proinde periculosè, & ſtultè differtur, quod ſemel rectè eligitur.

Virgines fatuæ cur excluſæ?

XV. Divina Sapientia, quam totum genus humanum, certè univerſum fidelium gregem, in duas veluti claſſes diſtinxiſſet, ſub parabola decem Virginum eas comprehendit, quarum aliæ erant prudentes, aliæ fatuæ. Illæ electæ ad convivium ſponſi, & in thalamum introductæ; iſtæ cum confuſione, damnoque irreparabili excluſæ. *Neſcio vos.* Quæſo conferamus nos ad ſorores iſtas noſtras, quæramus ex iis; Dilectiſſimæ, filiæ, quid vobiſcum agitur? cur aliæ intromiſſæ, vos repudiate? Cur illæ deprædicatæ ob prudentiam, non item vos? Num quidpiam inurbanitatis in vobis obſervatum eſt? At video vos officioſiſſimas, ac urbaniſſimas. An quod oleum in lampadibus defecerit? At & iſtud audio vos comparaſſe, & adimpletis jam vaſculis rediiſſe. Quid itaque vobis objicitur in argumentum fatuitatis veſtræ? Tacetis vos. Reſpondebo pro vobis, quod necquicquam aliud inveniam, quam quod moras nexueritis. Ex lectulis veſtris ſerò vos proripuiſti, ſubinde ad ſpeculum hæſiſtis diutius, & ſic ſacrum neglexiſtis; cum ſodalibus veſtris protraxiſtis colloquia, & Verbum Dei audire detrectaſtis; veſperi vel in plateis diutiis moratæ eſtis, vel inter amores veſtros diſtentæ fuiſtis; & ſic feſta luce, vel ad ſacrum epulum accedere nequiviſtis, juventutem veſtram in jocis, luſibus, ſaltibus, vanitatibus traduxiſtis, veram, ſinceramque ad DEum converſionem ad annos decrepitos diſtuliſtis; interea venit Sponſus, & quoniam imparatos deprehendit, pertranſiit, excluſit, nominaque veſtra ex albo ſuorum expunxit: *Neſcio vos.* Hoc erat inſolubile ſtultitiæ veſtræ argumentum, quod nullo unquam ævo pollebitis eno dare.

Matth. 25.

Eapropter vulgari monemur proverbio: *Delibera diu, fac cito.*

wo langſamer rath/ und ſchneller that, allda rten alles von ſtatten gaht.

Procraſtinatio noxia Eccl.9.v.10

XVI. Hoc itidem Sapientis monitum eſt; dignum ipſius prudentia, & magnificentiſſimo Dei munere infuſum: *Quodcunque poteſt manus tua inſtanter operare.* Olympiodorus ait, intendere Sapientem, quatenus omnem conatum; ſtudiumque circa practicas exerceamus virtutes. Cajetanus ex Hebræo legit: *Omne quod inveniet, manus tua ad faciendum in viribus tuis, fac.* id eſt in virtute tua, in fortitudine tua, pro viribus tuis. Vult enim manum quadantenus eſſe vigilem, & in omnem evarientem partem; ſi quidpiam occurrat, quod pro animæ ſuæ ſalute, proque dei honore poſſit efficere; illudque faciendum inſtanter; non molli brachio, non remiſsè, non languidè; verum celeriter, ſtrenue, animosè, eaq; contentione; quam ratio, & prudentis hominis munus, Deuſque poſtulat. Cujus rationem ſubdit: *Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos; quò tu properas.* Volât ætas, morſque tanquam in inſidiis excubat, quatenus nobis vitam eripiat, tumuloque condat. In cujus cineribus, nec tanquam in pulvere ſcholaſtico ſcientiam indipiſci; nec tanquam in pulvere Martio fortitudinem oſtentare; nec tanquam in pulvere vulgari, aut Mathematico figuras efformare poterimus. *Quia nec opus nec ratio.* &c. Nec opus, quodpiam mechanicum exanthlare, nec rationem in obſequium fidei ſubmittere, nec in Sapientia rerum divinarũ, altiſſimarumq; verſari nec ſcientiam Sanctorum acquirere valebimus. *Quia nec opus, nec ratio.* &c.

Olympiod. h.l.

Cajet. h.l.

Eccle.9. v.11.

XVII. De Fabio Cunctatore iſtud olim celebratum elogium: Q. *Fabius cunctando reſtituit rem.* Illa mora, & longanimitate ſua fractas Romanorum vires redintegravit, nutabundumque erexit imperium. Verum de Cunctatoribus noſtris, & in ſervitio Dei oſcitantibus, rectius multò judicatur; *Cunctando reſtituit rem.* Ille juvenis, quia à teneris malitiam ſuis imbibit oſſibus, nec in tempore extirpare ſtuduit, *cunctando deſtituit rem.* Ille adultus, quod vocatus à Deo in tẽpore reſipiſcere noluit; *cunctando deſtituit rem.* Illa Virgo, illa matrona, quia diſtulit cõfeſſionem, quoad mors loquelam interciperet, *cunctando deſtituit rem*; perdiditque ſempiternam felicitatem. *Itaque quodcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare.*

Liv.

Corvina vox fugienda

XVIII. Semper, tibi inauſpicata ſit vox Corvina *Cras, cras*, quæ multis ad calamitatem, extremumque illuſit exitium. Emiſſus hic ex arca, cum non rediret ad illam, paſtus cadaveribus; creditur à multis, & ipſe aquarum diluvio obrutus. Quam verendum, ne eadem ſors illos maneat, qui coracina ſacra celebrant; illudque vulgare: *Seria in craſtinum*, occinunt. Dum enim morantur, & hærent, nec operi manum admovent, occaſis elabitur villicatio aufertur, iniquitas plectitur.

Fabula de avibus

XIX. De aviculis apologus Poêtarum eſt, quod hirundo advertens conſilium ſemine cannabino campũ, ſeriò admonuerit illas, quatenus ocius eruerent, ac depaſcerentur, ne in herbam

herbam, ipsarum nationi noxiam, succresceret. Quod cum nequivisset illis persuadere, saltem ut herbam etiamnum teneram evellerent, urgebat. Verum & hoc consilium surda aure acceptum cum esset, hirundo periculi declinandi causa ad domos, urbesque se recepit, in ipsis nidulari exorsa. Paulò post concinnatis ex cannabi jam matura retibus, pluribusque irretitis, ac pereuntibus, aut opem exposcentibus reponebat: Tempus jam non est amplius. Erat in semine hoc malum, aut in gramine præcavendum; nunc cum consummatum sit quis vos eliberare poterit.

Timeant id ipsum rationales aviculæ, quæ sæpenumero advertunt in corpore, seu potius in anima ab nocturno interpollatore seri semen nequitiæ; jamque in herbam malitiæ, aut consensus excrescere; invigilent illi seriò, eradicent ocius, priusque in casses, aut funes nauticos excrescat, quibus inodentur, inque Tartara protrahantur. Conentur habere non tantum judicium sanum, & rectum finis, in quem conditi, sed insuper media convenientia ad eum obtinendum, adque impedimenta amovenda eligere, conentur eadem opportunè executioni mandare, quatenus & rationes suas exactè Domino Deo suo reddant; & dignum prudentiæ, ac fidelitatis suæ stipendium referant.

Amen.

CONCIO. XXXVIII.

IN DOMINICA IX. POST PENT.

Videns civitatem flevit super eam. Luc. 19.

ARGUMENTUM

Civitas deplorata.

QUum præsens Evangelium, calamitosissimumque Jerosolymitanæ urbis statum expendo, perplexus hæreo; an magis illi condolere cum Christo, an verò nostram deplorare debeam infelicitatem A. Nam quemadmodum Jerosolyma cunctarum urbium fidelium, in quibus Numen colitur, typus fuit; ita in eadem admonentur singulæ, quatenus à simili calamitate, & exitio sibi caveant. Quantò enim proprius accesserint urbes nostrates ad cumulum criminum illius; tantò etiam viciniores futuræ termino suppliciorum ejusdem. Paria enim vitiorum habitacula, paria merentur excidia;

dia; & quæ invicem confœderantur sceleribus eadem etiam cognata iunt in pœnis. Id autem unde colligere licet?

Partitio

Civitatem quæ ordinatam demonstrent

II. Bonam, malamve; laudandam, & deplorandam Civitatem Carolus V. ex triplici P. discernere consuevit, id est ex Pastore, Prætore, Præceptore; seu ex Templo Prætorio, scholis. Ex Pastore, & templo bonos censebat oppidanis, si frequentes interessent sacris; ex Prætorio judicabat ordinatam civitatem, si horologium bene incederet; ex scholis, si moratam, politamque juventutem cerneret. Secus vero ex templo deserto, desertam pietatem; ex horologio perperam directo, inordinatum regimen; pueros morosos ex scholis neglectis inferebat. Et eadem ex Evangelii lectione colligo fuisse, quæ Christo Assertori & Vindici nostro lachrimas exprimebant; urbique exitium procreabant.

PARS I.

§. I.

Templi Ierosolymitani status.

Ierosolyma subversa causa prima

III. Primum erat templum illud tantis impendiis constructum, tanta olim pietate frequentatum, tot prodigiis illustratum; jam vero in speluncam Latronum conversum. Ita enim ipse: *Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Templum locus est divinæ deputatus gloriæ, quemadmodum Psaltes cecinit: *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Locus est, ubi psallendum spiritu, psallendum & mente. Locus, in quo assistunt Angeli, quem devenerantur Archangeli, ubi adest præsentissimum Numen affectum intrantium, & orantium considerans. Et vos ad lucellum, prædamque latronum instar in eo circumspicitis, non nisi quæstui inhiatis, proprias animas avaritiæ laqueo jugulatis. Nec secus, atque Latrones speluncas habent pro refugio; ita vos puros securosque putatis, si sacra adeatis, aut inibi hostiam ex rapto immoletis. *Domus mea domus orationis est* &c. *Psal. 28.*

Templi violatio punita

IV. Verum scitote, vos qui latronum more vivitis in templo, latronum ritu etiam tollendos de terra. *Si quis enim templum Dei violaverit disperdet illum Deus*; hoc est diversimode perdet famam, honorem, pecuniam, filios, filias, ipsummet denique: *disperdet illum Deus.* Non potuit Numen optimum Adamum sustinere prævaricatorem in paradyso; sed indutum melote ovium exturbavit. Non enim æquum erat, ut locum obtineret sacrum; posteaquam illum, profanata lege, violasset, eratque illud delictum hoc exilio dignissimum. Et vos perfidos non eliminabit è domo suo multo sacratiore, ac diviniore, qui gravioribus longe scatetis sceleribus? *Si quis templum Dei violaverit disperdet illum Deus.* *1. Cor. 3. v. 17.*

Templa violantium pœna

Heliodorus cur punitus

V. Gentilis erat Heliodorus, rerumque divinarum, ac mysteriorum ignarus; & nihilominus diritissimæ flagellatus, soliusque Oniæ precibus sanitati redonatus. Fassus est ipsemet culpam,

pœnamque suam coram Rege dicens: *Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illum, & flagellatum eum recipies; si tamen evaserit; eò quod in loco sit veri Dei virtus quædam. Nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator, & adjutor est loci huius; & venientes ad male faciendum perculit, & perdit.* q. d. Si habes inimicum gravi dignum supplicio, mitte illum, quatenus loco illi sancto injuriam faciat, & ipse locus te vindicabit de inimico tuo. Sensit ego Numinis illius manus id que gratiæ illius singulari in accepas referre cogor, quod etiamnum legam superstites. *Venientes ad male faciendum percutit, & perdit.* Vah & perfidos, sacrilegosque, illius cognitæ veritatis contemptores impunitos, indemnesque sinet? *Si quis templum Dei violavit, disperdet illum Deus.*

2. Mach 3. v. 38.

Lib. 6. de bello Iud. c. ult.

VI. Ominatur Flavius Josephus urbis, templique Jerosolymitani lamentabilem eversionem Dei permissu facta m, cum propter alia flagitia, tum maximè propterea, quibus templum illud ab ipsis inquinatum, ac contaminatum. Cum lachrimis, cum admoniti onibus, cum plagis necquicquam proficeret, abolere maluit, quam ultra sufferre. Mavult enim Numen omnino cultum non admittere, quam videre in cultu abominationem iniquitatis. Mavult aram in haram commutare, quam cultorem, mystamque porcorum de grege tolerare. *Si quis templum Dei violarent disperdet illum Deus.*

Eapropter vaticinanto Dominus de subversione illius urbis, impietatem in templo tanquam infallibile signum illius adduxit: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Nempe adesse tempus ultionis, ac subversionis. Maxima enim dona, ut à Deo propitio in templo proveniunt; ita funestissimæ calamitates ab eodem, imprimis in loco sacro irritato, redundant.

Matth. 24.

§. II.

Prætorium taxatur.

VII. Excivit item lachrimas Christo JESU Horologium, seu quod non præviderit præcaveritque Urbs illa mala sibi imminentia. Id enim clarè indicant verba Evangelii initio citata: *Quia si cognovisset & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Jam prope ultima vertebatur hora impendentis exitii, & ipsi nec prævidebant eam nec avertere malum nitebantur.

Luc. 19. v. 42.

VIII. Verissimum illud proverbium est: *Iacula prævisa minus feriunt.* Et multo gravius afficiunt, quæ præter exspectationem accidunt. Turbat repentinum vulnus, occupat improvisus dolor, sensusque inhorrescit ad casus leviss imos, non prius armatus prævisione impendentium. Majora semper videntur subita, negantque spatium considerandi quantula sint. Et ut subitæ mutationes lædunt corpora nostra; ita animos sautiant profundissimè. E contra jaculis corpus suffuramur perspectis, subducimusque prævisis animum malis, vel si defugare omnino labores, aut præstigare adversa non sufficimus, cognitione illa mitigamus, to-

Iacula prævisa minus feriunt.

ta quantumvis mole sua incumbentes. Nam, quemadmodum Basiliscus cum speculo prævisus, suo disperit in toxico, ita mala alia eminus perspecta in sua funerantur origine.

IX. Erat multiplici ictus jaculo Jobus, & tamen constantem semper, inflexibilemque inter aspera frontem tenuit. Nullus casus ipsius infregit animum, securum regiis gaudiis, divitiisque, opulentum possessionibus, armentisque; venerabilem filiis, occupatum procuratione substantiæ, familiæ, prolis, Æquè enim animosè adversam sortem suscepit, quam prudenter, ac timidè secundam sustinuerat.

Iob. unde tam infractus

Unde quæso tanta illi constantia? Qua chalibe pectus, ad quævis adversantia, obfirmaverat? *Ipse loquatur: Timor*, ait, *quem timebam evenit mihi, & quod verebar accidit.* Quia noverat prævidere imminentem sibi tempestatem, idcirco, non expalluit ad præsentem. In ipsis ulnis sibi blandientis fortunæ, perinde ac infans à nutrice ferebatur, cum semota omni desultoriæ sortis suspicione, ptæstolabatur adversa quævis, adque eadem sese accingedat. Quid futurum est ajebat sibi, si rerum tuarum dimidium auferat casus? Nullum enim hic æternat felicitas. Quid si armentorum partem, quod si omnia ignis cœlitus immissus cum pastoribus ipsis absumeret: aut hostes repentina irruptione abducerent? Nihil enim id fieri implicat, cum aliis sæpenumeroevenerit. Quid si malorum cumulus charorum pignorum fato increscerer? Quid si hoc novercantis fortunæ poculum, non per hausfus divisos, sed uno quasi spiritu compellar exsorbere? Quid si istam totam seriem calamitatum, non in anno, non in mense, non in hebdomade, non in die sed hora unica concordi impetu irrueret? Quid si minore spatio quam cogitem? Quid si post tantam vastitatem solicitudinem nanciscar pro conversatione, desertionem pro familia, improperia pro refocillatione, scabiem pro fasciis, ulcera pro amuleto, plateam pro cubili, fimetum pro lecto, canes pro medicis, vermes pro pedissequis, dœmones pro mancipiis, & torroribus? Quid si ultimum tui asylum sit, non nosocomium, sed sepulchrum; nidulantibus in corpore tuo vermibus, spiritumque cum carne exedentibus? Quid si non fortuna duntaxat, sed natura iniqua evadat, & extra morem suum te etiamnum spirantem tam novercali arrodat dente; ut cum cuncta tibi defecerint, tu tibimet nequeas deficere? Quid si adhæc omnia experiere humanitatis, ac fidei naufragium in amicis, irrisiones in proximo, subsannationes in uxore propria; num propterea deturbabitur mens tua? num infringetur tanquam arundo animus tuus? Non, inquit, pluris enim duco animam meam, quam pecora, pluris tranquilitatem meam, quam turbam populorum, pluris rationem, quam armenta, aut tormenta; pluris judico esse virum quam divitem, pluris sanitatem reputo animi, quam corporis, plutis puritatem affectuum, quam mephytim fœtidotum arruum. Colligat suas fortuna copias, nova torquendi artificia adornet, experiatur summum, quod potest, depluat in me nimbo veluti effuso

Iob 3. v. 25.

Temporalia caduca

infortunia omnia expecto, Idem potest recipere, qui contulit. Hoc secum computabat, hoc secum decernebat athleta ille fortissimus, nec situ sordebat in pace ; sed victor ubivis fortunam intra præcordia blandientem jugulabat, & instar strenui ducis, belli quadam imagine se oblectantis, in ipsa fortuna contemplabatur infortunia. Et idcirco ubivis triumphabat, telaque in hostem majore cum ipsius confusione retundebat. *Timor quem timebam evenit mihi.*

X. Exadversum vero quam miserè periit dives ille, à S. Luca signatus. Percurrite casum illius lamentabilem, & deprehendetis nullum actum fortitudinis, aut pietatis exercuisse, immo nec de Deo, nec de proximo in extremo agone cogitasse. Quid causæ ? Nempe dum vivebat corpore, & animo nihil minus, quam hæc ipsa tractabat, nihil minus, quam de Deo, aut de animæ suæ salute, aut de morte imminente cogitabat ; nihil magis, quam quantum frumenti, vini, olei pecuniæ haberet ; quam basilicè in annos plurimos citra omnem solicitudinem vivere posset : Cogitabat intra se dicens : *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos ? Destruam horrea mea & majora faciam ; & dicam animæ meæ. Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare.* Hæc erant ipsius meditationes, hoc volvebat diu, noctuque, novissimorum omnino incurius. *Habes multa bona posita in annos plurimos.* Ita sibi vanus augur occinebat, cui mors falce sua jam jam imminebat. *Stultè hac nocte repetent à te animam tuam.* Eapropter male hic diperiit, & prebelle res suas alter firmavit, solidavitque. *Non cognovit quæ ad pacem sunt sibi.* Quisquis itaque sinistros evitare gestit casus, extremamque avertere ruinam, is prævideat, ac præmeditetur, instantia discrimina, quatenus & malis impendentibus occurrat fortius, & offendicula cautius evitet ; ne cum hoc divite, & Judæis malè pereat.

Dives cur damnatus

Luc. 12. v. 18 19

§. III,

Scholæ Ierosolymitanæ vapulant.

XI. Expressere tertium lachrimas Christo Domino Scholæ, seu potius exiguus profectus in iis Judæorum. Non enim per suos Doctores tantum ; sed per se ipsum eosdem instruere dignatus est, necquicquam tamen proficientibus illis. Adducit hanc causam Dominus, dum lamentatur, *quod non cognoverit tempus visitationis suæ.* Visitare enim Domini est, per se, vel per suos Doctores, & ministros erudire, vel etiam torpentes discipulos, & nihil vocibus, aut beneficiorum illiciis proficientes immissis plagis in viam justitiæ revocare. Hæc cum necquicquam profuissent rudi populo Judaico, tanquam desperatos destituit. Præceptor qui videt se in stupido discipulo oleum, & operā perdere, trāsfert laborē suū in aliū in quo spes evidētior affulget pro-

Inspirationi divinæ respondendum

fectus

fectus; haud secus divina illa mens tandem deseruit perfidos Verpos, quos tamdiu incassum erudierat, & Gentilitatem assumpsit.

Prov. 1. v. 24. XII. Ad literam id illis prædicendo comminatus est Dominus per os Salomonis: *Quia vocavi*, ait, *& renuistis; extendi manum meam, & non erat, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis advenerit.* Extendebam manum meam demonstraturus viam vitæ, ac salutis, & non erat, qui me audiret inculcantem; suggerebam consilia, & vos exclusistis me è senatu cordis vestri, quò nulla habita legis meæ, aut vocationis ratione immoderatis affectibus vestris litaretis laxius; urgebam vos stimulis, at vos cucurristis adversum me erecto collo, & pingui cervice armastis vos. Eapropter & ego in interitu vestro ridebo, & dabo vos in sibilum cunctis gentibus. Experietur virgam furoris mei, quisquis virgam decoris aspernatus fuerit. Ambulabit errabundus in tenebris, cui invisum extitit lumen mentis. Decidat, induret, & arescat, qui fulcientem sese, ac per vias planas deducentem repudiavit dexteram.

Iob. 15. 26.

XIII. Jeremias vates originem calamitatum populi sui aut investigans, aut vaticinans; aliis omnibus omissis, uni vocationis divinæ spretæ imputat proterviæ. *Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam.* Notate ait tempus & causam ingruentium malorum haud aliam fuisse; quam illam quod Dominum ducentem per vias rectas non observaveritis, quod in transversum secundum concupiscentias vestras abiveritis. Utinam idipsum multis aliis in districto judicii die non exprobret Dominus, vel in ipso Averni clibano insusurrent Tortores: *Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam.* Numquid non idcirco tibi mensa sternitur carbonibus desolatoriis? Numquid non ideo tibi calix attemperatur pice & sulphure? Numquid non eam ob rem in hac Tartarea desudas fornace, ustulaberisque in omne ævum, *quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam.* Principium omnium calamitatum tuarum hoc est, quod Deo vocanti obsecundare, docenti ac monenti aurem præbere detrectaveris.

Ier. 2. 17.

Inspirationum neglectus noxius.

XIV. Eidem populo refractario positurus ob oculos Dominus mala imminentia, destinat eos per eundē Vatē suum in Silo: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio, & videte quid fecerim ei.* Disquirite cur eò miserit, & non ad Ninivitas? Cur non ad Gomorrhæos? Silo locus erat, ubi tabernaculum Dei constitutum fuerat, ubi oracula dabantur, ubi sacrificia offerebantur? verum DEus abstulit illud Tabernaculum, tradiditque civitatem illam impiis idololatris Philistinis, qui una die, supra triginta millia hominum in ea jugularunt. Unde quæso tanta strages hujus civitatis accidit; & metuenda edicitur Jerusalem: Subdit sacer textus: *Locutus sum ad vos mane*

Ier. 7. v. 12.

con-

Ibid. v. 13 *consurgens, & loquens, & non audistis, & vocavi vos & non respondistis*; Eapropter complebo furorem meum in vobis.

Erant Judæi illo tempore persimiles Sodomitis ad quos cum loqueretur Loth: *Surgite, & egredimini de loco isto,* *Gen. 19. 14.* *quia delebit Dominus civitatem hanc, visus est eis, quasi ludens loqui.* Erant fratres gemelli illorum qui sub tempus diluvii imminentis degebant in terra. qui præmoniti à Noe impendentis periculi, subsannabant tanquam delirum senem, & *erant bibentes, nubentes, &* *Matth. 24. 7.* *nuptui tradentes, usque ad eum diem,* *Luc. 17. v. 27.* *quo venit diluvium, & tulit omnes*; & idcirco quemadmodum super hos, ita super illos venit indignatio.

S. Hier. h. l. S. Hieronymus hunc locum interpretans, idipsum monet omnibus fidelibus esse timendum: *Quidquid dicitur populo illi, intelligamus & de nobis, si similia fecerimus.* q. d. si nos perinde ac Judæi vocanti Deo non responderimus, si inspirationes ejus surda aure perceperimus; si flagellis coërciti in deterius obdurati fuerimus, paribus suppliciis, fulminibusque obnoxios reddemus. Quemadmodum illi justo dei judicio proscripti, ac fulminati sunt; ita nos eadem divina Nemesis deseret, inque Tartara præcipites aget, si eorum cœcitatem ac dementiam æmulati fuerimus. Ad temporale & sempiternum exitium deduxit Judæos, quod Pastore, Prætore, Præceptore abusi sunt; nos si fortè exemerit temporalibus suppliciis, timendum ne involvat æternis.

Pars II.

XV. Jam ponamus unguem in ulcere, & ad Pastorem, Prætorem Præceptorem nostrum nos reflectamus.

Non invenio, quod culpem in Doctissimo, Vigilatissimoq; Pastore; bene tamen in ovibus. Non occurrit quod taxem in templi decore; & apparatu; non parum tamen est, quod castigem in ejusdem cultu & frequentia. Erat enim ante multò major frequentia in primo sacro audiendo, quam de facto sit. Tam sancta & religiosa erat civitas ista, ut plerique censerent inauspicatam se ducturos diem, nisi eandem audito Missæ sacrificio consecrassent. Nec erant tam rari nantes in gurgite vasto sub tempus Concionis, atque in præsenti. Jam nauseant non pauci Verbum Dei, quemadmodum olim manna Israelitæ. Si qui tamen accedunt, latet me quo animo id faciant. Vereor ne querela S. Chrysostomi in multis locum habere queat: Multi, ait, ille ad *S. Chrisost. h. 74. in Matt.* "formam mulierum aspiciendas in ecclesiam veniunt. Mirum quomodo cuncta fulmine cœlesti non everantur. Hæc enim fulminibus solum, sed etiam gehennæ supplicio sunt dignissima; verum Deus cum longanimis sit, & misericors, ut in pœnitentiam te adducat, iram suam interea retinet. Quid facis homo? Mulierum speciem in ecclesia curiosius perscrutaris, non horrescis templum

Dei

"Dei tanta afficiens contumelia? Pro-
"ſtibulumne tibi videtur Eccleſia? Sa-
"nè multò melius eſſet cœcos eſſe,
"quam ita turpiter oculis abuti; ut eo
"tempore maximè fornicatione, & ad-
"ulterio utaris, quo tibi magna voce
"intonatur, ab his fugias. ô infelici-
"tatem noſtram! *Domus dei facta eſt*
"*ſpelunca Latronum.* Hæc ille.

Vereor ne ſaltem Criſis. S. Ambro-
"ſii in pleriſque locum habeat. Sunt
S. Ambr. ſer. 19. in Quad. "nonnulli inter vos, ait ille, quorum
"licet vultus in eccleſia videamus; cor
"tamen in agris eſſe cognoſcimus, &
"præſentiam quidem eorum conſide-
"ramus in plebe, ſed converſationem
"eorum reperimus in rure, de terra
"enim ſemper cogitant, de terra lo-
"quuntur, quæ terrena ſunt ſapiunt.
"His convenit divina illa ſententia:
"*Terra es, & in terram ibis.* Qui ideo
"aliquando ad eccleſiam veniunt, non
"quia ex fide Chriſtiani ſunt, ſed ne
"Chriſtiani ab hominibus non puten-
"tur. Ita Ambroſius. Et rectè ſi e-
nim verè crederent hic Agnum Dei
pro ſe immolari, Seraphim aſtare
alis ſuis faciem velantia, incorporeas
virtutes pro ſe cum Sacerdote inter-
cedere, ignem Spiritualem è cœlo deſ-
cendere, ſanguinem in cratere ad ſu-
am purificationem contineri, quo-
modo non confunderentur, compo-
nerenturque ad omnem modeſtiam!
Nam ſi coram terreno principe quid-
piam poſtulaturi, tanta cum
demiſſione, attentione, reve-
rentia accedunt, an cum minore
Regem Regum, Dominum dominan-
tium devenerarentur?

XVI. Non invenio item quod cul-
pem in Prætore, aut Horologio; mul-
tum tamen in pleriſque qui non obſer-
vant tempus viſitationis ſuæ, & non
prævident quæ ad pacem ſunt ſibi.
Ehen quot invenire eſt, qui nec cogi-
tant de futura vita, nec de ea ſibi in
minimo proſpiciunt. Deplorat hanc
cœcitatem apud Jeremiam Dominus
cum ait: *Milvus in cœlo cognovit tempus* *Ier 8.*
ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodi-
erunt tempus adventus ſui, populus autem
meus non cognovit judicium Domini. Ipſa
bruta anima ntia naturalis ſagacitate
aſſequuntur, & prævident futuram,
tempeſtatem, inſtantem brumæ tyran-
nidem, & ſibi proſpiciunt, ſoli ho-
mines ſæpenumero tam inconſiderati,
ut nec futura prævideant; nec præſen-
tia expendant. Non cognoſcunt, quæ
ad pacem ſibi proficiunt. Autumant
illam futurorum imaginationem ſere-
nitati ipſorum nebulam triſtitiæ indui-
turam, & ideo nec prævidere, nec
præſcire mala futura volunt, ne præ-
ſentem pacem, voluptatemque, qua
perfruuntur, perturbent. Sicque dum
in præſentis vitæ hærent ineſcati ille-
cebris, clauſis oculis ad mortem, & ad
gehennam accelerant.

XVII. Non puto etiam defe-
ctum eſſe in præceptore, ſeu inſtru-
ctione; magnum autem in diſcipu-
lis, quod nihil, aut parum capi-
ant; nec cognoſcant tempus
Viſitationis ſuæ. Non enim deeſt

Lex

Lex aut Sacerdos, non desunt tubæ quibus animemur, non deest lux Evangelica, qua illustremur; sed deest qui lucem admittat, qui sacerdotem, aut tubam exaudiat. Invenies quibus perinde venit Christus, quasi omnino venisset, qui nec ejus doctrina quicquam proficiunt; nec clarissima virtutum ejus exempla sibi ad imitandum proponunt, nec magnificentissima ejus præmia mente pertractant, nec sacratissimæ passionis ejus mysterium memori, & grato animo recogitant, nec immensas bonitatis, ac misericordiæ ipsius divitias, quas in hoc opere nobis ostendit, ante oculo ponunt, quatenus ejus amore accendantur ad frequentiora sacramentorum | præsidia accedant, quibus à morbis animæ curentur, & in virtutis studio roborentur.

XVIII. Ne itaque & super nos lamentetur Dominus, ne & nos in ira indignationis suæ visitet, ne circumdent nos inimici nostri vallo, & coangustent nos, prosternantque non in terram duntaxat, sed in abyssum inferni præcipitent, cultum Deo, & sacris ipsius exhibeamus, & recognoscamus tempus Visitationis nostræ, quæque ad pacem nobis sunt. Recognoscamus non defuturam Dei manum vindicem, si non defuerint peccata eandem inflammantia. Recognoscamus quantas Judæi, aliæque gentes pœnas persolverint, & timeamus ne paribus, aut gravioribus plectamur. O quam sedulò sibi nunc prospicerent alii, quibus jam immobile saxum æternitatis incubat, si vel tantillum Spatii illis concederetur! quanta modestia, devotione frequentarent illi jam templa, quam cautè, prudenterque sibi prospicerent, quam vigilanter lumina cœlestia & admitterent, & exequerentur. Sed heu jam jacta est alea, & in omne ævum nec radius ullus visitationis divinæ illis illucescit. Nos, quibus etiamnum conceditur iisdem frui, sic easdem inspirationes, admonitionesque admittamus, ut una in iis ambulemus; malaque impendentia præcaveamus.

Quod autem in nobis deerit, tu ô Christe salvator supplere digneris, tu converte corda nostra, ut conterantur; & si forte à nobis abstuleris regnum, aut bonum temporale, saltem æternum non auferas. Si peccatis nostris incendimus furorem justitiæ tuæ, tu torrentibus misericordiæ tuæ fontibus sanguinis tui, lachrymis sacratissimæ Matris extingue. Si per cœcitatem nostram in præcipitia ruimus, tenebrasque exteriores; tu lumine sapientiæ tuæ ab erroribus periculisque expedias; & in viam mandatorum tuorum reducas. Si funera, aut pericula non prævidemus, tu tubum prudentiæ suffice, quo eadem perspiciamus; & ad te tandem expediti malis omnibus perveniamus. Fiat,

Fiat.

CON-

CONCIO XXXIX.

IN DOMINICA X. POST PENT.

Non sum sicut cœteri hominum. Luc. 18.

ARGUMENTUM.

Speculum probatissimum.

OMnes Genealogiam nostram ab uno Parente ducimus, iisdemque ceris nobilitamur. Aud. Figmentum Platonicum est, Deum condendo hominum genus, alios quidem ex auro, alios ex argento, alios ex ære, ferroque conflasse. Veritas, quod omnes de terra geniti, omnes eandem specie essentiam, atque animam nacti simus.

Nihilominus poëtico plus, quam cothurno jactitat sese hodiernus Pharisæus, pleniſque faucibus egurgitat: *Non sum sicut cæteri hominum.* Non sum de tribu, de societate, de genealogia aliorum. *Non sum sicut cæteri hominum.* Illi peccatores, ego justus; illi de infimo subsellio, ego de altissimo; illi de cœteris ego de proprio. *Non sum sicut cæteri.*

Nec desunt etiamnum, qui cum eodem Pharisæo desipiant, in quibus cum omnia communia sint aliis, ipsi tamen singulares haberi velint; in quibus cum nec accidens ullum diversum sit ab aliis, ipsi tamen tota substantia sese discrepare ab ipsis arbitrantur. Unde istud? Quia nimirum se ipsos non cognoscunt, quia speculo utuntur exotico, & impostore. Quod ostendam, & germanum sincerumque sufficiam. A. M. D. G.

Partitio

II. Tam diversa propè sunt speculorum genera, tam multiplex usus & abusus; quam varia sunt imperia. Alia enim apud Othomannos, alia apud Persas, alia alibi recepta;

§. I.

Speculum Turcicum exploditur.

III. Apud Mahumetanos inveniuntur Religiosi Torlaques dicti, quorum professio est, speculum obversum per plateas circumferre, passimque obviis exhibere inspectandum; quatenus se ipsos in eo contemplentur suosque nævos, aut inconcinnum habitum cognoscant. sic ii aliis consultum eunt non sibi; aliorum detegere nituntur maculas, non suas; aliis inclamant,

Speculum Turcicum Bess Dom 3. Adv.

mant, respice quis sis, non sibimet ipsis.

Gemellos hisce etiamnum reperire est fratres, qui omnia alia extra se speculantur, & exenterant, suimet duntaxat cognitione sepositâ. Inquirunt volucrum, siderumque cursus, indagant temporum vicissitudines, investigant vires, & effectus elementorum; discutiunt an solidi in cœlo planetarum fornices, & quasi Semeramidis muri? An flumina inter ardentes astrorum globos diffusa? An ad tres, vel plures contignationes assurgat moles polorum? Denique à supernis ad infima devoluti, animantia quæ vis, herbas, plantasque eviscerant, nulla, aut exigua suimet habita ratione.

IV. Hos credo coronatum notasse Ecclesiasten, quum allato multiplici discrimine Sapientem inter & stultum hæc inter alia adducit: *Oculi sapientis in capite ejus, oculi autem stultorum in finibus terræ.* Paradoxum id prima fronte videri posset, cū quorquot contemplamur sive stultorum, sive sapientum, æqua naturæ dispositione oculos in fronte fixos arbitremur. Qua ergo ratione solius Sapientis oculi in capite esse perhibentur. Missis aliorum glossematis, ajo non alia, quam quod Sapiens domi suæ contineat oculeos, in se obvertat, domestica lustret, præcordia propria penetret; sideratus autem à se ipso, è regione una in aliam reflectat, totus extra se peregrinetur, nunquam ad suos discutiendos Lares sese demittat. Hinc oculos non tam in arce rationis, quam in foro tumultuum, ac curia curiositatum habere creditur. *Oculi Sapientis.* &c.

Curiositæ hum. notatur.

Eccl. 2. v. 14.

V. Horum profectò de numero erat ille nomine & re ipsa Morus Nabal, qui cum hodierno Pharisæo arbitrabatur se supra cœteros, & de davide vitæ gloriosissimo, sanctissimoque non sine sulphure scisciebatur: *Quis est David, & quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos.* Quæ genealogiæ ipsius? aut quæ officia? Nonne ipse de grege evocatus ad aulam; Nonne ipse subulcus ille, ille, & agaso? *Quis est filius Isai?* Nonne ipse mancipium perduelle, quod cornua erexit contra Dominum? *Quis est filius Isai?* Magnus hic mihi princeps, magnus heros, vah quam timendus! Ita ille sui prorsus oblitus, alterius etiam lituratis gloriosis facinoribus, ea duntaxat adduxit, quæ viri dignissimi virtutem obfuscarent, aut quantum in se erat, omnino extinguerent. Haud secus alii aliena rimantur viscera, & vitia propriis neglectis; nec secus, quam lapillus ille Danielis de monte deciduus pedes fictiles verberant; quatenus aurum virtutis alterius, argentum scientiæ, æs nobilitatis, ferrum fortitudinis una corruat.

Nabalis stulta curiositas

1. Reg. 20.

VI. Qua in re haud absimiles videntur illis fœminis à mythiologia Comitis Greas nuncupatis. Hæ domi suæ talpæ eluminatæ morabantur, communem oculum in scriniolo conservantes; exeunte verò quapiam illa-

Curiositas noxia Natalis Comes

rum

rum foras, illum oculum depromebant, fronti curiosæ inoculantes; quæ ubi redux visa retulisset, eundem eximentes reposuêre loco suo. Germani, ut dixi, fratres harum videntur sororum, qui apud vicinos cuncta scrutantur, se ipsos ignorant; universum orbem contemplantur, & apud se ipsos plus, quam Cimmeriis degunt in tenebris. Norunt profunda terræ, & altitudinem cœli emetiuntur, sui omnino incurii, ac ignari. Nam ut perbellè D. Gregorius scribit: *Curiositas dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit, ut aliena sciens, se nescius sit.* Animus quantò latius extra se enavigat, tantò minus, quæ sunt patriæ conspicit; obliviscitur sui, qui nimium scrutatur aliena; eòque plus in se continet caliginis, quantò amplius foris alienæ hauserit claritatis.

Curiosus sui oblivisaitur

S. Greg. h. 36. in Evang

Timeant hi, ne imitando hodiernum Pharisæum in censura, ejusdem comites evadant in tortura. Timeant ne cum festucam in oculo fratris videant, trabem in suo non considerent. Timeant ne abeunte Publicano justificato in domum suam; ipsi recedant condemnati in domum alienam. Illam nempe, quæ parata est diabolo, & Angelis ejus.

§. II.

Speculum persicum fulminatur.

Speculum persicum quale

VII. Tribus alia mortalium est, quæ speculo abutitur Persico. Hi specula rotunda in loqueari suspendunt, ita ut qui seipsum intueri intendit caput, oculosque attollat, & tum in iis sese, suaque omnia, tanquam in microcosmo perspiciat.

Psal. 130. v. 2.

August. h. l.

S. Augustinus explanans illud Psalmi: *Non sunt elati oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque mirabilibus super me,* nic eos depictos reputat, qui vel ob honorum culmina, vel bonorum cumulum sese extollunt. Hi enim ut plurimum oculos non tam demittunt, quam surrigunt; non tam ea, quæ supra se conspiciunt, quam quæ infra se despiciunt, *In magnis, & mirabilibus ambulant, qui se supra se spectant;* ait ille. Qui se cum hodierno Pharisæo, vel ex simulata virtute, vel ex dignitate, & divitiis attollunt; vel ex natalibus ad fastum assurgunt. *Verè enim in mirabilibus ambulant, quia cum ex se nihil sint, non tantum aliquid, sed multum se esse opinantur.* Verè in mirabilibus ambulant, quia non tam in terra, de qua geniti, quam supra sidera inambulant. Vere in mirabilibus, quia funambulorum instar in aêre, in uno non tantum fune, quam phantasmate se suspendunt, in eo se jactitant, saltant, tripudiant, ac de se mira ex plauti Asinaria deprædicant.

Superbi in mirabilibus ambulant

VIII. Loquatur hic nobis unus ex hac tribu Sapores Rex Persarum. Quid ille? quam mirabilia de se concepit? Scribit ipse in Epistola sua ad Constantem Cæsarem: *Rex regum, particeps siderum, frater Solis,*

Saporis Regis fastus

& Luna Constanti fratri salutem. Auditis quam mira, quam stupenda proferat? Cum Solem unum, Lunamve unigenitam acceperimus; cum de limo terræ prognati universi ille supra sidera incedit, & de splendoribus Solis, Lunæve participasse se comminiscitur.

Sultani fastus

IX. Loquatur alter, pari arrogantiæ supercilio elatus Sultanus. Quid iste? Multò mirabiliora; dico stupidiora: *Sultanus*, scribit in quadam sua epistola, *omnipotens Carthaginis, Dominus Iordanis, Tutor paradysi, Rex Regum, Amicus Deorum, Iovis & Solis nepos.* Num quidquam insolentius ab homine dici, aut fingi potest. Num altiore quisquam cothurno incedere? *In mirabilibus ambulant.*

Ezech.29. v.3.

Accedunt nihilominus alii, sese contemplaturi in hoc crystallo, non minore fastu. Accedit Pharao, & egurgitat: *Ego feci memet ipsum, & meus est fluvius.* Dicere vult: Ego sum conditor hominum, & fluminum ego DEus. Accedit alter Rex Tyri considerat semet, faturque: *Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi.* Accedit tertius alio exordine, suumque sensum enuntiat *Dives ego sum, & locupletatus, & nullus* (hominis, vel numinis) *egeo.* Accedit ad hujusmodi speculum hodiernus Phatisæus, & ebuccinat. *Non sum sicut cæteri hominum.* Ego solus sum, ille publicanus de cæteris est. Illi de infimis, ego de supremis; illi de cognatione terræ, & luti; ego ex genealogia cœlesti; illi indigni, ego dignus. Talis sum per justitiam meam, quales alii per iniquitatem suam. *Non sum sicut cæteri.*

Ezech.29. v.3.

Ezech.28. v. 5.

Apoc.3.v.17

Sic erucæ induunt ad hoc speculum alas; sic vespertiliones sese aquilis conferunt, sic lucerna cum sole contendit, sic in mirabilibus supra se ambulant. Supra se inquam, quia supra statum, conditionemque suam se efferunt, donaque dei sibimet ita imputant; ut rationem omnem exuisse videantur. Neque enim tam mirabilia, tam siderata de se jactarent; si vel rodiolus rationis in iis superesset.

Superbia noxia

X. Quid autem de iis Speculum Veritatis? Quid divina de ipsis oracula enuntiant. *Elevatum est inquiunt ad Summatem* Tyriorum, *cur tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam, & nihil factus es, & non eris in perpetuum.*

Ezech.28.v. 27.

Eheu quanta metamorphosis, quam dispar ab eo sensus. Ille qui se reputabat Deum, in judicio veritatis inventus est nihil. *Nihil factus es.* Ille, qui sibi visus est in throno dei consedisse, hic in profundum abyssi deturbatur. Ille qui de sua præsumebat sapientia; cerebro destitutus arguitur. *Perdidisti sapientiam tuam.* Hæc illa de uno.

Apoc.3.v.17

XI. Quid de alio? *Nescis quia tu miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Quid inquiunt, tibi arrogas vires, ac potentiam, cum sis miser, miserabilis? Quid venditas divitias cum sis pauper? Quid de ingenio, ac sapientia præsumis, cum sis cœcus in supernaturalibus, ac naturalibus dignoscendis arcanis. Quid plumatum te arbitraris venustate, & gratia cum sis nudus? *Nescis quia tu miser es, & nudus?* Vere miser, & nec miser tantum,

sed

sed summè miser, nec tantum ærumnosus, sed etiam pauper, & eo paupertatis deductus, ut indusio careas; nec uno duntaxat, sed utroque captus oculo sis. *Nescis quia* &c. Usque adeo in mentiendis ærumnis nostris ad insaniam usque caligamus.

XII. Quid vos alii, vel de formæ gratia, vel de honorum umbris, vel de fulvi metalli arenulis effertis? Num vos fallit, quod non sit speciosa forma, nisi cum animo speciosissimo? Num præterit, quod identidem Thersites sub Narcissi sipario lateat? Num ignoratis quam fragile bonum forma, & labilis ævi spolium? *Omnis caro fœnum, phe, & omnis gloria ejus, quasi flos fœni,* exclamat Isaias. Et vos de tam fugaci bono, de tam futili spolio gloriamini?

Forma sæpe informes

Isa 40. v. 6.

Quid itidem honorum tituli, quibus vos extollitis? Nonne fumus, & umbra. Audite de iis vaticinantem Vatem Oseam: *Transire fecit Samaria Regem suum quasi spumam super faciem aquæ.* Honor spuma, seu lympharum sputum est, ut vel inde pateat, honorum titulos non nisi sputo, & luto dignissimos? *Transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam.* Spuma res est vanissima nullius prope corporis; & honor vanitas vanitatum. *Transire fecit* &c. Spuma instar bullæ aqueæ dissolvitur; & honor levibus ex momentis imminuitur. *Transire fecit* &c.

Honor spuma

Osea 11.

Quid tandem divitiarum abundantia vobis ad mensuram vestram adjicit? Quid arenæ de Pactulo collectæ? Quid massa telluris induratæ ex Peruvia advecta? Nonne hoc pondere suo, vos magis deprimere; quam ad fastum erigere deberet? Quanto enim majora talenta ad nundinandum, ac dispensandum accepistis, tanto gravior vobis reddenda ratio; tanto severior timenda condemnatio.

Hæc si expenderent Thrasones illi, non utique sese Persico specularentur in vitro, non ambularent in mirabilibus supra se; sed potius in humilibus infra se; non tam de alienis commodatis bonis gloriarentur, quam de reddenda proximè ratione percellerentur. Verum quoniam suo hoc delusi consultore vanitatem propriam, rerumque suarum nullitatem haud assequuntur; age alium sufficiamus. Quem illum?

§. III.

Speculum Antipherontis proponitur

XIV. De quodam Antipheronte refert Aristoteles, illum ubi ubi deambulasset, moratusque fuisset; semper semetipsum coram se intuitum esse, perinde acsi continuo in speculo se conspexisset. Non disputo hic, an hoc ex debilitate radiorum visualium ex ejus oculis prodeuntium, nec aërem perfringere valentium provenerit. An verò quod nebulam densiorem, à qua similitudo sui corporis inflecteretur ante pupillas oculorum nactus sit An quod lippitudinem passus oculorum, stillantibus iis humore pinguè, ac crassu qui à vicino aëre condensatus, aptus sit redditus instar speculi ad reflectendam imaginem corporis sui. An tandem phantasiæ, & imaginativæ fortioris vitium fuerit: Id duntaxat edico nos debere esse similes Antipheronti,

Antipheron

Arist. l. 3. meteor c. 3.

ſpeculum ſemper ſui præferenti, ſuamque originem, ac miſeriam contemplanti.

Chriſtus cur lutu cœcum ſanaverit

Ioan. 9. v 9.

XV. Apud S. Joannem legimus, quod Dominus ſenatutus cœcum, in malagma aſſumpſerit lutum ſputo ſuo miſtum. *Fecit lutum ex ſputo, & linivit oculos cœci.* Quis ambigat hic latere myſterium, cum alias ſolo attactu, vel verbo, vel nutu oculi eam præſtare gratiam potuiſſet? Imprimis cum eo remedio uſus ſit, quod magis officere, quam prodeſſe videbatur. Novimus enim apprime, quantum moleſtiæ ingeneret oculis, vel unus pulviſculus caſu illapſus; quid itaque ex ſe non intulit maſſa luti ingeſta in illos? Nihilominus fecit Dominus lutum ex ſputo. Quid hoc? An ut intelligeremus Dominum; ſæpæſæpius hiſce rebus, commoditatibus noſtris, ac ſaluti conſulere, quas nobis perniciem allaturas opinabamur? Identidem enim ſucceſſu temporis ſalutaria deprehendimas extitiſſe, quæ obfutura credebamus. Quum enim pharmaca divina per ſe amara, carnique moleſta ſint, ac humanæ repugnantia prudentiæ, præter ſpem tamen, opinionemque omnem mentis medentur vulneribus. *Fecit lutum ex ſputo.* An ut oſtenderet, ſe illum eſſe figulum omnipotentem; qui ut primum hominem ex luto plaſmavit: ita hunc ex eadem materia reficere velle. *Fecit lutum ex ſputo.* An vero verius, ut Vilitatis noſtræ ſpeculum ob oculos nobis poneret? Senſus hic viri æque pii, ac religioſi Ludouici Granatenſis eſt. Ita enim ſcribit: *Dum lutum ſuper oculos cœci ponit, hoc inſinuare voluit, ut humani corporis pulverem (quod ex limo terræ formatum, atque concretum eſt,) ejuſdemque mortalitatem ante mentis oculos aſſidua conſideratione ponamus.* Ut hac ratione humanarum rerum inanitatem perſpiciamus, eaſque pro nihilo habentes, in vera cordis humilitate, & noſtri ipſorum cognitione proficiamus. O verè germanum, ò verè fidele ſpeculum! Blandiuntur ut plurimum aliæ, hoc nunquam; referunt alia formam extimam, ſeu ſuperficiem, hoc ipſam materiam, ſeu ſubſtantiam; augent alia, quæ eſſent minuenda, hoc imprimis tumorem, arrogantiamque contrahit, ac deprimit. Quiſquis enim penſiculatius id expenderit, illamque horrificam ſpeciem, quam poſt modicum in ſarcophago habiturus ſit, ante oculos poſuerit; an non is faſtum omnem, tumoremque deponet; ſe ipſum tanquam limum, lutumque mox futurum deſpuet, humanaque omnia nihili ducet. *Poſuit lutum ſuper oculos cœci nati.* Credo ego lutum hoc ſpeculum, ſeu perſpicilia extitiſſe, quibus ex agnatis tenebris lucem aſpexit. Unde illa enim formantur? Nonne ex vitro, Et vitrum unde? Nonne ex cinere, ac pulvere? Ergo lutum ponendo ſupra oculos, ſpeculum quoddam eidem contulit, in quo ſuam perſpiceret vilitatem; vel perſpicilia quibus ad ſui notitiam perveniret. *Poſuit lutum.*

Deus per re pugnantia curat

Cognitio ſui commendatur

Lud. Gran. ſer. 4. D. 4 Quad.

Humilitas

XVI

XVI. Commendat hoc speculum imprimis D. Bernardus in libello suo ad Eugenium Pontificem in tantum; ut nolit unquam illud sive in choro, sive in foro deponi: *A te*, inquit, *incipiat consideratio, per alia eat, in te sistat; quocunque vagetur ad te revocetur; tu tibi primus, tu ultimus.* Punctum primum meditationis tuæ in via Purgativa sit vilitas tua, imprimis per peccata commissa, à te contracta. Idem sit primum in Via Illuminativa ad veram, veram profundamque humilitatem ingenerandam. Idem sit primum in via Unitiva ad amorem divinum excitandum, fovendumque. *A te incipiat consideratio tua.* Poteris declinare ad alia revolvenda mysteria, sed ad te revocetur; vel si alia primum contemplatus fueris, in te sistat. *Tu tibi primus, tu ultimus.*

Bernard. de Consil. ad Eug. Pap.

Non sit tuum speculum, quale in officinis publicis invenire est, quod vultum duntaxat exteriorem exhibeat, momento periturum; sed tale, quod memoriam sui imprimat, quod non extima, sed intima animæ lineamenta referat; quod cœleste, ac divinum speculum æmuletur. De hoc subdit idem: *Sume exemplum de summo omnium Patre, Verbum suum & emittente, & retinente. Nempe verbum tuum, consideratio tua sic procedat, ut ad te redeat sic progrediatur, ut non egrediatur, sic exeat, ut non deferat.*

Ibid.

Cognitionis propriæ typus.

XVII. Figuram hujus sanctæ Contemplationis exhibent nobis illa animalia plena oculis ante, & retro, quorum unumquodque ante faciem suam ambulabat. Illa enim S. Gregorio magno Interprete nos instruunt esse Antipherontes, in nos ipsos descendere, continuoque vilitatem nostram meditari. Verba ejus sunt: *Omnis justus qui vitam suam solicitus aspicit & diligenter considerat, quantum quotidie in bonis cresçat, aut quantum decresçat; iste quia se ante se ponit, coram se ambulat.* q. d. Ille æmulatur sancta Ezechielis animalia, qui defectus suos diligenter discutit, & quam parum in virtute profecerit expendit. *Vnumquodque coram facie sua ambulabat.*

Ezech. 1.

Examen S. Greg. h. 4. in Ezech. 1.

Ut vero unumquodque eorum quadruplices oculos habuit; ita viri probi geminatos habeant oculos necesse est. Aquilæ nimirum, quibus Deum summum bonum intueantur; Hominis quibus proximum arbitrentur, Leonis quibus mundum aspiciant; Bovis quibus se ipsos inspiciant. Aquilinis enim oculis, id est purissimis opus est, ut solem fulgentissimum, Deum inquam hic per fide, ibi eodem gratiosè obstetricante, per lumen gloriæ contemplari valeamus. Humanis, id est humanitate, ac misericordia plenis proximus aspiciendus, quatenus illi subveniatur. Leonis, hoc est minacibus mundus despectandus, tum pompis suis, atque illecebris. Bovinis autem, ut se ipsum introspiciat, ut pedes considera-

tionis

tionis fortius in terram corporis sui figat, ut jugum Domini firmiter trahat &c. *Vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat.*

Abraha humilitas

XVIII. Hoc in speculo sese considerasse credendus est omnium credentium Patriarcha Abraham; quando oravit ad Dominum: *Loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis.* Fas mihi sit os meum aperire ad te, qui es omnia, cum ex me nihil sim; & nihilo quidpiam pejus.

Gen.18.v.27

Liceat mancipio vilissimo, deque pulvere compacto Dominum Dominantium interpellare. Liceat cor meum obstetrice lingua coram te effundere, antequam rursum in pulverem redigar.

XIX. Hoc eodem mihi usum esse persuadeo Jobum à patientia, ac fortitudine nobilitatum, quum hominem hunc in modum definiret: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Quis inquit descripserit, quantis malis obnoxium corpus ipsius hominis? quantis vitiis itidem subdita anima ejusdem? Ipse natus de putredine mulieris, perinde ac flosculus ex fimeto quopiam; momento prope, aut falce præscinditur, aut pruina decoquitur, aut ardore solis contabescit. *Qui quasi flos &c.*

Iob.14.v.1.

XX. Hoc imprimis intuitus, ut alios mittam, Purpuratus Vates, quum caneret: *Veruntamen universa vanitas omnis homo vivens.* Quidquid vanitatis in fatuis ignibus, quid quid in aëris vaporibus emergentibus, quidquid in spuma maris, quidquid in terræ floribus, aut coloribus, laboribus, aut odoribus, saporibus & concentibus, totum id in homine est reperire. *Veruntamen universa vanitas.* Sit alter Herculi Gallico par in perorando; sit æmulus subtilis scoti in disputando; sit antesignanus omnium in resolvendo. *Veruntamen universa vanitas.* Occurrat bracteatæ felicitatis pompa, obversentur fumosæ majorum imagines, stipent latera Leopardi sine numero. *Veruntamen universa vanitas.* Nihil id totum addit substantiæ, nihil quantitatis, parum ubicationis, multum actionis, & passionis.

Psal.38.v.6

XXI. Hoc ipso si Pharisæus hodiernus usus fuisset, non utique exululasset: *Non sum sicuti cæteri hominum;* sed multo rectius cum Salomone de se idipsum prædicasset, quod ille olim: *Et ego natus accepi communem aërem, & similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Ut primum natus sum, non cum hominibus duntaxat, sed & belluis communem hausi aërem, & quasi terræ filius ab ea alendus in illam decidi, in eandem tanquam matris sinum paulo post rediturus. Etsi porphyrogenitus essem, tamen singulare nihil in genesi mea à cœteris hominibus nactus sum, iisdem passionibus, miseriis, ærumnis, factus obnoxius. *In similiter factam decidi terram.* Nec lachrimas inhibere poterant basilica laquearia, nec gemitus multiplicati choraulæ, ac symphonasci. *Et primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Hæc dico, pariave ingeminasset si accuratius illud inspexisset,

Sap.7.v.3.

Vel

Vel certè cum Publicano eminus defixis in terram luminibus ſtetiſſet, eumq; eodem ingemuiſſet: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* De⁹ cujus natura bonitas, cuj⁹ viſcera ſũt ipſa miſericordia, cujus oculi clementia, & gratia, ecce poſt longos errores preſſus pondere peccatorum ad te feſtinõ, meamque coram te iniquitatem cognoſco. Tu quæſo propitius eſto, tu ignoſce, & oculos tuæ pietatis ad me miſerrimum deflecte. Ah, quid egi, quid feci demens, quod te Deum irritare, tuamque ſacratiſſimam legem prævaricari præſumpſerim. Sed jam doleo, milliesque auctius dolere concupio, non quod ſupplicia meis ſceleribus in caput proprium devolverim, ſed quod te ſummum Bonum meum offenderim. *Deus propitius eſto mihi peccatori.*

XXII. Utamur & nos eodem ſpeculo, ſepoſitiſque aliis, in eodem indies minimum tempore modico ſpeculemur. Alia omnia faſtum ingenerare aſſolent, hoc ſolum demiſſionem, ac vilipẽſionem ſui. Nihil enim tam efficax ad ſinceram animi demiſſionem conciliandam, atque intima ſui cognitio. A Pavone id participamus, ut ubi pedum, ſeu affectuum extrema conſpicimus, totum Syrma elationis demittamus. Alia ſpecula univerſa à ſuperficie aciem obtundunt, hoc unum ad intimas uſque penetrat medullas. Alia cuncta fragilia, ac vitrea, hoc ſolum ſolidum, ac adamantinum, cui omnis virtus, ac religioſæ perfectionis moles ſecurè innititur.

Utamur inquam, & nequando cum præſente Phariſæo nos cœteris præferamus, identidem cum Præſule Affricano noſtri notitiam, cœleſtemque gratiam imploremus: *Domine noverim me, noverim te.* Noverim me creaturam tuam ex Chao nihili tua omnipotenti dextera eductum; noverim te Plaſtem, ac creatorem meum. Noverim me abyſſum omnis calamitatis, ac miſeriæ; noverim Te oceanum omnis perfectionis, ac beatitatis. Noverim me nihilum, & nihilum, noverim Te Deum meum, & omnia. Noverim me in hac vita, ut tu me noſcas in in altera. Noverim me cum publicano, ne fortè reprobus efficiar cum Phariſæo. Domine noverim me, noverim Te, Amen. *Aug. in ſolil*

CON-

CONCIO XL.

IN DOMINICA XI. POST PENT.

Suſpiciens in cœlum ingemuit. Mar. 7.

ARGUMENTUM

Spinæ auribus, ſera ori apponitur.

HAud ſanè obvio eveniſſe myſterio autumo, quod diviniſſimus Medicus noſter ſanaturus ſurdum, ac mutum ab imis ſuſpiraverit præcordiis. A. Etenim quum plurimos alios ſanitati redonaverit, cum innumeros languores verbo unico ſolverit, nuſpiam aut gemitus edidiſſe, aut traxiſſe ſuſpiria accepimus. Cur igitur in ſanando, ſurdo hodierno, & muto de imo pectore ducit gemitus? cur valido niſu trahit ſuſpiria? cur movetur miſericordia, ac dolore? num tantum malum eſt ſurditas, aut oris vinculum, ut Deum miſereſcere faciat?

Chriſtus cur ſanaturus mutam ingemuit

Si venerabilem Bedam audire lubet, dicet id factum ad Ideam orationis nobis efformandã. Verba ejus ſũt: *Ingemuit ille, non quia ipſi opus erat, aliquid cum gemitu à Patre petere, qui cuncta petentibus donat cum Patre; ſed ut nobis gemendi daret exemplum, cum vel pro noſtris neceſſitatibus, vel pro noſtrorum erroribus proximorum ſuperna pietatis præſidia invocamus.* Oratio quippe cum gemitu, & ſuſpiriis Dromedarii

Oratio cum gemitu efficax Beda h.l.

ſunt, & curſores celerrimi qui momento in cœleſtem Jeruſalem vota noſtra deportant. At iis orbata, ſagitta eſt in arcu, nervo deſtituto. Nec hic in altum evibrabit, aut aſſequetur quod petit, nec illa.

Sin autem Victorem Antiochenum conſulamus, decidet id geſtum quod Dominus probè expenderit, in quantam calamitatem, & miſeriam parentum noſtrorum protervia genus humanum redactum ſit. Siquidem morbus, & mors, & quidquid patimur appendices ſunt, & patrimonium ab iis relictum. Omnis verò bonæ naturæ proprietas eſt commoveri aliorum miſeriis, & tanquã propriis excruciari.

Compaſſio agnata naturæ

Si alios in concilium advocemus, propugnabunt concordibus ſuffragiis adgemuiſſe, quod probè calleret organa hæc auris, oriſque plurimorum eſſe inſtrumenta ſcelerum, prævideretque præſentem ſurdum, & elinguem iiſdem abuſurum, & in multa caſurum pericula. Hoc piiſſimo Medico JESU gemitus expreſſit, hoc altum compulit ſuſpirare.

Æmularer ego pro virili Dominum, ac Magiſtrum meum in reſerandis

nos-

nonnullorum auribus, vinculoque linguæ ſolvendo, ni vererer, ut cum eodem indolere cogar. Itaque in contrarium vela vertam, nec tam reſerare, quam obturare aures; nec tam ſolvere, quam oppilare ore adnitar. Præſtat enim identidem eſſe magis ſurdum, quam auritum; mutum, quam diſertum. Quod ut vergat ad M. D. G. & fructum animarum noſtrarum à te cœleſtis Medice enixe efflagito.

Partitio

Eccl. 28. 29. Expendenti mihi quanam methodo auribus, & ori conſulere poſſem appoſitè ad Evangelii præſentis hiſtoriam occurrit oraculum ſapientiſſimi Eccleſiaſtici monentis: *Sepi aures tuas ſpinis & ori tuo facito oſtia & ſeras*. Quo paucis indicat, quomodo & aures conſervare, & os munire debeamus.

§. I.

Aures ſepiuntur ſpinis.

Aures ſpinis muniendæ II. Primum quod à nobis efflagitat eſt, ut occludamus in modum horti aures noſtras, ne pateant noxiis in ſultibus. Quemadmodum enim hortum ſepimento è ſentibus contexto circumdamus, ne efferæ belluæ illum demoliantur, aut homines nequam deprædentur; æqua ratione ne per aurium meatus turba noxiorum verborum in mentis noſtræ poſſeſſionem irrumpat, organum illud omni ſtudio cingendum, atque vallandum eſt. *Sepi aures tuas ſpinis.*

Anima cui hortus conclusus. Cant. 4. 12. III. Inter alia encomia Sponſus cœleſtis dilectam ſuam hoc effert præconio, quod ſit: *Hortus concluſus, fons ſignatus.* At qualis illa commendatio à ſepto viridario, & fonte obſignato mutuata? Si ſemper fons ſit ſignatus, quis uſus aquarum? cui perennis ſcaturigo proficiet? ſi concluſus jugiter hortus nullam ſemitam permittat eunti, cui maturis baccis opima blandientur poma? cui arborum deſerviet fœcunditas? Sit licet Heſperidum hortus, quis poma decerpet aurea, dracone aditum præcludente. *Hortus concluſus* &c. Cur non tropo aptiore æquavit eam cum Iſaaco Patriarcha filio ſuo Jacobo bene precante, agro fertili, opimo: *Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Gen. Cur non fonti ſeſe longè, lateque per latifundia camporum effundenti contulit? *Hortus concluſus, fons ſignatus.*

Si præciſe inveſtigatio inſtitueretur de nomenclatura horti facilis eſt reſponſio, hortum nuncupatam dilectã, eò quod ſemper in virtutum uberiores fructus egerminaret. Nam ut Rupertus edocet: *Inde nominatur hortus, quod ſemper inibi aliquid oriatur.* Horti Ethymol. Cum campus, aut prata uno genere frumenti aut florum ſoboleſcant; hortus nunquam ſine flore nunquam citra fructum eſt, ſemper alios, atque alios parturit. Rup. lib. 4. in Cant. Vere primo Hyacinthi candidi, & lutei, Violæ, Ranunculæ efloreſcunt; his ſuccedunt Tulipæ Fritillaria, Roſæ, Hemerocalles, Lilia, Cariophilli, Calendulæ, Heliotropia, qui vario ſuo ſchemate, ac odoratiſſima anima, quam alii ex aliis pro naturæ ſuæ ratione expirant, ſtupenda ſua varietate, quot flores oculis, totidem virtutum ſymbola vel taciti mentibus noſtris ingerere videntur. Profectus virtute. Ad eundem modum anima fidelis indies novos virtutum flores enititur, & jam Violas demiſſionis, Hiacynthos cœleſtium contemplationum, jam Tulipas aureæ charitatis, Lilia pudici-

tiæ, Rosis verecundiæ progerminat Concinne itabue Sponsa Hortus appellatur, cui nunquam defi cit fructus, quæ divite non tam florũ baccarũq; proventu, quam virtutum indies profectu innovabatur. Et ita quidem hortum fuisse perbelle adstruimus; sed cur concluſum indigitat: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.*

Virgo hortus conclusus

1. Cor. 7. 34.

IV. Alii ex Apostolo Paulo solitudinem evincere conantur, ut nimirum sequestrata à mundi pompa, & forensibus negotiis soli sponso adhæreat. Nam ut ille optima mente de Virginibus scrib. tin Epistola sua prima ad Corinthios: *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* Hæc ipsius est meditatio, hæ intentiones, placere Deo, ut non hominibus. *Hortus conclusus.* Non calculat Apostolus inter Virgines quarũ mens aut in contraria scinditur; aut solicitatur in iis, quæ sunt mundi. Hæ enim suo se jam damnant calculo, atque ex albo virginum expungunt, dum sequestratis floribus, & sertis; calanticis, seu semimitris utuntur; mundoque placere gestiunt. Itaque hortus concluſus est Virgo, & anima illa, quæ cum solo sponso cœlesti commoratur, nec patitur corrivalem.

Virgines à publico abstinent

Solitudo Virginibus commendata

Talem efformare sponsam Eustochium Virginem intendebat S. Hieronimus, quum ei suasor, authorq; esset; quatenus à publico, quantum fieri posset, abstineret: *Semper*, inquit, *te cubiculi tui secreta custodiant; semper tecum sponsus ludat intrinsecus. Foris vagantur virgines stultæ, intus cum sponso commorantur sapienter.* Non est circumforaneus Christus, ut eum in foro, in compitis, triviis quæras, aut te inventuram persuadeas. *Domicellam* te memento, quo domi cellam tibi construas.

1. Hier. Ep. 2. ad Eustoch.

Ut ad hanc solitudinem suas efformarent virgines Sinenses Proceres ex consilio sapientis cujuspiam pedes teneris fasciis constringebant, ita ut ægrè incedere possent, prætendentes eas graciles habituras pedes. Utinam, ô utinam mos hic partibus in nostris invaleſceret, non tot invenirentur in compitis, in hortis, in choreis.

Trigant. de Expedit ad simm. l. 1. c. 6.

Intentio recta sua bona abscondit.

V. S. Gregorius interpretans præfatum Salamonis elogium in gratiam dilectæ concinnatum, putat eo honestatam, quod benefacta sua celare studuerit: *Anima sancta, ait hortus est concluſus, quia dum virtutes mittit, flores gignit, & dum virtutum exhilaratione se reficit; fructus quos generat eadem custodit. Concluſus enim hortus esse dicitur, quia dum bona sua, intentione vitæ æternæ abscondit; dum humanes laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrepere queat.* Novit quippe bona anima, quod cum bona opera evulgantur, mentem ut plurimum enervari, ac resolvi: Arduum enim est servum inutilem se reputare, quum bonorum testimonio excellens prædicatur; & non magis famæ credere, quam conscientiæ. Incantatur anima laudibus, quatenus mala sua non videat, & de justitia fallaciter se extollat. Novit item dilecta Patrem orandum, esse in abscondito, & non in tecto; ac mercedem non ab hominibus exspectandam, sed à Deo esse. Eapropter & secreta cubiculi sui adamat, & omnia opera, ac desideria sua eidem sera rectæ intentionis oppilat.

Bona opera celanda S. Greg. h. l.

VI.

Sensuum custodia habenda

VI. In rem meam per hanc horti custodiam per belle Richardus à S. Victore, intelligit sensuum, & imprimis oris, atque aurium custodiam. Verba illius sūt: *Vt in se remaneat, se videat, se cognoscat, se corrigat, ab otiosis & superfluis verbis se reprimit, ac temperat. Auditum quoque concludit ne introrsus trahat, quod mentem inquietet, aut maculet.* Illa est, Hortus sponsi conclusus, anima, illa adamatus, qui ita reclusus, ne pateat fraudulentis serpentis antiqui accessibus. In tali horto suas delicias reperit dilectus, in tali pascitur, in tali quiescit. Ejusmodi hortus cujus anima non est, ejusdem nec sponsus hospes est: Hortus conclusus, hortus conclusus soror mea sponsa. Gestis habere sponsum inquilinum obsera hortum animæ tuæ. *Sepi aures tuas spinis.*

Richard. à S. Vict. in Cant.

Si quis sepem in horto suo non habeat, cuivis is pervius est, & direptionibus obnoxius; stabulantur in eo, perinde ac sub Nabuchodonosoris arbore belluæ quævis, & genimina viperarum. Suppar omnino imminet animæ dispendium, custodia sensuum, & aurium sepe sublata. Nihil enim est, quod tantopere inquietet animum; nihil est, quod in tantum mentem mobilitet, ac distrahat, quam temerario assensu approbare, quod dicitur. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia injusta redundant, hinc amicissimi ab invicem æternis dissidiis discinduntur, quod detrahentibus nimium credulas aures præbuerint. Vestram, vestram hic ego fidem appello, qui in hac urbe novercantibus ab invicem animis dissedetis, excutite quæso, emedullate præcordia vestra, exenterate originem irarum, & dirarum vestrarum, & dicite quænam origo tanti mali, quodnam tantorum odiorum seminarium? Profecto si penitius fontem inspexeritis, deprehendetis unam prope anum, & unas aures in causa fuisse, unum verbum à detractore, & calumniatrice lingua in fundum auris immissum, in tantam excrevit aversionem, convitiorum, cōtumeliarum, damnorum messē. Quod si non audivissetis, si fidem dictis derogassetis, si sanius interpretati narratiunculas fuissetis, suavissimæ conjunctionis vestræ commercium, mutuæq; charitatis vinculum neutiquam solutum fuisset.

Curiositas noxia

Dissensionum origo unde

Quid jam dicam de obscœnis colloquiis in publicum productis, quæ per se ipsa polluunt, temerantque, & innocentissimis mentibus sæpiusculē sordes suas affricant. Quid de aliis calumniis avide auditis, quibus æquè ipse, ac alter læditur, in quibus unus diabolum gestat in ore, alter in aure eum sua nidulare finit?

VII. Quocirca sapienter monet Ecclesiasticus: *Sepi aures tuas spinis.* Non ait gossypio, aut cera obstrue, (quod Ulysses suis fecisse sociis perhibetur, ne syrenum illecebris abriperentur) sed spinis. Quia nimirum allaborandum, non solum ne verba detractoria, lasciva, aliave noxia admittantur; sed insuper, ut ipsa aversione, ipsa frontis caperata majestate quasi spinis compungantur. Bonum est, & imprimis in inferiore, se se subducere à noxiis fabulis, bonum si valet cæptum sermonem alio divertere; at vero si superior, si Paterfamilias, si Magister est, arguat, increpet, spinis insuper adhibeat, quo

discat detractor non libenter dicere, quæ didicit non libenter audiri. Æmuletur regem tametsi mansuetissimũ Davidem,& cum eodem *detrahentem secretò proximo suo hunc persequatur*. Dicat proximo,&maxime subdito:Si habes quod laudes,&commendes,aures aperio,unguenta suscipio;at si male vis dicere stercus, & cœnum suscipere haud sustineo.

Psal.100.5.

Platonis virtus in calũniis detergendis Val Max.l. 4.c.1.

VIII. Æmulétur iiimprimis,quiquidpiam de se siniſtri seri audiunt,vel hominis Ethnici,Platonis inquam,virtutem.Deferebatur apud eum Xenocrates discipulus,quasi de magistro multa iniquè effutiisset. Criminationem auditam circa ullam cunctationem respuit Plato, asseverans hæc sibi parũ prohabilia videri, ut quem tantopere amaret,ab eo non amaretur. Instabat autem delator,& fabulam suam jurejurando comprobare niteb atur.Quid vero ad ea Philosophus:Ne de perjurio disputaret,reposuit:Numquam ea dicturum fuisse Xenocratem, nisi ea sibi dici judicassetO utinam hujusce modi spinis, ac custodia auribus nostris consuleremus! Utinam non omnia,quæ narrantur, veluti cænam per canales quospiam in aures immitteremus!Utinam excusare,& in meliorem interpretari partem aliorum dicta sciremus;firmior profecto amicitia nostra,ac conjũctio consisteret. At quoniam cum vetulis Judaicis in aures nostras idolo pollucemus,quoniam aures Mercurio,aut Veneri,aut Sathanæ consecravimus,mirum non est invalescere inter nos odia prope immortalia scelera sceleribus agglomerari,& regnum Tœnarium perruptis Amoris castris latius propagari.

Detractionesdiluenda

§. II.

Ori sera apponitur.

IX. Alterum quod consulit Sirach sapientissimus est,ut os repagulis,&seris muniamus.*Ori tuo facito ostia,& seras*. Cor nostrum arx est fortissima, à supremo nobis rerum omnium Domino ad custodiendum concredita;porta est os nostrum, quæ pervigili cura servanda est,ne ab hostibus undique obsidentibus capiatur, ac subjiciatur. Hujus arcis muros sponte diruit,quisquis citra judicium verba profundit, & in consulta in loquendo temeritate labitur.Hoc sensu loquitur Salamo in Proverbiis: *Sicut urbs patent & absque murorum ambitu;ita vir, qui non potest in loquendo continere spiritum suum.* Quemadmodum urbs mœnibus nudata patet hostium incursibus: persimili ratione cor illius, qui comprimere,inhibere,aut infrœnare æstum animi sui nequit; sed iis indulget,& per loquacitatem frœna laxat;proditioni, prædæ,ac vastitati patet.

Oris custudia commendatur

Pro.25.28.

X. S. Jacobus Apostolus expendens redũdantia ex linguæ repagulis remotis mala, eandem Universitatem quapiam scelerum indigitat: *Lingua universitas iniquitatis*? Sed quænam illa? Literaria,an elimentaris? Elementare rectæ dixerit quispiam. Quemadmodum in Universo isto omne genus beluarum stabulatur : ita non minus in lingua impii omnes vitiorum greges coadunantur. Jam enim gannit ut vulpes,fraudulenter adulando, jam latrat perinde ac canis, mordaciter detrahendo: jam rugit ut leo, in alios ferociter excandescendo; jam hinnit ut equus,

Iac.3.6.

Lingua Universitas malorum

quuus, in risum nimium aut cachinnos se effundendo; jam rudit ut asinus aspere respondendo; aut se excusando jam murmurat cum ursis, jam grunnt cum porcis, jam boat cum bobus. *Vniversitas iniquitatis.* Nulla insuper est regio, nulla civitas, platea nulla, immo sæpiꝰ nulla domꝰ, quã maledica lingua nõ impleat detractionibus, calumniis, litibus, tumultibus, bellis, concupiscentiis, libidinibus suis. Parum dico; ipsum cœlum, terram, & infernum implet. Cœlum per Luciperum seditione, ac Apostasia; terram rixis, contentionibus, perjuriis; infernum blasphemiis, ac maledictionibus. *Vniversitas iniquitatis.* Multæ inveniuntur regiones à venenatis insectis, & bestiis omnino immunes; at nullum regnum, nulla urbs, pagus nullus, in quo lingua venenum suum non diffundat *Vniversitas iniquitatis.*

Lingua Academia scelorum

XI. Non minus etiam Universitas literaria appositè appellatur. Sicut enim in ea omnes artes, & scientiæ docentur: ita lingua universas prope vitiorum classes profitetur.

In Rudimentis docet Alphabetum cujus A. est adulatio, B. blasphemia, C. calumnia, D. detractio, E. excusatio in peccatis, F. fraudulentia, & fallacia, G. Gloriatio, & garrulitas, H. Hæresis & hypocrisis, I. Jactantia, irrisio, impudentia, juramenta falsa. L. Lascivia, M. Mendacium, N. Nugæ, O Otiosa verba, P. Perjurium, Q. Querimonia, R. rixæ, S. Susurratio, Scandala, T. Tumultuosa, & turpiloqua dicteria; U. Vindicta, Z. Zelus amarus.

In Grammattica sua conjugat mendacia mendatus, perjuria perjuriis, detractiones detractionibus, & declinat veritatem ac virtutem quamvis.

Lingua professie

Poêsim profitetur, fingendo; metaphoras translatas cudit, hyperbolicè mentiendo; ab uno in alium derivando, unum pro alio insimulando. Rethoricæ Magisteriũ exercet inutilia effutiendo, pleonasmis, barbarismis utendo; Logicæ, sophismatibꝰ, fallendo, & circumveniendo; Physicæ, genealogias, seu principia aliorum taxando, concinnando stupra, homicidia, odia, dissensiones, falsa testimonia &c. Arithmeticam docet perperam numerando, adiiciendo, detrahendo, multiplicando, dividendo. Theologiam suam erigit, Sacramenta, & Sanctos blasphemando, fidem exterminando, spẽ in præsumptionẽ vertendo, charitatem omnino extinguendo. Politicam fundat cum omnibus ad apparentiam bene, cum nemine sincerè procedendo. *Vniversitas iniquitatis.* Omnia enim scelera per linguam aut generantur, aut lactantur; aut defenduntur, aut persuadentur.

XII. Addit idẽ Apostolus ad exaggerandam illius malitiam: *Inflammat rotam nativitatis inflammata à gehenna.* q. d. Lingua adeo exitialis, & in tantum adurit, atque inflammat rotam nativitatis nostræ, ut videatur in clibano inferni conflata, ibidemque igne Tartareo succensa inflammare rotam, seu cursum vitæ nostræ totiusque universi. Non secus ac olim Poêtæ commenti sunt, Furias accensis ex Erebo facibus totum mundum inflammasse. Adeo enim nonnulli lingua sua sæviunt, ut non humana, sed infernalis, sed diabolica videatur;

Ib. 3. 6.

ut non ab anima sed ab ipso præside gehennæ, diabolo inquam flecti, ac agitari jure credatur. Nam quemadmodum sanctissimi Vates, Prædicatores, ac doctores loquuntur lingua cœlesti, & angelica, seu potius Numen ipsum per illos: ita exadversum impii seminantes rixas & bella docentes obscœna, alienam famam admordentes loquuntur lingua dœmonis, seu potius Lemures infernales per eorum ora, & linguas exululant. Nec illam infrænare queunt; siquidem rector Sarhanas frœna laxat, incitat, inflammat ad omne malum. *Inflammat rotam* &c.

Rota Nativitatis, quænam?

XIII. Sed quænam illa rota quæ inflammatur, impellitur, urgetur.

Os molendinum

Nonnulli per os molendinum intelligunt, & linquam rotam, quæ movetur continuo, affundente aquam orco. Porro id quod in ea molitur aliud non est quam lolium, ac zizania, furfures, glandes in pastum porcorum effusæ. Materialibus hisce escis porci nostrates, moralibus infernales saginantur.

Lingua rota

XIV. Alii per hanc rotam accipiunt illam quæ est in schlopeto, & linguam comparant lingulæ chalybeæ ipsius, quæ collusione ad rotulam ignem elicit, & sulphureum pulverem inflammando, glandem plumbeam ejaculatur; qua, instar fulminis illico proximum quëvis ferit, & vel graviter lædit, vel interimit. Et revera ut plures hoc instrumento occiduntur, quam alio; *ita plures occidit lingua, quam gladius.* Multi sunt, qui gladio percussi periere, sed si non veniunt in comparationem, qui lingua sua, vel aliena occiderunt.

Cornel. h.l.

Eccli. 28. 22

XV. Vulgaris interpretatio est, linguam non cerro duntaxat tempore venena sua diffundere, atque eodem obvia adurere; sed totius vitæ decursu inflammatam ferri, tanquam à gehennali furno, & furiis incensam. Etenim alia vitia in certas ætates dominantur, Gula pueritiam tentat, Libido juventutem, Ambitio virilem ætatem, omnia fere cum homine senescunt, & emoriuntur. Solius linguæ vitium omnem vitam occupat, & in ipso senio invalescit. Anus edentulæ, ac depontanæ imprimis garrulæ, si non habent, quod loquantur, habent, quod murmurent. Viri grandævi etiam, si semel sonare occipiant, tota die crepare, aut facta sua, aut audita, aut visa non cessant. *Inflammat rotam.*

Syr. h.l.

Vita rota

Ideo Syrus vertit: *Inflammat series genealogiarum nostrarum, quæ currunt in medium rotarum.* Lingua enim serens odia inter familias, urbes & regna, eadem transmittit sæpenumero ad posteros per multas generationes, & sæcula; ut immortales inter eos, & irreconciliabiles inimicitiæ esse videantur. Aptè autem ætas nostra rotæ confertur, vel quod rotæ instar semper circumagatur, vel quod velocissimè ad mortem deproperat, vel quod res terrenas leviter duntaxat, & prope in puncto contingat, vel quod in se torqueatur, ac circumvolvatur, sicque redeat ad sui principia. *Inflammat* hanc *rotam* seu series *genealogiarum nostrarum* pestilentissimæ linguæ toxicum. O quam sanctè, itaque quam salubriter monet sapiens: *Ori tuo facito ostia & seras.* Obstrue, oppila, obtura quantum

polles

polles, ne hostis irrumpat, ne tot in te mala exundent, ne jugo Tœnario manciperis: *Ori tuo facito ostia & seras.*

XVI. Si percontetur quispiam, quænam imprimis sera ori apponenda? Ajo inveniri quaspiã, quæ citra clavim Verbo patent, idest invẽto certo vocabulo reserantur. Ejusmodi velim sera appendatur labiis nostris, tum ora laxemus cum de verbo Dei, de salute animæ, de proximi ædificatione agitur, cum Deus laudandus, ac gloria ipsius propaganda.

XVII. At quotusquisq; est qui id exequatur, qui linguam suam contineat, aut non nisi in gloriam Dei, salutem animæ, solatium próximi relaxet?

Plautin. som. Eunomia apud Plautum liberrimè profitetur, mutam mulierem nuspiam, & nunquam repertam esse in mundo. In sacris literis viros mutos linguæ usum recepisse legimus, at mulierem nullam. Ut vel hoc ipsum argumento sit viros nonnunquam mutos repertos esse mulieres nunquam. Vel enim piæ sunt, & sic DEus ipse illis ora solvit ad gloriam suam; vel impiæ, & sic diabolus ipse ad noxiam protrahendam garrulitatem eam expeditam efficit.

Ego addo perpaucos etiamnum inveniri viros; qui muti Sigaliones existant. Nisi enim tam dicaces, garrulique essent,

Non tot ad infernum Orcus ageret legiones.

Fabula de Orco languido Angelus Gazæus in Hilariis XIIX. Fertur Luciper sive ex nimia cholera, sive ex tristitia immodica extreme laborare cœpisse. Coadunatum itaque è vestigio medicorum concilium, advocatus Æsculapius Galenus, Podalyrius Chiron, Epidaurius, aliique non pauci Tænaro mancipati. Alternantibus inter se sententiis, & jam hæc, jam illa panchresta excogitantibus, seniorum quispiam intulit; fore actutum salvum, si ex linguis hominum in minutal fissis theriaca quæpiam infirmo conficeretur. Dictum, factum. Expeditus illico Alastorum proximus in mundum, quo, cum optata medicina remigrante, & eadem Lucipero porrecta momento convaluit, & vires recepit.

Quo devenimus Aud. fabula hæc est physicè, moraliter veritas ipsa, langueret, immo moreretur Orcus, nec quicquam in nos prævaleret; nisi nos linguis nostris perversis levaremus ægrotantem.

XIX. Restat itaque ut toto animi conatu consilium Sapientissimi viri exequamur. Restat ut serio linguæ insolentiorem pruritum coêrceamus, sermonisque profusionem devitemus. Restat ut sepiamus aures nostras spinis, & labia nostra seris obfirmemus.

Sed quis quæso id exequetur? quis os *Lac 3.7.* obturabit alteri? quis seram apponet, quin breviores referat digitos; Non hominis sed omniporentis id opus virtutis est: *Omnis natura bestiarum & volucrum & serpentum domantur, & domita sunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare potuit.* Inquit idem Apostolus. Sæva quidem natura Leonis, crudele genus Tygridis, efferati Ursi, & Leopardi, at humano ingenio eos domitos, & instar agnorum mansuefactos accepimus; Linguam autem nullu shominum edomare potuit. Ille unicus illius est medi-

cus qui hodiernum mutum & surdum sanitati redonavit. Illum igitur compellemus, & cum purpurato principe identidem ingeminemus. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Pone custodiam, & ostium, ut loquar non nisi ea, quæ ædificent; ut audiam, nonnisi quæ prosunt. Pone custodiam ne unquam aut te Deum meum offendam labiis meis, aut proximum perstringam. Verba tua sint in ore meo, & auribus meis, à quibus anima mea proficiat de die in diem, ad te amandum provehatur, ad te possidendum in omni æternitate animetur. Amen.

Psal. 40.

CONCIO XLI.

IN DOMINICA X. POST PENT.

Quis est meus Proximus Luc. 10.

ARGUMENTUM.

Resolvitur proposita quæstio.

SÆpenumero scientiis nostris provecti supra sidera efferimur, & in iis, quæ plantis subjectata turpiter hallucinamur. A. Videmur nobis Philosophorum problemata, Mathematicorum axiomata, Theologorum arcana penetrasse, & in rebus minoris ponderis, ac Catechismi doctrinis deliramus. Quantoque arrogantius præsumptione manuductrice cervices in disciplinis arrigimus; tantò profundius ut plurimum, adigente ignorantia, easdem cogimur acclinare.

Desicratem à fœmina irrisus

Dosicratem Astronomum fœmina de trivio, cachinno neutiquam triviali explosit; quod cum Thebis sua in arte haberetur versatissimus, siderum cursus sub multam noctem exactius observando publica in platea cespitasset, inque puteum prolapsus fuisset; quasi vel inter sidera sideratus fuisset; oculosque haud apud se, sed supra se habuisset.

Quem casum, quum expendo, vix non inducor ad excipiendum gemello sibilo hodiernum Legisperitum. Altum hic sibi sapere videtur, ingenio evolat, in sublimiores Theosophiæ quæstiones sese ingerit, subtiliter de amore Dei super omnia disceptat; & de eo, quod oculis obversatur dare rationem ignorat. Etenim dato ad arduam de dilectione Dei quæstionem responso, exiguam de proximo in argumentum ignorantiæ suæ adducit: Et *Quis est meus proximus?* O mi Legisperite non, ne verecundaris tam obviam ventilare disceptationem? Num te fallit, proximum superlativum esse à propè, adeoq; illum esse tibi proximum, quem præsentem intuetis, cum quo ambulas, qui tibi assidet, cum quo eodem Jove uteris. Profectò Grammaticus non es, si hæc ignoras;

Proximus quis

&

& oculos non apud te sed supra te haberi videris. Hac ratione sugillari, ac ludificari à quopiam posset.

Verumtamen si quispiam idem theorema profundius scrutetur, deprehendet non usquequaque obvium, cum ad idem solvendum Sapientia æterna jam Sacerdotem, jam Levitam in medium produxerit. Quod cum ad mores nostros reformandos,& ad vitæ immortalis adita reseranda summopere cõducat, haud abs re fuerit eidẽ imorari,& hodierno Sphyngi Oedipũ statuere, Opitulare JEsu mi Assertor.

Partitio

II. Nequit ictu unico nodus hic rescindi, nec verbulo quæstio tota decidi. Quippe alia est proximi æstimatio secundum jura naturæ; alia secundum politices plebiscita; alia itidem juxta S. Evangelii oracula.

§. I.

Proximus in natura.

Proximus juxta naturam

II. Si quæramus de proximo in natura: *Quis est meus Proximus?* ipsamet rerum viventium, ac senso sese regentium creatum responsura est: Ille mihi proximus, qui sanguine, vel affinitate conjunctissimus. Nam ut loquitur Isidorus Pelusiota: *Vix lingua format verba, sanguis sua jura inclamat; primævo naturæ instinctu amicum quisque designat, quem sibi talem sanguinis clamor demonstrat.* Vulgo dicimus: *Sanguinis non est aqua*, nimirum quæ facite effundatur, & evaporet; non est liquor quo manus, pedesque diluimus, mox illum in plateas effusuri. Non est liquor, qui agnata indole ad ingenitum frigus reducitur; Non est aqua, quam ex obvio fonte haurias, aut palude proxima excerpas, Non est aqua, quam sulq; deque habeat. Quid ergo? Gluten fortissimum, quo animi constringuntur; Catena, qua corda invicẽ innodantur; adamantinum Vinculum, quo aliorum pectora attrahuntur; Vox potentissima, ac validissima, quæ jura sua inclamat, & ipsi° naturæ ductu illũ amicũ, illũ proximũ enũtiat, quẽ sãguis ipsi & purpuratũ, & cãdidatum exhibet.

Isid. Pelus.

Sanguis non est aqua

III. Hæc jura credo respiciebant Allobroges, quando unanimi plebiscitò sanxerunt; ut si quispiam à suo consanguineo quidpiam afflagitaret, id primum atramento præstaret. Quod si id primis precibus non assequeretur, aliis literis idipsum colore Brasilico exaratis urgeret; quasi cruorem obtutibus alterius obtendens, atque hoc validissimo ariete murum pectoris illius feriens. Demum & hoc frustrato stratagemate fas erat eidem immitti proximo tanquam violate necessitudinis reo diem dicere. Re verò expensa, ac legitimè comprobata Magistratus serpentem Hemoroidem dictum lateri applicari præcipiabat, qui toxico suo convictum proximum vitiaret, cruoremq; exugeret; lictore ad aliorum inclamante terrorem: *Sanguinem perdit, qui sanguinem nauci pendit.* Indignus vita, quisquis sanguinem, quo illa constet, insuper habuit.

Proximi immitis supplicium Alex. ab Alex.

Proximi cura primo habenda

IV. In tota natura videmus, quod omne agens operetur in vicinius sibi objectum efficacius; eidemq; primo, ac principaliter virtutem suam communicet. Ita ignis eò intensius suum calorẽ passo dispensat, quo est illi propinquior. Ita aromata primò, ac copiosius in vicinum aêrem suavissimum

expirant odorem. Ita fons ille paradysi primum circumjacentem irrigabat regionẽ, ex quo saturiebat; tum in quatuor divisus capita sese effundebat, remotionis irrigaturus regiones. Ad eũdem modum ex legæ naturæ tenetur quivis potius suis, quam exteris benefacere & tanto magis eorum cuique, quando est sanguine conjunctior.

2.2.q.26.a.8

V. Hinc Theologi cum D. Thoma Prædoctore concludunt, quod in æquali causa, ac necessitate strictiore vinculo quivis teneatur favere, bonaque sua distribuere propriis, quam extraneis; & illis quidem tanto propensius, atque auctius, quanto fuerint proximiores. Roburatur idipsum ex

Gal. 6. v. 10. D. Paulo sic definiente: *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Fontes beneficiorum foras deriventur, sed imprimis proxima irrigent; ignis charitatis foveat extraneos calore suo, sed præcipuè domesticos calefaciat; aromata beneficentiæ odorem suum longe lateque diffundant, sed imprimis domum impleant. Nam

1. Tim. 5. v. 8 ut idem ait alibi. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet fidem negavit, & est infideli deterior.* Etsi enim verbis se nosse Deum jactitet, factis negat, dum non exequitur, quod Deus præcipit. Hic enim idcirco vincula propinquitatis instituit, quatenus protentionibus vinculis nos attraheret ad diligendum, & subveniendum proximo. *Et est infideli deterior*; quia ille, etsi alienos despicit, propinquos tamẽ neutiquã aspernatur.

Ita quantumvis profitear sanguinem arctissimis nos vincire propinquitatis nexibus, in solo nihilominus sanguine fundari amorem proximi ad sanguinem usque depugno. Nimium quippe caliginosus amor foret, si non nisi unico arderet foco. Nimium angustus si in solis arderet Ceris. Nimis humilis, si supra Ethnicorum, ac Publicanorum ignes haud assurgeret. *Si enim diligetis eos* (profatur Verbum Patris) *qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt.* Pagana hæc virtus non urbana, multò minus Christiana est.

Matth. 5. v. 46. 47.

§. II.

Proximus juxta Politicam.

Proximus juxta Politicam Cyrill. Alex.

VI. Quocirca si paululum progredimur vestigantes, quisnam insuper noster sit proximus? Respondebit ore D. Cyrilli Alexandrini Politica: *Ille mihi proximus, quem extollunt officia, & beneficia commendant.* Hic mihi, hic tibi proximus, quem cœlum feliciore editum sidere à magnificentia commendabilem reddidit. Vos hic alloquitur Nobiles viros; ut vestros discernatis amicos, seu proximos. Et quosnam illos? Profecto subditos vestros, qui operam suam omnem, officia, seu servitia vobis impendunt, & de suis bonis vos locupletant. Vos hic illa alloquitur Patresfamilias, quatenus noveritis interamicos alios proximiores esse famulos, atque ancillas vestras; qui vobis fideliter, sincereque deserviunt. Vos hic alloquitur D. studiosos, inter alios, ac præ cœteris proximos vestros, quos diligere, complecti, pro quibus orare obstricti estis, esse Professores. Hi enim vobis Parentum loco sunt, hos ipsorum extollunt officia, commendant beneficia. *Ille mihi proximus* &c. Quercinum profecto foret ingenium, quod nullis obsequiis ad benevolentiam in-

flecte-

flecteretur. Efferum pectus, quod nullis beneficiis ad comunionem cicuraretur. Ferrea viscera, quæ donis, xeniisque ad familiaritatem non initiantur. Liberiore enim annona immanes atque crudeles belluæ ad humanitatem componuntur, vix que bestiam reperire est, quæ beneficio non manuescat. Quod si itaque cuipiam ad latus est, qui commodis illius ancillatur, mala impendentia averrere satagit, futuris prospicit, nemo eum in album amicorum, seu proximorum referre addubitabit.

VII. Huc ex parte collimasse crediderim Legisperitum, quando propositæ parabolæ, & quæstioni, quisnā videretur proximus fuisse illi, qui incidit in Latrones? Respōdit: *Qui fecit misericordiam in illum.* Non sacerdos, nec Levita, quantumvis ex eadem gente, & in eadem urbe enutritus, ac genitus; sed exteræ gentis accola, sed samaritanus, *& qui fecit misericordiam in illum, Ille mihi proximus, quem extollunt officia, ac beneficia commendant.*

Beneficentiæ amoris obstetrix

VIII. Verum enimvero hisne limitibus arctatur Christiana propinquitas? Hæne Herculis columnæ, quibus inscribatur: *Non plus ultra.* Neutiquam. Haud me præterit, quod: *Vulgus amicitias utilitate probat.* Nec fallit, obsequia ac beneficentiem obstetricem, atque alumnam amoris esse. Compertum munera compedes dici, quibus vinciuntur animi; & quod Stobæus docuit: Non minus beneficiis amorem, quam ignem oleo foveri. At numquid proximo utendum ut vasculo tamdiu accepto, quamdiu pleno? Nūquid ut flosculis tamdiu gratis, quamdiu recentibus, ac redolentibus? Numquid ut supputatoriis calculis interdum plurimum, interdum minimum pollentibus? Numquid ut essedo, quod cum rectè vehitur, unusquisque insidere nititur; ubi paululum inflectitur, desiliunt universi. Ponamus quempiam tenaciorem ex quo ægrius gratiam, quam ex silice oleum elicias, jamne is omnino à præcordiis sequestrandus? Ponamus puteum altetius omnino esse exhaustum, jamne una affectus omnis inillum exaresset.

Stob.

IX. Fatetur hanc sortem se in suis proximis subiisse David à filio proprio throno pulsus, ideoque occinit: *Elongasti à me amicum, ac proximum, & natos meos à miseria.* Robertus Stephani ex Hæbræo legit: *Et natos meos in tenebris.* q.d. Junxi me quibusdam in secunda fortuna, & ecce in adversa aversi sunt à me; proximos delegi, & jam non norunt me; illi qui nuper atra veste pauperiem suam propalabant, divitiasque defunctas testabantur: Noti in tenebris; nunc ad candidam provecti lucem elongati sunt à me. Quādiu versabantur in tenebris miseriæ, lucem melioris fortunæ apud me solicitè investigabant; jam vero aspirante meo Numine, fausiore irradiati sidere, recesserunt à me. Nemini quando centonibus graves in mendicitatis suæ hospitabantur mapali; sed jam modo subvecti ad sublimioris fortunæ conclavia, vel præ nimio fulgore cœcutiunt, ne me agnoscant. *Noti quoque mei recesserunt à me,* Nec possum ab eis habere consilium, aut auxilium.

Psal. 87. v. 19.

Rob steph.

Amici fortuna sequuntur

X. Fateor hanc ipsam in præsentiarum esse temporum calamitatem, & ut plurimum proximos ex Favoniis afflantibus, aut fortunis ampliori bus, aut beneficentiis censeri. Sequimur

Petrum, & quamdiu aspirat æther cuncti inclamamus: *Bonum est nos hic esse.* Tu Dominus, tu Patronus, tu Mœcenas. &c. Verum ubi siniſtra aura aſflaverit, nec nosse eum cum Petro volumus hominem non novi hominem. *Non novi hominem.* Dicat utut velit se esse illum aut illum, hoc aut illo gradu sanguinis obstrictum, nisi clientelam splendidam prætulerit, nisi vel authoritate vel opibus præstiterit, habebitur instar Melchisedech sine patre sine matre, genealogia. Fateor hanc esse temporum nostrorum calamitatem, & coronariæ virtutis; ne dicam ipsius naturæ corruptelam.

Proximo benefaciendū quia proximus 4. Esd. 9.

XI. Verum contra hanc merito protestatur vir avitæ religionis, ac fidei Esdras, quando ait: *Gratiam oculos meus non vidit, donum manus mea non accepit. Parce tamen proximo meo, qui contradicebant ori meo. Humiliabor pro eis & vota reddam.* Ecce non munus, non benevolentia, sed ipsa pietas ad miserandum proximo, eum inflexit.

Protestatur vir secundum cor Dei, qui Ægyptium jam prope animam agentem refocillari præcepit. Quod factum admirans Lyranus exclamat; *Ecce quem nunquam viderat David virum agnovit sibi proximum. Non noverat ulla viri in se merita, navavit sua proximus proximo beneficia.* Nimirum mercenarius amor noneſt, nec pro stipendiis militat. Si quid honestum, immo si quid humanum in alio comperit citra lucrum complectitur.

Lyra in l. 1. Reg.

Ex his liquet nec naturam, nec politicam propositionem adamussim exolvere, nec solum sanguinem, aut beneficia album, seu arborem proximitatis conficere. Nam quantumvis non inficiar Consanguineos, ac Beneficos proximos esse, his tamen propinquitatem arctari concellis mordicus abuo.

§. III.

Proximus Evangelicus.

Proximus Evangelicus

XII. Est ergo Proximus noster omnis ille, cujus indigentia nostram efflagitat beneficentiam. Omnis ille, qui pretiosa sanguinis Christi purpura indutus. Omnis qui unum corpus in ipso per fidei generatione effectus Omnis, qui ad imaginem Dei conditus, etsi alioqui foret inimicus. Ratio est, quia proximus non tam in se, quam propter Deum amandus est. Minus illum amat, qui cum ipso aliquid amat, quod propter ipsum non amat, & non amat. Minus amat Dominum suum, quisquis hominem amat, & non propter bonitatem illius, imaginemq;, quæ relucet in ipso. Quis vero non videt omnes factos esse idoneos, & redditos participet imaginis filii Dei. Consequens itaque est, quatenus tam uni, quam alteri afficiamur; siquidem eodem motivo inducimur æque ad unum, ac alterum diligendum, patrocinandum, ac benefaciendum tam huic, quam cuipiam alteri.

S. Aug.

XIII. S. Augustinus præsentem parabolam in libro de doctrina Christiana allegans expendit causam ob quā sacerdos, ac Levites non est proximus, habitus illius, qui incidit in Latrones sed samaritanus; & ait: *Vt videlicet eum proximum intelligamus, cui exhibendum est officium misericordiæ, si indiget.* Non est mensurandus sanguine proximus, nec beneficentia; sed misericordia samaritanus Judæi sibi inviſi proximus appella-

appellatur, quia vel inimicus Judæus proximus est samaritani.

Christus inimicos appellat amicos Ioan.15.

XIV. Assertor noster agens de dilectionis gradibus, summum esse statuit vitam pro amico profundere. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quod qua ratione accipi queat, ego non video. Certè sublimiorem habet charitatem, qui animam suam pro inimico ponit.

S. Paulus ostensurus supereminentem Christi Domini in nos charitatem sic ratiocinatur: *Vix enim pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audiat mori. Commendat autem charitatem suam in nobis, quoniam quum adhuc peccatores* (inimici ejus) *eramus Christus pro nobis mortuus est.* q.d. Inter homines vix ullus est tantæ charitatis, ut pro viro justo mori velit; pauci vero, & rari sunt; qui pro benefactoribus suis mortem subeunt. Atqui Christus ex charitate sua, & Patris sui in nos pro nobis, iisque injustis & malefactoribus mori voluit. Ergo Christus longe omnem omnium hominum charitatē superavit. Amoris objectum est bonum, nec homines aliud amant, & nisi quod bonum, pulchrū, nobile, delicatum &c Christus in nobis necquicquam simile invenit, sed cuncta fœtida, putida, misera, & miserabilia. Amavit tamen fœdos, pulchros redditurus; inimicos amicos fact⁹; insipiētes sapientes efformatur⁹; ægrotos sanitati redonatur⁹; miseros, beatos, ac glorioso effectur⁹. Hæc est celsitudo amoris divini omnes amores creatos transcendens, quave major dari nequit. Cur ergo Christus D. maximam definivit pro amico defūgi. *Majorem hac dilectionem nemo habet* &c Profecto quia & inimicus proximus est, & consequenter inter amicos computandus. Nam ut calamo angelico notet D. Thomas: *Homines, pro quibus Christus animam suam posuit, licet non essent amici, quasi amantes, erant tamen amici, & proximi amati.* Pro iis animam suam posuit qui & amici, & inimici extiterant, amici quemadmodum ipse vocat; quia perinde ac amici ab eo diligebantur, inimici, quia ipsū haud quaquam diligebant. Cum ergo dicit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam pro amicis suis, propriè*, ac improprie amicos accipit, & utroque adamandos enuntiat.

D. Thom. hl

XV. Idem Dominus videns adventantem, cum cohorte valida militum, proditorem suum, obviam eidem processit; & salve, atque osculo à præfidi labiis accepto eundem resalutat, dicens: *Amice ad quid venisti?* Amice cū quo hactenus familiarissime convixi quid agis? quid moliris? quid intēdis? Non me fallit graves authores esse, qui amara cum Ironia à Christo missam hanc vocē velint. Id si fuit, nescio quid in sono ipso, in ore, oculisq; pronuntiantis fuit; quod vocem illam dulcissimam vitiaret, atq; amaritudine conspergetet. Verum quum id animo meo non faciat satis; multo minus piissimæ Christi animæ placuisse mihi persuadeo. Vox illa jaculum amoris est, flammas è cordis Jesu arcu in ipsum Judam evibrans, dulcissimo hoc vulnere ipsum trāsfixurus. Nullum amori potentius telū est sc ipso; nec u quā tam totus evolat, quam quum am cū appellat. Vox illa, mel fuit amoris, quod ab apiario divinitatis è Christi

Christus quo sensu Iudam vocat amicum

præcordi

præcordiis in illas, sese syllabas eliquans, dum osculo excipitur Christus in os discipuli invergitur; quo amarũ proditricis mentis consilium in pœnitentiam condiat. Vox illa speculum fuit, in quo tota se animæ facies exhibuit simulq; admirabili quadam vi fœditas proditionis Judæ objectata est. Cognovit itaque Jesus eum proximũ, & ideo ut amicum dilexit in sua vocatione, ac natura; qui se inimicum reddidit in proditione tam præsenti, quã futura.

XVI. Quod Christus Dominus exemplo suo & alloquio docuit, idipsũ nobis, & imprimis Vicario suo S. Petro per visionem commendatum voluit. *Evocatus is erat ad Centurionem Cornelium nomine, ubi in extasi positus, vidit descendens vas quoddam veluti linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. Audivitque vocem dicentem sibi: Surge Petre, occide & manduca. Ait autem Petrus: Absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune, & immundum.* Non sum inquit Domine mi Ciconia, ut ranas deglubem, non sum Italus, ut frixem; non sum Germanus, ut limacibus vescar, aut testudinibus; non sum Squillus, ut serpentibus saginer. &c. *Absit id Domine à me*, aliud quidpiam esurienti suffice. Instat nihilominus Dominus, & urget: *Occide & manduca quod Deus purificavit tu commune ne dixeris.*

Proximus quisque Act. 10. v. 11. 13.

Ibid.

Quo spectacule quid quæso Dominus innuere voluit Petro Vicario suo? Istud sanè, ut omnium gereret curam, ne Ethnicorum declinaret consortia, ut haberet pectus tam vastum, quo & amicos, & inimicos, immo universum complecteretur. Ut imitaretur Paulum dicentem: *Non ergo jam Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus neque fœmina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Nemo est in genere humano, cui non dilectio, etsi non pro mutua charitate pro ipsa tamen communi naturæ proximitate debeatur. Proximus omnis quantumvis inimicus reputandus, & ut proximus diligendus.

Gal. 3. v. 28

XVII. Ita equidem secundum jura sacrosancti Evangelii omnes nobis proximi, omnes amici; nec tantum sanguini, officiis, aut beneficiis, sed & ipsæ naturæ deferendum.

Verum heu qua cura, & solicitudnie hæc jura observare nitimur? Quo affectu in proximos ferimur? Quibus obsequiis nobis, immo DEo obstringere adnitimur? Utinam non identidem olei loco acetum acerrimum infunderemus! Utinam non tantopere alligemus, quam exasperemus vulnera! Utinam non offuciis pro officiis agamus! Utinam non multis eveniat, quod nobili cuidam Polono Szari dicto. Jacebat is ex pugna gravissimè saucius alia inter cadavera, jactabatque vexata dolore membra in hanc illamve partem, sanguine ubertimè, ex sulcis framea diductis, manante, & reluctantem animam ictus profundius in corporis penetralibus recepti jam jam protrudere videbantur. Transiit fortuitò Rex Lokietko, & volutantem in sanguine suo, ac extremis doloribus conspicatus, nec non commiseratione tactus, ad comitantem

Hominum inhumanitas arguitur

Cromer. lib. 7.

sese

sese ait coronam: Hic miser profectò gravissimis torquetur doloribus. Audiit hæc saucius, qui animam proximè acturus erat, & reposuit: O mi rex nequaquam me ita conficiunt hæc vulnera, quam quod malum habeam vicinum. Leviora mihi accidunt hæc tormenta, quam ipsius technæ, ac improperia. In corpore hæc vulnera ab hoste suscepi; sed à vicino in animo fixa manent, Cui rex: Bono esto animo, vindicaturum te ab eo me recipio, si convalueris. Eheu quoties in similes threnos alii prorumpere coguntur: Non ita me pungit colica, quam dentrata proximi jurgia. Non tam me casus macerant sinistriores, quam lividus vicini oculus. Malim commorari Leoni, ac draconi, quam meo vicino.

Olim dictum inproverbiis: *Homo homini Deus.* Providet unus alteri, consulit, opitulatur, perinde ac Numen aliquod. Nunc vero rectius, & verius receptum est istud: *Homo homini lupus.* Indiget quispiã pellibus, quibus corpus involvat; carnibus quibus reficiat, & illico circumspicit oviculam; quam deglubat. *Homo homini lupus.* Prodit alter pennis nobilioribus conspicuus, & ipse, perinde ac lupus, insidias struit. Postulat iste quippiam ad pedes provolvitur, pretia redemptionis interponit, nec quicquam amplius, quam ovicula à lupo obtinet. *Homo homini lupus.*

Et talibus ego, gemellisque sociis vitam promiserim beatam? Hisne calculum ad regnum adjecerim? Adjiciat sane qui ignorat cœlum haud pro lupis esse conditum. Adjiciat; quẽ latet exclusas à cœlestibus nuptiis fatuas virgines, quod oleo destitutæ fuerint. Adjiciat, qui nunquam fulmine illo ictus: *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Ego, ut id nullo ex fundamento polliceri præsumo; ita admonitos velim, ut dum sunt in via proximos recognoscant, iisdem ad mensuram facultatum, ac talentorum si bi creditorum opitulentur. Faciant sibi amicos de Mammona iniquitatis, ut cũ defecerint, recipiantur in æterna tabernacula. Amẽ. Iac. 2. 13.

CONCIO XLII.

IN DOMINICA XIII. POST PENT.

Occurrerunt ei decem viri Leprosi Luc. 19. 12.

ARGVMENTVM.

Tribunal Leprosorum.

Iam Ferias Judiciales expirare, novumque subrogari Magistratũ animadverto. Aud. Apud Romanos sublatis Regibus, & suffectis Consulibus, creati erant Decemviri, qui ut Plebiscita ex Græcia allata promulgaverant, inq; tabulas retuleranr; ita causas, qua religionis, qua civiles dijudicabant. Ab his ad alias civitates traductus mos est; ut & ipsi citra Consules, Decemviros Patrum conscriptorum, vel etiam scabinos eligerent, iisdemq; potestatem dirimendi controversias committerent. Liv

Ejusmodi Senatum in decem leprosis coactum hodiernum nobis exhibet Evangelium. *Occurrerunt ei decem viri Leprosi.* Sed numquid hi sedere pro Tribunali, ac præesse Causidicorum rostris poterunt? Quidni verò? cum nullo legali impedimento constricti teneantur. Nam si quis illis maculam, turpitudinemque objiciat; ajo etiam Thersites turpissimus mortalium, Athenienſium agebat forum. Deformis itidem Æsopus Xanto Philosopho in arbitrum aliorum suffragiis datus erat. Teterrimi alii Rhadamanti judicia exercebant in alios, nullo contra hiscere audente.

Si lepram ipsorum alter in Jus vocat, is noverit bene multos Regum, ac Principum hac lue infectos extitisse, & nihilominus causas sapientissimè definivisse.

Quod si verò per legem veteris Codicis ex civitate quispiam eos arceat, proscribatve; ex templis minimum excludi nequeunt; quin judiciis præsideant, & rostra occupent. In horum itaque Tribunali causas nonnullas contra scelestos ex Evangelii Protocollo adducturus, vos æque Judices, ac Auditores cœteros attentos percupio.

Partitio.

II. Citantur ad hoc æquissimum, sapientissimumq; Scabinorum Leprosorum judicium desides, ac marcidi; perperam verecundi, ac extremè ingrati.

§. I.

In Jus vocantur Servi inutiles.

Servi marcidi in jus citantur.

III. Sistant se imprimis servi inutiles, salutisque suæ omnino incurii. Accedant, Actio vobis eam ob rem intentatur, quod vos à Deo O. M. talentis maximis instructi in tantum languori desidiæque mancipaveritis, ut si vobis funis imponeretur, armareturque cultro dextera, quo rescindi posset, malletis longa fieri litera, infaustumque præcludere spiritum, quam manum ad funem dissuendum attollere. Vel si in grabato decumberetis, tempestasque valida immineret, aut ruina proxima domus impenderet, eligeretis mergi, aut obrui, quam de eo vos propripere. Vel etiam si sterteretis sub tegmine fagi, aut fui, non extenderetis manum ad fructum decerpendum, tametsi fame occumbendum vobis foret.

Intelligitis opinor, quæ dico, arbitri æquissimi. Ex his viris, fœminisque, quas præsentes hic arbitramini, reperire est tam marcidos, testudineosque; ut cum laqueum sibi à Satana inici perspiciant, quo in gehennæ furcam attrahantur, eumque cultro renitentis voluntatis præscindere, non assentiendo possint; ipsi brachia demittunt, aut ultro laqueum amplexantur, sibi in interitum injecturi sempiternum. Alii in scelerum volutabro resupinati, detonante desuper Numine, extremaque minitante, vel manum admovere pectori, vel assurgere ad pœnitentiam detrectant. Alii demum juxta arborem vitæ positi, quum illius ad manum fructus abundantissimè habeant, ad eos sumendos vel manum levare, vel os aperire dedignantur. Præstolantur divinum dapiferum, qui illis oscitantibus, aut cum fatis luctantibus, nullo eorum commodo illum ingerat.

Pigrorum supplicium.

IV. In quos tum Jus Civile, tum Canonicum severè, acriterque decernit

ait. Quippe in illo Censoria nota, teste Gellio, apud Romanos plectebantur; qui negligentius agrum suum coluissent; aut vineas suas sordescere passi essent. Solon itidem Legifer sapientissimus in eosdem ærariam mulctam constituit. Alii itidem leges mandant, subrogatis aliis, privare eos muneribus suis.

Gell lib 4. c. 12.

Plut. in Solone

Jure Canonico lituratо, stercoribus, aut lapide luto conspurcato ad ignominiam impetebantur. Ita enim loquitur: *In lapide luteo, & de stercore boum lapidabitur piger.*

Capit. Vigil. de præs.

Novum Testamentum ad perpetua eos condemnare videtur ergastula. Nam cum Dominus servo desidi credidisset talentum ad versuram faciendam, repetiturus ab eo in reditu lucrum, ipse abscondit pecuniam illius, & non nisi eodem redeunte è sudario citra ullum fructum deprompsit. Quam ob rem à Domino acerbissimè reprehensus est, ablatoque talento in tenebras exteriores protrusus. *Servum nequam projicite in tenebras exteriores ibi erit fletus, & stridor dentium*

Eccl. 22. v. 2

Matth. 25.

V. Quod ex præjudicatis planius evadet. Jupiter quondam ad instar Assueri ostensurus divitias domus suæ omnem creaturam ad regale epulum invitari fecerat. Et illico obsecundaturi accinxêre sese Leones, Cervi, Elephantes, Aquilæ, & cœtera belluarum, altiliumque turba, quos omnes largissimè habitos, Xeniis insuper opulentissimis donatos tandem dimisit. Post festum adrepunt etiam Testudines, & Limaces. quæsiti quid vellent, & qua de causa ad epulas non acceleravissent? Reposuêre: *Domus cara*, cara domus, licet parva. Quo audito excandescens Jupiter eosdem fulminavit, ut deinceps in perpetuum, perinde ac carcerem, domum suam bajulantes circumferrent.

Fabula de Lemacibus

Quod si autem tam acerbè in hanc forensem eorum desidiam pronuntiatum est; perpendite quantò gravius in eos statuendum sit, qui animæ propriæ negligunt salutem? An non merentur fulmen in se à Jeremia Vate detortum: *Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter.* seu ut alia lectio habet *negligenter.* Vel illud in Antistitem Ephesinum vibratum à Domino: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Vel aliud multò gravius, ac penetrabilius? Vos sapientissimi aristides dijudicate, desides verò, atque incurii sententiam audite.

Desidiæ punita

Ier. 48. 10.

Apoc. 3. v. 16.

VI. Quantopere animus impiger, & solers ad salutem obtinendam necessarius sit, quâ nostro bono, quâ aliorum damno didicimus. Etenim quum plures essent in Judæa vitio lepræ infecti, inque uno simul leprodochio hospitaremur, nos soli sanitatē consecuti sumus, qui impigrè obviam processimus, affectuque intensissimo exoravimus; alios lepra ad desidiam indies in deterius vergente extinctio. Ergo si salus corporis non datur præterquam industriis, ac studiosis, quantò minus animi dispensabitur, desidia, torporeque marcentibus. Stignaviam suam in accuranda corporis sanitate socii nostri plerique, immatura morte, ex-

Leprosi decem cur sanati

piare sunt coacti, profectò incuriam animæ suæ, æternæ vitæ dispendio luere merentur.

Ne tamen tam severè in eos decernamus, quin potius saluti ipsorum consulamus, statuimus, ut deinceps ex lege veri Salomonis, non Solonis, velocius currant ad fontes vitæ sempiternæ. Vita enim hæc cursorum est, non licet tardare, quomodo licebit stare? Quomodo licebit resupinari, in qua nefas fatigari, aut cadere. *Omnes quidem*, ait Apostolus *currunt*, sed unus accipit bravium, sic currite, ut comprehendatis. Si DEus creasset cunctos unà homines, usu rationis præditos, ac gratiæ dotibus æquales; ostenderetque cunctis magnitudinem gloriæ cœlestis alia ex parte reserando inferni barathrum, horrenda sua immanitate formidandum, hisque positis, revelaret ex omnibus unum, alterumve duntaxat salvandum esse, qui ferventius sibi deserviisset, stadiumque certum celerius decurrisset, damnatis reliquis; quis tunc mortalium contuens succensum Averni clibanum, simulque cœlestem paradysum non adniteretur esse sanctior, stadiumque decurreret? Quanta æmulatione quisque complecteretur Numen, evitaturus illa Erebi tormenta, & possessurus æternantia gaudia? Nemo profectò esset qui totis viribus perfectior esse non allaboraret; qui torporem omnem, desidiamque non amandaret, qui somnum ipsum sibi non substraheret. An ergo in præsenti passu frigidiore ferri adecet, aut stimulo obtusiore impelli, quum credimus servum scientem voluntatem Domini sui, & non facientem vapulaturum multis? Quum credimus maledictum, qui facit opus Domini negligenter? Quum audimus inclamantem Doctorem Gentium *Sic currite ut comprehendatis. Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Orcus, si optio daretur; per cultros novaculasque ad sedes empyreas conaretur eluctari, vobis grave erit regia sanctorum via incedere? *Sic currite, ut comprehendatis.* Pro modico lucro ab aliis via longa decurritur; & prò pudor ad æterna bona possidenda alæ, si fieri posset, non assumentur. *Sic currite ut comprehendatis.*

1. Cor. 9. v. 24.

1. Cor. 9. v. 24.

Fervor cõmendatur

§. II.

Citantur perperam Verecundi.

VII. Insequitur causa eorum, qui vel ex malitia vel pudore pernitioso detrectant peccata sua Sacerdoti legitimo confiteri. Procurator causæ, ac Patronus præcipuus est Calvinus, qui ipsos hunc in modum vindicare conatur: Deo soli illi injurii extitêre, Davide concinente: *Tibi soli peccavi.* Ergo sufficiet ipsi soli confiteri. Sacerdos æquè peccator, ac alter quispiam; quomodo itaque demittet aliis non sibi. Ezechias, Manasses, multique alii Deo confessi sunt, & justificati, quid itaque opus mysta? Decemviri hodierni audiunt, seque invicem respiciunt,

Psal. 50. v. 6.

ſpiciunt, tabulas conſulunt, & habito ſcrutinio decernunt.

Dominus JESUS nos ad Sacerdotes miſit, & non nos nobiſmet commendavit, aut ſibi jus vendicavit? Nonne ipſe, uti aliis languoribus, per ſe mederi potuit, ita & Lepræ. Utique. Nonne illi occurrit Naaman in Jordanis balneo elutus? Nonne Moyſis manus leproſa prodigioſè à ſolo Deo curata? Etiam. Cur ergo nos ad Sacerdotes miſit? *Ite oſtendite vos Sacerdotibus*? Nempe quia Lepra figura genuina, & propria peccati eſt. Fœtida illa, & abſurda eſt; fœtidum, abſurdumque iſtud. Renaſcitur ſua corpori lepra; & animo ſua oritur, & repullulat peccati labes. Enervat illa, corrumpitque omnes corporis ſenſus; enervat, & deſtruit iſtud omnem fortitudinem, vireſque animæ. Arcebantur leproſi à communione, ac ſocietate aliorum, ne, contagione lepræ ſerpente latius, alii inficerentur; arcendi ſunt itidem & anathemate reſcindendi ab Eccleſia, qui aliis offendiculo eſſe poſſunt. Ergo ut oſtenderet peccatorem ſuam debere lepram manifeſtare Sacerdoti, nos etiam ſiſtere, atque oſtendere illis voluit.

Leproſi cur ad Sacerdotes miſſi.

VIII. Et ſanè quo fine S. Petro Claves ligandi, atque ſolvendi tradidit: *Tibi dabo Claves regni cœlorum?* Quo fine in omnes Apoſtolos inſufflavit dicens. *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis?* ſi non obſtringantur peccatores, tanquam rei hiſce Judicibus, eorumque ſucceſſoribus ſeſe ſubmittere, cauſamque conſcientiæ ſuæ cognoſcendam exhibere.

Confeſſio ſecreta de jure divino Matth. 16.

Joan. 20. v. 23.

IX. De primis Diſcipulis Domini teſtatur Hiſtoria Actuum Apoſtolorum: *Multique credentium veniebant, confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Syrus legit: *Renuntiabant offenſas ſuas, & confitebantur, quod fecerant.* Hic agi de Confeſſione ex antecedentibus manifeſtò colligitur. Nam cum quidam Judæi tentaſſent invocare nomen Domini ſuper eos, qui habebant Spiritus malos; inſiliens in eos homo, in quo erat dœmonium peſſimum, dominatus amborum invaluit contra eos; ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Quo terrore diabolico perculſi Chriſtiani, habentes remorſum conſcientiæ, illico animæ ſuæ conſulturi ad exomologeſim ſe contulêre, libroſque magicos, quos apud ſe habuêre, teſte eodem Luca, in ſignum veræ pœnitentiæ exuſſere.

Act. 19. v. 18.

Ibid.

X. Idipſum ſuadet univerſis frater Domini S. Jacobus Apoſtolus: *Cõfitemini alterutrum peccata veſtra; & orate pro invicem, ut ſalvemini.* Non tantum Deo veſtro, ſed alter alteri, homo homini confiteatur. Hinc belle monet D. Auguſtinus: *Nemo ſibi dicat, occultè apud Deum ago pœnitentiam; novit Deus, qui mihi ignoſcat, quid ago in corde. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlis.*

Jac. 5. v. 16.

S. Aug. h. 49. ex 50.

Matth. 18.

Matth. 18 Ergo sine causa sunt datæ claves Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi? Promittimus vobis, quod ille negat. Nonne vos decipimus? Et rursum: *Erubescunt, seu dedignantur se ostendere sacerdotibus, quos tamen inter lepram, & lepram discernere constituit Dominus. Sed nolo, ut ipsa decipiaris opinione; quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, vel tabescens præ pudore, vel cervicosus præ indignatione. Nam ipsius similiter subeundum est judicium, quem Dominus sibi non dedignatur Vicarium.*

Aug. l. 2. de visit infir. c. 4.

Pudor noxius Eccli. 4. v. 25.

XI. Si vero pudor quempiam remorabatur, is audire debuit Ecclesiasticum sepientissime suadentem *Ne confundaris pro anima tua dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.* Confusio officiens confessioni, novo intricat peccatorem sceleri. Confusio vero ex peccati confessione exorta adducit gratiam, & gloriam. Ipsa vindicat hominem ab æterna confusione, peccata præterita obtegit à futuris protegit. Quod igitur non erubuisti coram Deo & Christo Judice, coram Angelo Deo Tutelari, & Sathana accusatore committere, quodque tandem coram orbe universo evulgandum est, quid veteris concredere illi, qui ante diem judicii Christi loco judicat non ad vindictam, sed gratiam tibi conciliandam. O *verecundia*, (lucclamo cum Mellitissimo Patre) *expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris, & honestatis.* Itane non pudet inquinari, & pudebit abS. Bern. Ep. 285.

lui? Itane non pudet pingui cervice in Deum armari, & pudebit sub potenti ipsius manu humiliari. Fumum ignominiæ fugimus, & in ignem nos præcipitamus.

Fab. ulade Asino & Leone

XII. Quid ergo de his statuemus? Id sane quod sanxit Leo in Asinum. Leo quodam tempore tanquam Rex animalium judicia habiturus constituit cervum, ut cornibus ita ingenio insignem, Auditorem causarum, quæ cæteræ belluæ ad se deferrent. Venerunt omnes solo lupo, & asino excepto, Lupus vel distentus præda, vel timore perculsus moras trahebat. Asinus eo quod indignaretur Cervum sibi præpositum, etsi damnum in avena haberet ab equo non compatuit. Gestis omnibus Leoni subinde per otium à Cervo intimatis, citatur Lupus, & Asinus, & ad causam absentiæ edicendum urgentur. Hic lupus quo poterat ranco quantumvis eloquio blandiri, ac purgare; Asinus vero propalam stomachari, aureasque suas huic muneri aptissimas deprædicare, nullo jure postpositum Cervo conqueri. Notat stolidita- *Præsumptio castigata*
tem, arrogantiamque bruti Leo, eundemque Lupi Auditorem jubet. Is avulsis mox Asini auriculis, eum etiamnum ferocientem, indignantemque cerneret, totum intrustra discerpsit. Hoc judicium, supplicium que à Lupis Avernalibus vos manet; quotquot nunc scelera vestra confiteri erubescitis. Veniet enim tempus, quo *revelabit Dominus pudenda vestra, in facie vestra, & ostendet gentibus ignominiam vestram.* *Mat. 3. v. 5*

Veniet

Iob.20.v.27 Veniet tempus, quo revelabunt cœli iniquitatem vestram, & terra ipsa consurget adversum vos. Veniet tempus, quo Mystam inclamabitis, & justo Dei judicio habere non poteritis. Et ne eveniat, nunc Confitemini alterutrum peccata vestra; nunc cum leprosis offendite vos sacerdotibus, nunc cum Naamano lavate vos non in Jordane, sed in balneo lachrimarum vestrarum, inque sanguine Christi JESU.

§. III.

Citantur Genimina Viperarum.

XIII. Citantur tertiùm ex Protocollo Evangelii Genimina viperarum. Citantur illi, quibus nihil inhumanius, aut immanius, aut ferius inter mortales invenitur. Citantur illi, quos omnium viventium sermo condemnat, verbo ingrati. Vestro, vestro imprimis maleficio evenit, ut cataractæ cœlestium influentiarum obstruantur; ut gemant in compedibus vicini; ut expilentur delubra, exinaniantur urbes, exhauriantur provinciæ, vastitas incubet Lachesis dominetur.

Ingratitudo vapulat.

XIV. Si inficias itis, aut fidem dictis derogatis, convinco vos imprimis exemplo Proto parentis vestri Adæ. Hic uti compertum, liquidumque est omnibus, à supremo Naturæ Numine, gratiæ muneribus affatim cumulatus, inque paradisi delicias introductus factus erat Monarcha orbis, hæres cœli. Quis quæso illum, posterosque ipsius ex hac felicitatis patria exturbavit? quis ad stivam coegit? quis exuta chlamyde purpurea vilibus induit pellibus? Sola ingratitudo. Ego, inquit Rupertus Abbas expendens historiam, quod Deus creaverit hominem multis insignitum perfectionibus, quod illum in paradyso locavit, avidè circumspicere cæpi, num forsitan homo ille gratias ageret pro talibus beneficiis? An supplex submissis in terram poplitibus tantum agnoverit beneficium, quod ex sola Dei clementia descenderat; cumque reperirem, quod nullas gratias egisset, dixi: Indubie hic homo bonorum omnium istorum patietur naufragium, & paradyso exturbabitur, sicque evenisse comperi. *Quia formante Deo, & inspirante spiraculum vitæ non suspiravit. eodem spiraculo vitæ in Plastæ sui faciem, ut adoraret, glorificaret, & gratias ageret eidem; quia tacitæ ingratitudine tantum. tamque felicem deliciarum locum quasi rapinam arbitratus occupavit; permisit Numen ea de causa tentare serpentem, subtraxit extraordinarias gratias, labi permisit, cumque tota sua eliminavit posteritate.* Etenim qui gratiam sibi collatam non agnovit, mirum non est, quod nec peccatum agnosceret, eoque devenerit, ut bona omnia amitteret. Id forsitan taxans Dominus, ait ad Adam: Ubi es? Noverat probe ubi locorum esset; noverat illum esse in paradyso, noverat esse sub ficu succinctum perizomate, verum non id scisciatur Dominus, sed potius: ubi est tua gratitudo? tam cito beneficiorum meo-

Rupert. l. 12. in Gen. c. 39.

Ingratitudo prima hominis ruina.

rum

rum oblitus es? Itane beneficia mea nonnisi maleficiis compensas? *Adam ubi es?* Vel ut loquitur idem Dominus ad Job: *Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Illi, ut ita dicam, à momento creationis suæ, *Matutinum* in templo meo decantant, cur in eodem cum ipsis choro, vel inferiore cum aliis creaturis non compares? cur cum iisdem *Laudes* non intonas? Cur non occinis: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus?* Ubi vesperæ, ubi *Magnificat?* Quia inspirante Deo non suspiravit in faciem Conditoris sui, indulsit Dominus, ut mulier tentata à serpente, ipse à muliere succumberet.

Job 38.

Psal.

XV. Non creditis id? Convinco id manifestius exemplo, & infortunio populi Judaici. Et hunc Largitor bonorum omnium mitis, ineffabilibusque gratiis exornavit. Eductum ex ergastulis Ægypti quadraginta annis prodigiosissimè sustentavit. Non junxit boves, agrum haud subegit, aut repastinavit, aut eruncavit, solis æstum non tulit, tempus messis non est præstolatus, non collegit aristas, non cõvexit in horreum, non trituravit, non pinsuit, non coxit panes, sed è cœlo elaboratum angelicis manibus accepit, epulabatur nullo magyro condiente; denique ntroductus est in terram promissionis fluentem lacte, & melle &c. Quis ex tam Elysiis eum expulit campis? Quis lac in absynthium, mel in fel amarum uravit? Quis tandem cataclis Babilonicis innexuit? Quis? sola ingratitudo: *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassat⁹, impinguat⁹, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum. & recessit à Deo salutari suo; & oblitus est Domini Creatoris sui.* Tantis præventus beneficiis dilectus ille populus, eo ingratitudinis devenit, ut sequestrato Deo vivo, ac vero, dœmoniis gratificaretur, & non Deo. Quid factum? subdit Moyses in eodem Cantico: *Vidit Dominus & ad iracundiam concitatus est, & abscondit faciem suam ab eis.* Congregavit super eos mala, & sagittas suas complevit in eis, in tantum, ut in hodiernum diem sint omni populo in derisionem, & in sibilum.

Ingratitudo confecit Iudæos.

Deut 32. v. 15.

Ibid.

XVI. Quid etiamnum forsitan attenuare vestrum scelus, & amoliri à vobis supplicia mitimini? At vos redarguit calamitosissimus ipse vineæ Christianæ status? Nam quis quæso in tot florentissimis Asiæ locis maceriam ejus dissolvit? quis in Palæstinæam vineam sanguine filii Dei rigatam Aprum Otthomanicum immisit? Quis etiamnum exacuit dentes, præterquam summa ingratitudo?

Ingratitudo vineam Christi subverit

Colligitur id evidenter ex querela Domini per Vatem Isaiam, qua in Judæos, qua in perfidos fideles instituta. *Quid est?* ait apud eundem Dominus, *quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? An quod exspectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Et quod vinitoris officium omisi? quid in vinea mea

Isa 5. v. 4.

neglexi?

neglexi ? quid ei facere debui,& non feci? Anne in hoc peccavi,quod expectavi uvas? hæccine est culpa,hoccine peccatum meum , longa expectat o fructuum,& nimia mea longanimitas? Hæccine ex uvis fecit labruscas? Longa mora, tempusque maturant uvas, meanè ergo sola mora, & longanimitas, an verò vestra summa ingratitudo reddidit immaturas ? Eapropter mox
Isa.5.v.5. supplicia in eam decernit: *Auferam sepem ejus* , nudando eam protectione mea, *& erit in direptionem*, Turcis & Tartaris. *Diruam maceriam ejus*, privando eam legitimis colonis, & erit in conculcationem, *non putabitur,nec fodietur*, ut compungatur corde ; *& ascendent vepres , & spinæ* peccatorum, quibus offocabitur. Ecce hi sunt fœtus vestri ô genimina viperarum ; hi fructus vestri ô arbores auctumnales,hæc stipendia vestra servi nequam , & inutiles.

XVII. Compertum id probè orbi universo est,& idcirco nulla est barbaries gentium , nulla morum tanta absurditas, quæ criminationis tela ingratos non conjecter. Et licet alia vitia patronos suos nanciscantur, nemo uspiam est sive fur, sive sicarius, sive proditor, qui ingratitudinem non fulminet. Ipse omnis doli ac malitiæ artifex hoc unum expavescit scelus, & si illi vetula quæpiem ancillatur. regratificari in hoc mundo adnititur studiosissimè.

Vos itaque æquissimi Aristides , & in hos decernite, nigrumque, ut merentur, theta inurite. Sed quid video contrahitis humeros, & causam hanc defugitis? Ita nimirum unguem in ulcere ponere detrectatis , & cum vos ipsos hæc causa tangat, decretum suspenditis. *Non est qui reversus est, nisi hic alienigena.* Appello itaque ad altius forum, decernat supremi subsellii Cancellarius magnus inquam Præsul Hipponensis, vos verò ingrati audite quid statuat? *Hac*,inquit,*animadversione per-* *Aug. ser.10.*
cutitur peccator, ut moriens obliviscatur *de SS.*
sui, qui dum viveret oblitus est Dei. Alia judicia,alia statuunt supplicia, Tribunal supremum hanc pronuntiat sententiam,*ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei.* Vel etiam talione debita Deus illius in morte oblivisci tur,ne succurrat, qui ipsius in vita oblitus fuerat. Vidistis ipsimet nonnunquam homines in confinio mortis positos nullam admittere admonitionem, excludere saniora consilia, totos de filiis, non de se solicitos. Unde hoc ? *Hac animadversione* &c. Notastis forsitan alios exomologesim de die in diem differre , quoad infaustum expuant spiritum. Unde quæso istud? *Hac animadversione* &c.

XVIII. Auditores mei,& quis nostrum est, qui gratias acceptas memori mente persolverit? Quis nostrum est, quem illæ sagittæ olim in populum Israeliticum directæ non petant ? *Filios* *Isa.1.*
enutrivi , & exaltavi,ipsi autem spreverunt me. Nonne ipse nos jam inde à cunabulis paterna sua providentia custodivit? Nonne ipse à funestissimis calamitatibus eripuit? Nonne à millenis subduxit casibus. Ecce aliæ nationes lue sæva exhauriuntur; aliæ ferro,ignique devastantur, aliæ inopia pressæ; nos sospites,nos pacifici,nos beati degimus. Et quotusquisque Numini pro

tanto beneficio debitas retulit gratias? si hominum quispiam vel dimidium tantum præstitisset eorum, quæ à Numine accepimus, obstrictissimos nos eidem profiteremur. Jam verò quia cælitus præventi sumus, nec gratias pendimus, nec græti esse curamus. Latrones sæpe, quod sublata substantia vitæ indulserint prosequimur favore; & nõliquescimus præ amore illius, qui contulit essentiam, vitamque cum nihil essemus? Clamat edocetque natura, nullam gratiam parem reddi posse parentibus, à quibus non nisi corpus fœtidum, peccato obnoxium, & omnibus miseriis hujus vitæ subjectum, in acceptis referre cogimur; & Domini Dei nostri, cujus beneficio animam divinæ particulam auræ, corpusque ipsum accepimus, immemores erimus? An naturam suam perdit aqua, quod sit in Oceano, & non in exigua scatebra? An amittit naturam beneficii, quod Numen illius sit author, cujus natura est benefacere velle. In hominibus languidior est beneficentia, utpote ab eorum natura aliena, cui propria sola est indigentia. In Deo est vivacissima, à quo perinde tanquam ex fonte indeficientissimo promanat. Cur ergo dona ac beneficia amittent privilegium suum collata à Deo, quæ si facta fuissent à vilissimo homine multò minora nisi grati essemus, non auderemus secura fronte coram illo comparere. Eheu quantopere igitur percelli debemus, ne qui ita immemores sumus Domini Dei nostri in hac vita, nostrum ipse obliviscatur in altera.

Id ne olim eveniat æmulamini Psalten, & *ponite corda vestra in virtute ejus, & distribuite domos ejus*, id est expendite beneficiorum distributionem tam aptè à Deo factam in domibus suis, ut enarretis in progenie altera. *Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi*, ipsa laus & gloria nunc & in perpetuum. Amen. Ps. 47. 14.

CONCIO XLIII.

IN DOMINICA XIV. POST PENT.

Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis. Matth. 7.

ARGVMENTVM.

Primum Mobile Intentionum nostrarum.

I. ERrore ut plurimùm vivimus, & adludibrium ventorum vitæ stamina expendimus. A. Amussis popularis auræ cursus, ac studiorum nostrorum decempeda est. Hallucinari tam basilico tramite existimatur; quisquis vel lato ungue ab eo descisit plebiscito, quod non nisi, catenata errorum propagine, caterva sanxit peccantium. Eam ob rem toties deserta recti orbita exorbitavit orbis, orbatusque luminibus ad solis cœcutivit radios, quod hisce interceptus tenebris, mentem ex caliginosa errorum Chao ad veritatis fulgorem expedire nequiret; & indissolubili tot Professorum delirantium interceptus dilemmate malum cogeretur amplecti pro bono, vitium pro virtute, turpitudinem pro honestate; delicias, divitias, pro pulmento, & ambrosia beatitatis.

Jam verò quantumvis uberioribus fidei fulgoribus perstricti, regia felicitatis sempiternæ itinera planius intueamur, ingens tamen eorum etiamnum syllabus est, qui densioribus ignorantiæ voluminibus impliciti exerrant; & spretis divini Pneumatis axiomatibus, vulgi problemata sectantur, ac profitentur. Clamat parte ex una sapientia æterna: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*; sectamini substantiam non accidentia; astra non rastra; cœlum non cœnum, cœlestes aulas non Tityri caulas; verum rarus est, qui consulenti morem gerat, qui templa sedulus frequentet; vitia serius expiet, ad rationes æternas vitam componat.

Vociferantur parte ex altera Thrasonum quispiam:

Inven. *O cives, cives quærenda pecunia primum.*
Virtus post nummos.

Et è vestigio, perinde ac si ea vox oraculo prodiisset, Typhis ad suam navim, institor ad officinam & forum; artifex ad opus, mercenarius ad laborem, miles ad castra, tyro ad palæstram suam accelerat. Ille naulum, hic laurum; ille lucrum, hic mercedem; ille stipendium, hic minerval olim obventurum prospectat. Cuncti flagrantissima habendi cupiditate non tam ducuntur, quam per fas, & nefas rapiuntur. Hos ego ab errore revocare tentabo, & ad regnum cœlorum imprimis accurandum adurgere. Faxit magni consilii Angelus, à quo idipsum concreditum est; quatenus cuncta cedant ad majorem ipsius gloriam.

PARS I. ANTITHESIS.

Sic primo quærendum est regnum Dei, ut secundo nihil ita quæri queat.

II. Deus optimus M parens, & opifex universi conditurus regnum empyreum electis suis, ipsa fundationis methodo videtur demonstrasse viam ad illud obtinendum. Sic enim de eo Protonotarius ipsius: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Nos à fundamentis architectamur ædificia; at Deus præter humanum morem primus cœlum extendit, tum terram substernit; prius culmen, & subinde fundamentum posuit. *In principio creavit Deus cœlum.* Quid hoc rei? Cur non potius primum condidisse terram dicitur, quàm cœlum? Nonne contrarium occinit Hymnopæus: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Cur itaque Moyses cœlum prætulit?

Cœlum trimum sit in intentione.

Gen 1.1.

Cœlum cur primo creatum dicitur Ps.101.26.

Norma hic nobis datur, amussis statuitur, ad quam actiones nostras expendamus. Etenim quævis nostra actio creatio quadantenus est. Quum enim animus agit, aliquid esse incipit, quod non erat. Memoria, dum quid recolit, intellectus dum agitat, voluntas dum amat, quidpiam creat. Illud itaque & nobis primum sit ordine, quod Deo primum fuit in creatione. Quemadmodum ille in principio creavit cœlum: ita nobis in intentione præ omnibus præfixa sit beatitas.

Actio quævis creatio.

Non secus æternæ rationes gyrent corda nostra, quàm primum mobile rotat arcus inferiores. Excedit & exuperat infinito prope intervallo cœlum terras; prædominentur suppari ratione curæ nostræ de consequendo cœlo, curis omnibus terrestribus de desultoriis hujus mundi bonis obtinendis. Tellus tota, si cum cœlestibus componatur orbibus, punctum est; & studia nostra circa caduca, si cum æternis conferantur punctum quodpiam temporis sibi vendicare putentur. Punctum, seu momentum temporis satest terrenis commodis, nulla Olympias æternitati. *In principio creavit Deus cœlum*, quatenus primo quæramus regnum Dei, & justitiam ejus. Ita Procopius

Procop. Gaz. hic.

pius Gazeus. *Docet Creator, ut primo loco cœlum, deinde terram curemus.*

Vestis alba & unctio quid signet in baptismo Tertul. lib. de corona mil.

III. Compertum liquido vobis est, nos in sacro Baptismate oleo inunctos, & veste candida amictos esse. Hæc ceremonia vestis albæ si Tertuliano Doctori pervetusto credimus transsumpta est à Romanis Gentilibus, inter quos, qui ad dignitatem aspirabant veste candida induebantur, dicebanturque candidati Ea veste tanquam exhortatrice jugiter admonebātur ejus vitæ, quam ducere tenebantur; morumque integritatis, qua cæteris præfulgerent. Nam ut ait Cicero, eo ipso, quod quispiam dignitatem ambiret, candidoque vestitu uteretur, se ipsum adstringebat, ne vile quidpiam, aut abjectum ageret, aut indecens illius dignitatis, quam prensabat.

Cic. ad Fratrem.

Unctio autem ab Israelitis mutuata perhibetur, apud quos Sacerdotes, & sublimandi ad thronum regium oleo inungebantur, eoque ritu in reges inaugurabantur, consecrabanturque. In qua unctione id prodigio sæpenumero eveniebat, ut si fortè homo unius artis; literis, moribusque non admodum initiatus ad culmen imperii eveheretur, ipsa inunctione in virum alterum mutaretur, cogitaret sublimia, loqueretur digna rege, cunctaque militaria munia accuratissimè obiret.

Exemplo, ut alios mittam, esse potest Saul, qui mulionem agens eo cuncta sua studia, ac intentiones dirigebat, ut asinas, ac jumenta patris moderaretur. Unus autem in regem, *Immutavit ei Deus cor aliud*, quatenus rejectis prioribus studiis majestate regia minus dignis, jam nihil antiquius haberet, quàm ea tractare, quæ in totius Reipublicæ vergerent emolumentum, ac incrementum.

1. Reg. 10. 2.

Ergo si in sacro fonte ad eundem modum, ac finem, niveum amictum accepimus, si candidati regni cœlestis effecti sumus; si inungimur in hæredes regni, exigite apud vosmet-ipsos quas cogitationes fovere, quò intentiones vestras dirigere debeatis; cogitate quàm turpe sit degenerare ab excelsis cogitationibus filiorum Dei, & non tam congrua regis, quàm villici filio consilia volvere, munia tractare.

Si Romanorum quispiam assumpto niveo paludamento quo supremi magistratus, summorumque graduum urbis illius imperialis signaret candidatum, non nisi stipulas per urbis vicos collegisset, illorum luto se onerasset, atomos in solis radiis volitantes sectatus fuisset, quo putatis splene, ac sibilis exceptus fuisset? quam indignus munere quovis splendidiore habitus esset? Et si unguem in ulcere ponere haud detrectatis, in dubium habetote, acriori vos excipiendos cachinno à supernis civibus, si naturæ divinæ participes effecti, ut loquitur S. Petrus, & oleo Spiritus S. in filios Dei, ac hæredes regni cœlestis adoptati, ipso posthabito, mentem ac studia quævis coacervandis terrenis consecraveritis.

2. Petri. 1.

Vos ipsi, si Principem, ac Dominum vestrum, paternorum hæredem regnorum, cerneretis totum quantum intentum rei agrariæ, aut auctionandis ligulis, acubus, fiscellis speculorum fragmentis, lignorum segminibus, aliisque crepundiis, quid quæso judicii de illo formaretis? Nonne si fas esset

in faciem eidem exprobraretis? O Princeps sereniſſimè perpende cujus ſis filius; & quæ te Numen præ cæteris prævenerit benedictione, ut tantorum regnorum hæres naſcerêre. Indignum eſt conditione tua mentem tam abjectis conſecrare quisquiliis, ſceptro prognatam. Erige te, & ad excelſiora, & te digna conſectanda enitere. Ita tu quidem.

At auſculta eadem nobis, per os Davidis, exprobrantem Dominum: *Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Filii hominum*; Hebræus legit: *Filii viri incliti* in filios Dei adſciti uſquequo habebitis cor lapideum, durum, ad terram inclinatum non cogitantes niſi bona terrena, vana, & falſa, pedibusque ſubjectata; ſuperna autem, ac ſolida unde veſtram ducitis originem, nec diligitis, nec quæritis? *Vſquequo gravi corde* &c. *Scitote quia Dominus mirificavit ſanctum ſuum.* Scitote quoniam ipſe Dominus Deus ſanctum ſuum Chriſtum cum ob alia, tum ob temporalium deſpectum mirabilem reddidit, reſuſcitans eum ab inferis, & in cœlo ad dexteram ſuam conſtituens, & ad æmulandum eundem aſſurgite. *Quærite primum regnum Dei.*

Pſ. 4. 3.

Ib. v. 4.

IV. Sapientiæ miraculum Salomon prudentiam ſenſati adumbraturus hominis, haud vulgari eam deſcripſit tropo cum diceret: *Sapientis oculi in capite ejus, ſtultus in tenebris ambulat.* Quid enim? Nonne ſideratus etiam quisque oculos habet capiti infixos? Piſcium nonnulli, & aliorum animalium ventri inſitos circumferunt; at verò pleraque alia, & homines omnino univerſi in fronte eos geſtant; quatenus nimirum ea quæ remotiora ſunt facilius perſpiciant. Si enim author naturæ in pedibus eos conſtituiſſet, ea duntaxat, quæ circa pedes ſunt arbitraremur.

Oculi ſapientis cur in capite.

Eccl. 2. 14.

Inſuper hominem non in modum repentium, aut ſerpentium ſuper terram, non in modum quadrupedium faucibus humum verſus propendentibus effinxit; verùm ut averſis à terra oculis ſtaret erectus, & cœlum, ac cœleſtia aſpiceret; atque ambiret. Etenim ut canit Naſo:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Iußit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Ovid lib. 1. Metam.

Bos herbas depaſturus caput acclinat, deflectitque in terram, ſpectat ventrem, & ea quæ ſub ventre ſunt, ſiquidem in hunc ſcopum felicitatis ipſius, ac cæterorum animantium conſpirat exitus, paſtu, ut exatient ventrem ac voluptate. Homo verò cœleſtem ſuam geneſim, ac genealogiam oſtenſurus oculos ſurſum attollit. Sapiens itaque in capite habere oculos dicitur, quia futura, & diſtantia ab hac vita contemplatur; excelſa, ac divina exambit; eoque omnem ſuæ mentis cogitationem, omnem actionem, ſtudium, intentionem dirigit; Chriſtum, qui caput noſtrum eſt conſiderat, in eumque acie immota collimat, ne fortè à ſcopo hoc ſuo declinet.

Stultus verò in calcaneo oculos circumfert, quia præſentia duntaxat cogitat,

gitat,

gitat, non nisi terrena, vilia, exilia amat, & amplectitur. Ita præter alios D. Basilius: *Sapientis oculi in capite, dum ea contemplantur, quæ in sublimi sunt.* Nam *qui non ad bona, quæ in sublimi sunt, sed qua in terra respectat, is utique defigit, detrahitque oculos in terram.* Quum ergo in hunc modum cœlum versus natura oculos dixerit, & corpus efformaverit, consequens est, ut ipsius ductu caduca hæc perinde ac purgamenta cum Apostolo proteramus, & ad æterna cum eodem studium omne, ac animum intendamus

S. Basil h. 9. Hex. sub finem.

V. Adumbratum idipsum nobis opinatur stoicus Christianus in duobus fratribus, electo uno, ac dilecto, reprobo altero & exoso; in Jacob inquam & Esau. Etenim benedicturus Isaac Pater Jacobum primò rorem cœli, subinde verò pinguedinem terræ est precatus; prius cœlestia promisit, deinde terrestria adjecit: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam.* Divina bonitas ipsa te influentiis irroret cœlestibus, & terrestribus, ipsa te prius cumulet bonis spiritualibus, & tum corporalibus; ipsa tibi primum elargiatur bona gratiæ, & subinde fortunæ.

Benedictio Iacobi quid signet.
Gen. 27. 28.

Exadversum verò, ubi multis exoratus lamentis ab Esau, inflexus est Isaac, pinguedinem terræ supernis bonis præposuit: *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* Quod expendens præfatus Doctor ita scribit: *Animadvertenda est structura benedictionis: Nam circa Iacob, qui posterioris populi figura est, id est nostri, prima promissio est cœlestis roris; secunda terrenæ opimitatis. Nos enim primo ad cœlestia invitamur, cum à sæculo avellimur, & ita postea invenimur etiam terrena consecuti. E contra vero in Esau, qui prioris populi, & reprobi figura est, prima promissio est pinguedinis terræ.* Hæc est structura benedictionis, ac reprobationis; quod improbi studio principaliore in terris nidulentur, prima in iis jaciant fundamenta, tanto propiores inferno futuri, quantò profundiora effoderint, ac locaverint.

Vid. v. 39.

Tertul. l. 3. c. 24. contra Marc.

Structura iustorum & impiorum

Justi verò cœlum versus respiciunt, in eo basim, ac fundamentum totius vitæ, ac perfectionis constituunt. Norum quippe cœlum firmamentum ab ipso Numine nuncupatum, cætera verò in infirmitate, ac mutabilitate substructa esse. Norunt quod creata omnia sint vanitas vanitatum, & afflictio spiritus, in quibus finem ultimum ponere sit toto cœlo exerrare. Norunt ab Opifice naturæ eo artificio sidera condita, ut semper sint præ oculis, & etiam aliud quidpiam agentibus incurrant.

VI. Assertor noster informans discipulos suos ad tolerantiam, & infortuniorum quorumvis ob fidei causam perpessionem, ait: *Si quis te percusserit in dexteram, præbe ei & alteram.* Sensus literalis obvius est; at mysticus, quem SS. Patres observant, ac eviscerant, non item.

Terrena prius amittenda quã cœlestia. Matth. 5.

Eminentissimus Cardinalis Hugo per maxillam authoritatem sacrorum Canonum intelligit, qua perinde, ac maxilla Samsonis sternantur hostes Eccles. Et sensũ esse vult: si te hæterodoxorũ quispiã aggreditur aliqua authoritate ad speciẽ cõtraria veritati, tu alterã eidẽ oppone. Ita feciſſe audivimus

Hugo h. l.

religiosum quempiam ab hæretico digladiatore in utramque aurem inunctum. Cum enim percusso eodem adversarius allegaret textum præcipientem: *Si quis te percusserit in dexteram, præbe ei & alteram.* Reposuit idem, rursum scriptum est: *Qua mensura mensi fueritis remetietur vobis*; & par pari retulit.

Ad propositum meum percommode S. Ecclesiæ lumen Augustinus interpretatur, hoc loco non intelligi adjectionem sinistræ, sed exclusionem dextræ. Non præcepit Dominus, ut percutienti te in dexteras genas, tu sinistras etiam exponas, & dicas: parum hoc, percute iterum, sed vult, ut dexteram avertas, & sinistram porrigas. At quid quæso inde commodi ô S. Pater, ut quis me satius flagellet, aut colaphizet à sinistris, quàm à dextris? Utique tam hæc, quàm illa pars mea est, caro mea, os meum? Utique tantopere hanc ac illam conservare, nutrire, defendere obstrictus sum? Utique tantum hæc dolet, quantum illa? Tu nihilum cura reponit ille, sed meo & Domini nostri suasu acquiesce, & sinistram potius, quàm dexteram expone. Flagelletur illa, cædatur alapis, livore obducatur, dummodo intacta maneat dextra.

Non capio mi Pater verbum istud. Quid? Nescis per dexteram venire cœlestia, ac æterna: *Statuet* enim *oves* Judex *justus, à dextris*; per sinistram verò terrena mortem, damnationem: *Hædos autem à sinistris.* Si quis ergo veniat, ac connitatur tibi officere in spiritualibus, & æternis, tu potius jacturam patiare in temporalibus, & caducis. Pereant ista, ut salva sint illa. Verba illius sunt: *Nescio quis piam veniat, & vult tibi percutere dexteram, id est tollere tibi fidem tuam, tu præbe sinistram, id est ut tollat, quod temporaneum, & non ea, quæ æterna habes.* Illa quære, ista tene; illa posside pro istis certa, & ad sanguinem usque resiste; ista in postremis numera, illa sint in capite, hæc in pedibus. *Quærite primum regnum Dei*, &c. *Aug. l.*

VII. In hoc gloriatur Vas Electionis S. Paulus ad Philippenses ita scribens: *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Delicias, divitias, facundiam, gloriam, favores, & quidquid mundus deperit, aut suspicit propter Christum, & pro Christo meo arbitror esse incommoda, ac damna, nec secus quàm stercora, ac inquinamenta aspernor, & abominor. Unus Jesus scopus meus est, hunc si teneo æternum sum beatus, ab hoc si exerro æternum fulminatus. *Phil. 3.*

VIII. In hoc gloriabatur regina Navarræ Margarita quæ orbata marito, & sæculi vanitate perspecta, aliis ex regio stemmate ceris expunctis Heliotropium assumpsit, adjecto lemmate: *Non inferiora sequor.* Quo symbolo illud imprimis significare intendebat, quod quemadmodum præfata herba ob mirabilem cum sole sympathiam eidem orienti folia pandit, occidenti recludit, eundem sequitur, & eidem soli vivere testatur, ita se nullum in terris amicum quæsiturum, terrena hæc susque deque habituram, solum Numen optimum, ac regnum ejus spectaturam. *Non inferiora sequor.* *Margarita Navarræ Reginæ symbolum.*

IX. In hoc gloriabatur ipse Ethnicus

Matth. 25. 33

cus Philosphus Empedocles. Etenim quæsitusqua de causa viveret? Respondit. Ut videam cœlum. Illud solum dignum visu visum illi est, illud solum conforme oculorum objectum. Perspiciebat enim cœtera omnia esse personata, & ut parent, ita disparere. Observabat nec quicquam posse in eo esse diuturnum, in quo ipsa momentanea sunt sæcula; nihil posse duci pulchrum, in quo ipsa venustas, formæ cadavericæ obnoxia. Cœlestia sola mutationem, & fucum ignorant, ipsa sequestrata omni fragilitate, ac dolo, existunt vera, ac solida. Rectè ergo Philosophus ille intulit: *Vivo ut videam cœlum.* Sed addendum erat ut possideam illud, ut ex hoc exilio illuc ducam coloniam.

Homo cur vivat.

XII. Hæc est prudentia serpentis quam à nobis exposcit Dominus apud S. Matthæum dicens: *Estote prudentes sicut serpentes.* Hi enim cum urgentur periculo, caput semper abscondunt, & objecta reliqua parte corporis hoc solum tuentur; sperantes si intactum vulnerib⁹ caput servaverint posse subinde partes affectos lambendo sanare, ac restituere deperditas. Ad eundem modum amator Numinis omnia perdit, dummodo caput Christum intactum conservet.

Matth.

At verò Canini generis, ac naturæ sunt, qui malunt caput Christum prostituere, quàm caudam seu adjectitia amittere; cœlestibus eligunt carere potiùs, quàm terrestribus, & caducis.

PARS II. HYPOTHESIS.

XIII. Et tamen prô pudor, quàm rarus est qui à primo mobili moveatur; qui dextro oculo cœlestia spectet; qui principe curâ in illa feratur! Quam multi exadversum qui fascino, aut carmine dementati ad res terrenas motu violentissimo rapiuntur, quærunt eas studio, tenent cum solicitudine, amittunt cum dolore; cœlestia verò & sordida oblivione damnant, & frigidè sectantur, & obtenta prope cum risu prodigunt. Quàm multi ad obtinendum obulum, ad imaginarias vanitates aucupandas omnem laborem etsi gravissimum parvi pendunt; ad cœlestes autem divitias possidendas vel suspirare, vel mentem attollere Herculeum onus imaginantur. Quàm multi basilicam empyream cum casa straminea è luto, & sputo compacta commutant, veras delitias, ac voluptates ob inanes ac fluxas deserunt, divitias terminati nescias ob intuitum caducorum bonorum explodunt, ac fugillant.

XIV. Quæsivit virum Ecclesiasticus qui posthabitis terrenis divitiis æternis unicè intentus esset, eumq; beatissimum enuntiavit: *Beatus vir qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris.* Sed illico adjecit. *Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Non est hic de communi, ut ajunt, Confessorum, de communi virginum, sed inter Thaumaturgos referendus, Moysi & Apostolis æquandus. Tam rarus est, quàm rarus est virorum quispiam prodigiis inclitus. *Fecit enim mirabilia in vita sua.* Prodigium unum est hominem calcare solum, spectare potum, despuere rastra, & aspirare ad astra, in postremis terrena, in maximis cœlestia reponere.

Terrena pauci contemnunt.

XIII. Portentum item visa est S. Joanni mulier una, cujus caput cœli instar Zodiacum præ se ferre videbatur, cujus corpus circumamictum Phœbo, cujus pedibus Cynthia substrata fuerat. *Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Apoc. 12. Precor, quid hic emiratus est Apocalypticus Notarius, tam perspicax alioqui divinorum mysteriorum magister? An mulierem in cœlo obstupuit? Verum ingens ibi qua virginum, quà viduarum, quà conjugatarum numerus. Num quod stellis coronata in capite? Plures ejusmodi reperire est, quarum vertex margaritis, ac adamantibus perinde ac sideribus emicat. Numquid corpus sole adornatum? Refulgent itidem non illustres tantum matronæ, sed & scorta sæpenumero obryzo, perinde ac Phœbo coruscæ. Quid ergo virum tantum in admirationem posuit? *Luna sub pedibus.* Est verò Luna rerum mundanarum Hieroglyphicum. Quemadmodum enim illa instabilis est, & jam plena, jam semiplena; jam crescens jam decrescens; jam splendida jam ecclypsibus obnoxia: æqua ratione res mortalium casibus, ac periculis expositæ. Quare si quæ mulier hanc cerebro non condat, non colat, si pede premat; si cœlum si sidera in capite verset, erit illud prodigium ingens, & toto notum Empyreo. Pleræque enim in capite eam ferre videtur, quum veluti lunaticæ in vesaniam abeant; vel ut Luna cornuta viros, aliosque impetendo, appareant; vel nihil aliud, quàm vanitatem circumferant. Signum ergo magnum est in cœlo sub cujus pedibus Luna calcata, & protrita. *Luna cuius symbolum.*

XIV. Verum quàm rarum tantopere imitandum. Ita enim primò quærendum est regnum Dei; ut secundo nihil ita quæri possit. Ita calcanda terrena omnia, ut cœlestia contingere, ac possidere mereamur.

Ad hoc nos adhortatur assertor noster in hodierno Evangelio dicens: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quærite inquam non regnum Aristocraticum, non Democraticum, aliisque commune, sed Monarchicum ab æterno Patre clementissime, ab ipsius sapientia providentissime, ab ipsius bonitate gratiosissimè gubernatum.

Quærite primum regnum Dei. Regnum omnium sæculorum, regnum delitiarum, regnum gratiæ, ac gloriæ, regnum filiorum Dei. *Quærite primum regnum Dei*, ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate, ubi omnia bona in charitate perfecta, ubi species, & visio facie ad faciem, ubi omnia & super omnia Deus.

Quid moramur inertes inter dumeta Menalcæ? Quid ruri degimus nati ad regnum? Quid in exilio in tenebris moramur? Quid inter quisquilias quærimus, habituri, ac possessuri millies augustiora, quàm quæ vel oculus vidit, vel auris audivit, vel in cor hominis descendit. Illuc animos transfera-

feramus, ubi jam non est vanitas, sed veritas; ubi omnia firma, fixa, stabilia, ubi supra petram omnis structura consurgit, ubi senectus non est neque transitus; ubi omnia florent, omnia germinant.

Quod si terræ pulchritudo quempiam allicit, sursum aspiciat, & augustiorem in sole, & luna deprehendet. Si magnitudo hujus inferioris orbis in admirationem rapit, cœli magnitudinem advertat infinito prope spatio vastiorem. Si humanarum blanditus duratio voluptatum, attendat esse vento velociorem, ac instantaneam; perpendat omnia terrena esse somnium, ac umbram, omnia superna solida, ac vera. *Quærite ergo primum regnum Dei.*

Quærunt alii per strictos mucrones & machæras, per mille pericula, & vulnera, per ipsius vitæ dispendia, sceptra arundinea; Exclamat Octavia: *Occidat dum imperet.* Sunt alii soliciti quo evadant Comites de quercubus, Barones de Ardeis, Nobiles de fungis, nos de regno paterno adeundo curas intentionesque deponemus?

Prudens ille institor, ubi thesaurum in agro reperit, omnia sua divendidit, eundem empturus. Et cur non æquo studio nos, qui abinde à baptismo incomparabilem cœlestis gloriæ thesaurum vel à prima institutione reperimus, ad illum comparandum omnia divendimus, relinquimus, vel commutamus? Terram petat, qui Deum non novit; cœno hoc demergatur, quisquis cœlo indignum se exhibet; nos mentes nostras ad altiora dirigamus, ad veræ felicitatis fontem aspiremus, eundem indefesso quæramus studio, quoad plenissimis desideriis, perinde ac velis expansis in portum omnis felicitatis invehamur. Fiat. *Matt. 14.*

* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * *
* * *
*

CONCIO XLIV.

IN DOMINICA XV. POST PENT.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ. Luc. 1.

ARGUMENTUM.

Testamentum defuncti Naimitici.

MOre majorum comparatum est, ut deficiente vite plerique voluntatem suam ultimam tabulis consignent, quatenus saltem moriendo beneficia proximis, aut Mœcenatibus refundant, quæ vivendo acceperant; vel certè mnemosynon, & benevolentiæ tesseram dilectis relinquant. A. Hac ratione demandatum legimus Ezechiæ Regi cœlitus, ut testamentum nuncuparet, aut scriberet; eò quod brevi ex hac vita migraturus esset: *Dispone domui tuæ, morieris enim tu, & non vives;* Eodem ritu accepimus Abrahamum Patriarcham filium suum Isaacum hæredem ex asse bonorum suorum constituisse; filiis autem concubinarum dedisse munera. Ita Jacob in postremis adoptavit filios Josephi Ephraim, & Manassen in proprios, adlegitque in sortem hæreditatis à Deo sibi promissæ. Ita alii quique prudentes, ac sapientes eundem in finem testamenta condunt, & quod ore, (Libitina fauces advinciente) subinde nequeunt, calamo proloquuntur.

Isa.38 & 4. Reg.20.

Quum itaque hodierna die Anniversarium in civitate Naim defuncti obeamus, nec quicquam de testamento ipsius acceperimus, inquirendum restat, an ab intestato decesserit, aut qualenam condiderit. Aptate animos A. ad assem quisque suum participandum.

§. I.

§. I.

Addubitatur de Testamento,

II. Ex una parte propugnare quispiam posset testamentum ommino non fecisse hodiernum defunctum. Etenim Regula Juris est : *Qui alteno juri subjecti sunt, Testamenti faciendi jus nullum habent.* Etenim peculium, quod commendare hi testamento alicui nituntur, non est ipsorum, sed illorum quorum obnoxii sunt juribus. Et licet parentes filiis indulgerent ordinare postremam suam voluntatem, nihilominus in foro fori Testamentum eorum esset irritum. Siquidem Testamenti erectio est juris publici, ideoque nequit ab homine privato concedi; sed à lege duntaxat vel principe; & jus conventionibus privatorum nequit immutari.

Vlpian. tit. de test. & filius famil.

III. Adde si præsens Evangelicus defunctus per conniventiam aut privilegium quodpiam testatus quidpiam esset, constaret utique, & posset illud publicè exhiberi. At verò à tanto tempore necdum exhibitum; ergo vel non confectum, vel certè subductum, vel quod verius falsificatum.

IV. Et forsitan ea ipsa de causa non testato decessit, quod nosset testamenta ut plurimum non tam relevare propriam conscientiam, quàm onerare alienam.

Magnatum quispiam solicitatus ab assistente sibi Sacerdote, ut siquidem improlis decederet, sua bona aliis testamento inscriberet. Cui ille: Ut video mi Domine intenditis ne vestri, aut aliorum pauperum sim immemor. O si id totum Ecclesiæ, si Pandochia reciperent, quod illis dicatum, consignatumque est, non opus esset aliis piis Legatis aut Erectionibus. Ad quid ergo aliorum conscientias onerabo? An fortè ut inferiorum extendam pomœria, ut syllabum damnandorum augeam? Id certè nemo mihi persuaserit. Succedunt huic consanguinei, urgèt & ipsi quatenus annuat, ne bona in direptionem veniant. Victus precibus poposcit membranam, & in ea Testamentum semetis arbitris sequentibus verbis exarat.

Testamenta sæpe falsificantur.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Amen. Ego N. N. æger quidem corpore, sed sanus mente animâ meâ Deo meo consigno; corpus terræ, ex qua sumptum restituo, bona mea Primo & Feliciano inscribo; id est, quod quisque primò rapuerit, hoc teneat.

Hæc exarata, proximis consignanda tradidit, omnibus insciis quidnam aut cuinam bona sua inscripserit. Soli Sacerdoti cum subinde secretum sub sigillo tamen manifestasset; isque insolitum Testamenti tenorem stupesceret, idipsum, quod supra replicavit: Quis unquam testamento satisfecit? Quis ad unguem, & assem executus? Præstat itaque ut extra Dei offensam rapiant, quàm cùm illa. Et tu ut primus sis, & felicissimus accipe saccum illum auro fartum, & pro me Deum exorato.

Testamenti falsificatio astuta.

V. Insolentius quidpiam refertur de quapiam villica Ruthena. Hujus maritus jamjam acturus animam adjuravit uxorem, quatenus vendito bove domestico pretium in sacrarium pro anima sua inferret; aut Mystæ pro se litaturo deferret. Recepit illa se facturum religione optima, ac sacrosancta. Mortuo interea viro, ac tumulato, anxia nonnihilum uxor de jurata stipulatione insigni astu exolvere fidem intendit. Educere enim in forum præcepit pecus, quod illa prope cum gallo gallinaceo sequebatur. Quærentibus quanti venderet bovem respondit, se non venditurum illum nisi unà cum gallo. Abeuntibus aliis, tandem unus mercatorum statuit utrumque præstinare, percontaturque quid posceret? Cui illa citra ullam licitationem dabis mihi pro bove sex grossos, & pro gallo florenos triginta. Institori res ut lepida visa, ita nec iniqua; solvit pretium, & abiit. Ipsa autem aram accessit, impositisque sex grossis, tanquam religione functa, secura domum & ipsa concessit.

Hic apologus Ruthenis affingitur, sed utinam apud nos Pruthenos non verificaretur! Utinam tutores suppari astu pupillos non fallerent! Utinam Executores persimili dilemmate aliorum bona ad se non attraherent! Quoties enim cum bona derelicta sub hastam mittuntur, illa flocci appendunt, quæ Dominus executor, aut vitricus retinere molitur; illa maximi, quæ pupillis, & aliis hæredibus asservantur. Quoties Philippeum in florenum, florenum in grossum, equum in hinnulum versura iniquissima commutant? Quoties sæculi integerrimi subducuntur, ne in divisionem veniant.

Executores testamenti pauci sancti

VI. Alcetarum quispiam in extasim raptus, vidit basilicè eductum palatium, in eoque collegium Apostolicum cum aliis congregatum cœlicolis. Vidit item aliud non minus splendidum, in eoque solum S. Joannem commorantem. Petit qualisnam illa basilica, vel quidnam ille solus illic actitaret? Et audiit palatium hoc architectatum esse pro sanctis executoribus, ex quibus necdum ullus alius præter S. Joannem inventus, cui tanquam tutori matrem suam dilectissimam Christus D. commendaverat. Hic etiamnum præstolatur socium, ac collegam, nec invenit.

Noverat, hæc credo piè defunctus, ideoque credibilissimum est, nullum testamentum condidisse, sed in vita sua si quid habuit, nuncupasse.

§. II.

Evincitur testamentum condidisse.

VII. Hæc etsi potenter pro parte adversa militant, multò tamen probabilius mihi videtur testato decessisse. Etsi enim ut filius testamentum juridicum erigere nequiverit, nihil obstat, quominus matre annuente quidpiam pro anima sua, vel testificaturus amorem suum inscribere potuerit.

Testamentum mundi mors.

Sed quidnam illud? Exhibe nobis dicitis instrumentum illius testamenti, si vales. Bene est præstabo, quod vultis, & quidem ex archivio Salomonis vetustissimo. Arrigite aures dum inscriptionem illius revolvo: *Testamen-*

Eccl. 14. 12. *mentum mundi.* Hæc Epigraphe est, quodnam contentum illius? *Morte morietur.* Hoc est testamentum à sæculis conditum, & per Adamum Protoparentem ad nos transmissum. *Quacunque die comederis, ex eo morte morieris.* Hoc est testamentum quod nobis, posterisque omnibus inscripsit.

Gen. 3.

Ziscapellem legavit confœderatis.

VIII. De Zisca Bohemorum Duce perhibent Historiographi pellem suam testamento addixisse confœderatis rebellibus, ad tympanum militare obducendum. Nisus fortè spe, futurum, ut illius pulsu adversarii in fugam agerentur.

Gen. 3. 19.

Dico ego, citra fictionem omnem, defunctum Naimiticum subsimili tenore suam nobis pellem destinasse, membranæ loco; eique inscripsisse inviolabile hoc testamentum: *Morte morieris.* Alia plebiscita hujus mundi violari queunt, & eapropter tetis araneārum persimilia habentur; quibus invalida animalia nullo negotio involvuntur, strangulanturque; valentiora autem violant, ac perrumpunt. Tenuioris enim conditionis homines constringunt, à potentioribus autem impunè rumpuntur, ac despuuntur. Unde Poeta:

Leges mundi tela aranea.

Dat veniam corvis, vexat censura columbos.

Perrumpunt leges Duces, & Reges; sed hærent victi, ærumnis stricti. At verò leges mortis, leges naturæ sunt infallibilibus, æqualiter omnes ambiunt, nullam excusationem admittunt, nec ullas eas prævaricari pollet. Etenim ut alter accinit:

Pallida mors æquo pulsat pede
Pauperum tabernas, regnumque turres.

Mors infallibilis

Quemadmodum mortalium nemo est, quem frigora non impetant, quem procellæ in mari non exagitent, quem morborum catervæ non infestent: ita nemo qui Libitinæ non fuerit mancipatus. Ab aliis legibus, ab aliis periculis nos eximere, eaque præcavere possumus; at verò ut plurima Lethes discrimina cum Ulysse devitemus, universa nunquam pollebimus. *Moriendum est.* Quantumvis quispiam fortitudine evincat Herculem, aut Samsonem; sapientia Salomonem, aut Platonem, eloquentia Demosthenen, ac Ciceronem, pulchritudine Helenam, & Absolonem; potentia Assuerum, ac Macedonem; *Moriendum est.* Quantumvis ferratas corpus objiciat fores, ætasque firmet pessulo, & robur satelles stipet excubiis latus, moriendum est. Nulla arx tam inexpugnabilis, quàm non perrumpat, nullum corpus tam validum, quod non sternat. Quantumvis fumosas parentum crepes ceras, situque nigra stemmata, moriendum est. Mors surda titulos calcat, & cervicibus secures stringit principum; soccos cothurnis, sceptra sarculis, trabeas adæquat penulis. Quantumvis dracones frænes colchidis, & cursus metiare Icarii, fatalem hanc necessitatem non eluctaberis, moriendum est. Quidquid ortum est sub leges necis Parca nom parcens vocat. Ubi nunc Adam generis humani sator? Ubi superbi caput imperii Belus, Ninusque sceptro proximus?

ximus? Ubi Scipiones clarissimi quondam Duces, & belli fulmina? Ubi Rex noster Casimirus? Ubi Michael, Vladislaus, Sigismundus, quâ pietate, quâ fortitudine commendabiles? Vel si vos tam procul mente peregrinari tædet, indagate ubinã manserint cõcives vobis optimè noti, utinam tot matronæ virtute, ac sanctimonia vitæ commendatissimæ, virgines honestissimæ; juvenes maximæ spei? Quid ajo excutite proprios Lares, disquirite in iis proprios parentes, fratres, sorores, avos, pravos quonam abiêre? Quo? Eheu crudeli fatorum imperio succubuêre. Hic finis senum, hic finis juvenum, hic proborum, ac reproborum, hic proximorum, hic alienorum.

VIII. Olim Libitina Parca nominabatur à Latinis, forsitan quod plurimum indulgeret, ac parceret; jam verò Mors à morsu nuncupatur, quod nulla dies, nulla hora transeat, quin partem vitæ nostræ admordeat occidatque. Olim nonnisi decapulares, deploratosque auferebat, jam verò in extremam desiit tyrannidem, cum in omnes æquè debacchetur. Olim perurbanè fores ingredi visa; nunc subdolè, ac fraudulenter furis instar per fenestras ac furnos enititur. *Mors ascendit per fenestras.* Olim notarium suum Canitiem, aulicosque ægritudines præmittebat; nunc obvios quosque etiam die non dicta sæpiusculè occupat, & propè momento strangulat. Olim pedes incedere visa, & ad ollas pauperum demorari: *Mors in olla*; nunc ut citatiore cursu vitam nostram defalcatura teratur, Cancellario Apocalyptico teste, caballo insidet: *Vidi*, ait *equum pallidum, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors.* Apoc. 6. 8.

Vitæ brevitas.

Mortis celeritas. Ier. 9. 21.

4. Reg. 4. 40

Et fortassis nos ipsi properanti stimulum, ac calcaria addimus sceleribus nostris: *Stimulus enim mortis peccatum est.* Hoc stimulo propellit Pegasum suum, hoc nos ipsos ad suam adurget sequelam. 1. Cor. 15. v. 59.

IX. Justus Paschasius de Broëto quopiam juvene meminit, morientem testamento inscripsisse aliis juvenibus consodalibus suis os brachii sui; petens ut ex iis aleas sibi efformari curarent. Sed qua id conscientia facere potuit? *Iustus Pasch lib. 6. de Alex.*

Alea quippe furtorum, ac rapinarum proxeneta, irarum, maledictorumque in superos hominesque inflammatrix, perjurii atq; malitiæ omnis obstetrix. Hanc legum condidores in tabulis proscribunt, sapientes scriptis infamant, universi sermonibus criminantur. Aristoteles Numen illud sapientiæ eam illiberalium hominum, & in sordido lucro versantium propriam esse asseverat. Apud Jurisconsultos animadversio quoque in eos constituitur, qui alios ludere compellunt, ut ex Codice Theodosii planum redditur. Quin etiam M. Tullius author est Lenticulam Marci Antonii collusorem lege de alea condemnatum, & hominem nequissimum ob id indigitat Antonium, quod in propatulo luderet. Horatius quoque legibus interdictam tanquam rem probrosissimam ostendit illo versiculo: *Seu malis vetita legibus aleæ*, alii plerique Satyrico dente perstringunt. *Alea noxia & prohibita.* *Arist. Eth. 4.* *Cic. Phil. 2.*

Neo immeritò. Hæc enim teste Pla- *Aleæ origo*

Aleæ origo. Platone in Phædro.

Platone Sapientum principe authorem Theuth, seu Theutatem monstrum Thænarium habuit, ut nulli dubium esset aleatores Orci mancipia esse, illique fœderatas animas habere.

Pudet commemorare, quàm multi hoc vitio teterrimo ad incitas egestatemque redacti, sibi & suis fuêre dehonestamento. Quàm multi, dum longiores ob aleas digitos acquirũt, carnificis laqueo strangulati, mortem oppetiere ignominiosissimam! Quàm multi civitate ejecti, proscripti, ad ultimam Thulen amandati! Noverant enim famato cœtui labem non facile eluendam affricandam, nisi tam infame genus ludorum ab averno progenitum exturbassent. Quo fine igitur os brachii sui testamento in aleam juvenis præfatus inscripsit?

Nimirum, ut scirent summam felicitatem mundi in hoc consistere, ut alea cadit. Ut nossent vitam nostram ludum esse, & quidem tesserarum, seu *Plut. lib. de animi tranq.* alearum. Ita enim Plutarchus. Vita nostra persimilis ludo alearum est. *Quid jactu cadat non est in nobis situm, at quot cecidet recte disponere in nobis est.* Sic eventus in nobis non est, quod evenit in bonum vertere nostri muneris est. Inscripsit os pro aleis, ut sciremus nos hic dum vivimus ludere de cœlo, & inferno. Et quidem sæpesæpius nummo vilissimo exili honore, spurcissimæ fœminæ larva jacitur alea gehennæ, prodigitur beata cœli gloria, luditur inquam immensa, & interminabilis æternitas. O pudor, ô stupor, ô mens amens, ô cor vecors! Te te ego appello cum Angelo Tutelari Udonem Magdeburgensem à lusu dehortante: *Vdo cessa à ludo* N. N. desiste jam satis lusum est. Agitur hic de summa capitali, non de obulo uno, aut altero; agitur hic de vita & quidem sempiterna; de fama, ac beatitate nunquam intermoritura. Si igitur corpus tuum tympanum reputas, ita alea in eo ludas, ne totum perdas. Vide ne Lusitania tua tibi refingatur in Tartariam, ne lusus tuus fiat abusus, ne jactu uno animam, gratiam divinam & beatitudinem æternam exponas.

X. Viri nonnulli sanctissimi quum tota vita sua effusissimè dilexissent, proximum, inque variis charitatis operibus summo in eos studio se exercuissent; ne fortè Libitina flammam eorum extinxisse crederetur, testamento corpus suum medicis transcripsêre in anatomiam, quatenus ex eo constitutionem illius investigantes, ac morborum radices exenterantes discerent proximo opitulari, ac vitæ eorum consulere. *Iancic. in test. suo.*

Nemo quæso addubitet de charitate hodierni defuncti, nec illam mors remorata est, aut sopivit. Commisit & ille nobis totum corpus suum in anatomiam, ad exenterandum, & eviscerandum illud. O quam felices essemus, si modo sapientissima, ac saluberrima illius anatomia uteremur! Profectò multò melius nobis saperent cœlestia, multò magis desiperent carnalia, ac transitoria.

XI. Cæsarius vir Ordinis Cisterciensis religiosissimus meminit tyronem quempiam nomine Lissardum hoc medio ab egressu ex religione retardatum. Cùm enim ejusmodi cogitationibus prægnans, volveret, revolveret- *Cæsar. l. 4. c. 4.*

que abitum, apparuit ei Angelus in ſpecie alterius fratris, eumque ad cœmiterium deduxit, & in eodem reſerato prodigiosè ſepulchro cadaver quodpiam deterrimum ſpirans odorem eidem exhibuit; hac adjecta cautione: *Vides hominem hunc, cito talis eris, quo vis ire?* Vides quò receſſerit forma illa frontis, vigor mentis, ardor pectoris. Vides quo emigraverint veneres aſperſæ ori, honores afflati oculis, lepores illigati labiis, decus affuſum cervici, capillorum venuſtas, capitis majeſtas? Vides quàm miſerum bonum corporis, quàm mendax illius gloria, quã futile formæ præconium. Vides ut nidulantur in hoc cadavere vermes, tineæ, bufones; & crede mihi te brevi eandem ſubiturum ſortem. Quorſum itaque viam meditaris, quum proximè ad hunc tumulum ſis perventurus? Revertere, revertere, & ſi geſtis aptus eſſe regno Dei, ab aratro manum ne remove. Hac ille admonitione, ac horrendo deterritus ſpectaculo, divinaque illuminatus gratia, ab omni tentatione ſubitò liberevaſit, & conſtans ad mortem uſque perſeveravit.

Gen. 5. XII. Non minus memoria dignum eſt alterius adoleſcentis exemplum. Audiit hic in Eccleſia librum generationum Adam, deſcriptum in capite quinto Geneſeos, & ubique apponi *& mortuus eſt. Et factum eſt omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus eſt. Et facti ſunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus eſt. Et facti ſunt omnes dies Cainam nongenti decem anni, & mortuus eſt. Et facti ſunt omnes dies Mathuſalanongenti ſexaginta novem anni & mortuus eſt.* &c. Audiit hæc, & ſequentia, ac ſtupore plenus, compunctusque ait intra ſe: *Hi tantum vixerunt, & mortui ſunt, nos quoque moriemur.* Et quidem multò maturiùs. Neque enim mihi aut ſæcula Adam, aut Enos, aut Seth, aut Mathuſala promittere ſano judicio præſumo. Quid ſi neceſexageſimum attingam annum? quid ſi nec quinquageſimum, quid ſi poſt luſtrum unum vita fungar aut citius? Quid tum me egiſſe, aut elegiſſe mallem, id profectò, ſi prudenter procedere geſtio, nunc mihi agendum eſt. Dixit & mundo renuntiavit, ac religionem in qua ſanctè vixit, pieque obiit, ingreſſus eſt. *In Vitis PP. Prad.*

XIII. Quid putatis non de uno, alterove homine privato, ſed de integris ordinibus? Unde illi originem ſuam duxêre? Revera plerique ex anatomia cadaverum.

Ut alios taceam unum adduco S. Sylveſtrum congregationis Sylveſtrinorum conditorem. Hic cùm adhuc floreret ætate, viſo homine emortuo compunctus, ejusmodi in vanitatem mundanam exardere cœpit odio, ut in hæc verba proruperit: *En ego ſum, quod hic fuit, & brevi ero, quod hic eſt.* Ita ego nunc nivea, ut ille quondam vetor pellicula, ita & mihi ut illi quondam facies ſpuma Erythrea candet, ita oculi ſcintillant, ita vigent artus; ſed heu paulò poſt perinde, ac ille umbris obſidebor larvalibus, profundis oculorum lacunis nidulabuntur bufones, & in ſemiarroſo corpore delitiabuntur amphisbœnæ. *Brevi ero, quod hic eſt.* Quid agor? Vale munde immunde; valete millies faſtidia Tantali triclinia acerbiſſimarum gymnaſia miſeriarum; valete quis- *S. Anton. in Hiſt.*

qui-

quiliarum thesauri, mundissimum cœnum, odoratissimi putores amœnissima senticeta. Vale inquam, & quàm voluptatis ac gloriæ proponis areolam tuis impertire alumnis, me umbra securiorem illatebrabit cœnobitica. Ita ille. Et è vestigio quod mente concepit opere executus est, non modò sanctissimam ipse exorsus vivendi rationem; sed ad alios insuper ad eandem alliciendo, & inducendo, provexit.

Ad eundem modum si pia ejusmodi anatomia usi fuerimus, fieri vix potest quin opulentissimi atque sapientissimi ex ea evadamus.

XIV. Aptate itaque ac laxate sinum mentis vestræ, & hanc hæreditatem testamento tam luculento inscriptam avidè excipite. Proderit enim ea vobis multò insignius, quàm thesauri ex tumulo Davidis ab Hircano eruti, imprimis si ex ea commoti fueritis ad amorem virtutis, ad odium peccati, ad contemptum mundi, ad desiderium vitæ æternæ. Proderit si non in præsentiarum duntaxat, sed omni loco, ac tempore, in omnibus iis, quæ versamus, illius memores fuerimus. Proderit si ut præsentem semper ob oculos posuerimus, & tanquam in capulo positos cum hodierno defuncto imaginati fuerimus. Capessite ergo hoc legatum, & intra præcordia altissimè recondite. Amen.

CONCIO XLV.

IN DOMINICA. XVI. POST PENT.

Si licet Sabbato curare? Luc. 14.

ARGUMENTUM.

Sabbatum Domini sanctificandum.

I. EXordium præsentis Evangelii non est aliud, quam interpretatio brevis tertii præcepti Decalogi: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* Aud. Id enim quà verbis, quà operibus est interpretatus, cum fas esse festa luce non animis duntaxat, sed & corporibus mederi declaravit Magister æternæ veritatis Christus Deus.

Nihilominus hujus præcepti, interpretationisque nonnulli tam ruesse videntur, ut magis sapiant

Sabbatum ab Ethnicis unde derivatum

Paganiſmum, quàm Chriſtianiſmum. Illi Plutarcho teſtante commenti ſunt, Sabbathum à quodam Bacchi vocabulo *Sabbo* derivatum eſſe, indeque intulerunt ſacra luce genio indulgendum, triſtitiam omnem mero diluendam, ad choros muſicos, feſtivaque carmina diem tranſigendum, atque hunc in modum ſolemnitatem ſanctificandam eſſe. Et numquid non idipſum ſequuntur, atque opere comprobant perverſi nonnulli ſodales, quibus omnes nefaſti dies ſunt, quibus Libero Patri non litatur? omnes atro carbone notati, quibus genio in luſu, choreaque non indulgent.

Plut. lib. 4. ſymp. q. 5.

Verùm nulli unquam ſaniorum Grammaticorum hæc interpretatio in mentem venit, nulluſque in tota exhibendus Batavia, qui ſanctificare, & helluari diſtinguere neſciat. Profectò ſi ea verba univoca forent, maximi ſancti extitiſſent ganeones, primique cœleſtis aulæ proceres, qui in epotandis calicibus aliis palmam præripuiſſent. At diſparata nimiùm ſunt iſta, nec uno gentilitio ſtemmate gloriari queunt. Tametſi quies, & epulæ, luſusque honeſti Sabbatum haud elidant, ac proterant, non is tamen finis eſt, cujus gratia illius cuſtodia demandata; non ſanctificare hoc eſt, ſed profanare. Quid igitur veriore Calepino ſanctificare? Videamus.

Partitio.

II. Ne fortè in dicendo exorbitem, radices duntaxat illarum linguarum inveſtigabo, quibus titulus cruci Chriſti Dei inſcriptus; nempe Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ.

§ I.

Sanctificare iuxta ethymologiam Græcorum quid ſit:

III. Et quidem ſi ethymologiam Græcorum ſequimur ſanctificare idem eſt ac animum, cogitationesque à curis ſæcularibus avocare, nec easdem in tumultuantem profanarum curarum turbam immittere. Sanctifico enim Atticè dicitur ἁγιάζω, id eſt ſine terra facio, & quicunque feſtum agere intendit, is mentem à negotiis forenſibus expediat eſt neceſſe. *Sanctificare iuxta Græcos quid ſit.*

Id enim imprimis exigit Latria, ſeu cultus, quem Deo Domino noſtro feſta luce per adorationem exhibere obſtringimur. Eſt enim *Oratio elevatio mentis ad Deum*, in qua homo animum ſuum avocat ab omni eo, quod non eſt Deus, eumque in ipſum Deum venerabundus defigit. Quod certè haud quaquam aſſequitur, quisquis uxà ſecum ad aram ducit obſtrepentem ſolicitudinum phalangem, & diverſi colore earum vultu, jam huc, jam illuc velut alter Metius ſuffetius diſtrahitur. *Oratio quid ſit.*

IV. Numen benigniſſimum quando populum ſuum inceſſabili ærumnarum reciprocantium impulſu in Ægypto fluctuantem ad orationis placidum litus, quaſi rudente adſtringere moliretur, eundem è tyrannide Pharaonis vindicatum, in eremum Sinai evocavit, in qua, tanquam ſecuriſſimi portus ſinu, ſecundum terrenorum laborum volumina, decumanosque negó- *Feſtis diebus vacandum à forenſibus negotiis.*

gotiorum fluctus ipsi soli vacarent. Noverat enim probè sapientissima illa Majestas, quamdiu in vado Ægyptio inter brevia arenarum, ac laterum, inter scyllam & charybdim timore anxii vel hærerent, vel fluctuarent, nec cœlestem Cynosuram ab iis conspici, nec ad bonæ spei promontiora citra ingentia molimina eos aspirare posse. Feriam ergo, inquit, non jam tridente sed virga unica tempestuosum pelagus, revocabo emissos adversitatum Æolos, componam tempestatum fluctus, succendam non jam Pollucem & Castorem, sed Moysen, & Aaronem lucida sidera, quorum auspiciis optatum litus teneant, mihique festivum Pæana decantent: *Dixerunt* (Pharaoni) *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus trium dierum viam in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro.* Vult Deus noster ut expediti curis omnibus, tota mente, ac viribus ipsi soli vacemus; secus non bene colitur, nec adoratur.

Exodi 5,3.

V. Deposcit hanc mentis elevationem, & ipsa festorum institutio. Quis enim finis ipsorum? An nondivinorum beneficiorum grata memoria? Sic in lege derogata Pascha in memoriam eliberationis de Ægypto, Pentecoste in memoriam legis in monte Sina datæ; Scenopegiæ, seu festum tabernaculorum in mnemosynon tuguriorum, seu protectionis in deserto institutum erat. Sic in novo testamento inclita assertoris nostri facinora, ad humani generis salutem patrata, certis solemnibusque diebus vincta, ac concluſa sunt. Nam quid aliud vendicat sibi dies Dominicus præter memoriam formationis nostræ, ac reformationis? Quid Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Resurrectio, nisi memoriam immensorum vindicis nostri beneficiorum? Quid aliud divorum solemnia inferunt, præterquam agonis eorum, virtutis, ac victoriæ mnemosynon? *Beneficiorum Dei festis solemnitatibus, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio, ait Hipponensis antistes.*

Festa instituta in memoriam beneficiorum.

Aug.

VI. Eò collimabat Psalmographus Domini, quando cecinit: *Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Quasnam putatis has esse reliquias? Vulgò vocamus reliquias, particulas residuas post totum quodpiam remanentes. Ita reliquias, seu fragmenta dicimus ab Apostolis secundum prodigiosa convivia collecta; Ita reliquias indigitamus ipsana Sanctorum; ita micas illas quæ remanent in sacra pixide. Cum ergo occinit Psaltes: *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*, profectò nihil aliud intendebat, quàm illas cogitationes, quas post accepta beneficia remanere par est; videlicet gratam illorum memoriam. Quid enim hic aliud est reliquum? Cogitatio prima est credere in Deum, cognoscere beneficia divina; Reliquiæ verò sunt esse memorem illorum. Hæc mens itidem S. Patris Augustini, eadem verba interpretantis: *Cum credimus, tunc fuit in nobis cogitatio, modo autem reliquiæ cogitationis sunt, quia meminimus, quis ad nos venerit, quid nobis donaverit.* Cogitationum appendix est memoria, & species à cogitatione impressa reliquiæ illius jure dici queunt. Nam ut idem subdit: *Sunt reli-*

Ps. 75. v. 11.

Reliquiæ cogitationum quæ sint.

Aug. in Ps. 75

Ibid.

quæ cogitationis", *non excidat memoria, qui te sanavit, vulnus si te habuisse oblitus fueris, non erunt in te reliquiæ cogitationis.* Tunc ergo festum ritè peragimus, si beneficia Domini memori mente recolimus; non autem pro dignitate recoluntur, si mens immersa forensibus turbis habeatur. Itaque ut pro dignitate expendantur, animus ab iis omnino sequestretur.

VII. Vendicat hanc alienationem imprimis salus nostra. Nam cum tantum temporis sequestrato prope Deo impendamus nutriendo, fovendoque corpori, æquum profectò est, ut minimum dies festos animæ impendamus.

Iacobi Prudentia.

Jacobus Patriarcha exactis annis viginti in servitiis Laban Avunculi sui tandem pertæsus laborum, rerumque suarum providus; ab eo manumitti expetiit, dicens: *Iustum est ut aliquando provideam domui meæ.* Mi dilecte Avuncule nosti perbellè, quàm sedulò studuerim partibus tuis, quanto æstu, & *fiti urebar per diem, & nocte fugiebat somnus ab oculis meis, sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi.* Jam temet arbitrum exposco, judica, & decerne ipsemet, an non æquum sit, ut tandem prospiciam domui meæ. Non sum Mathusalem, ut annos mihi Protoparentum pollicear; experior, quod instet gravior ætas, succrescit proles, exul hic habito. *Iustum est, ut aliquando provideam domui meæ.* Formica congregat æstate, & providet sibi in futuram hyemem, & non est æquum, ut mihi prospiciam? Non eris mihi tam iniquus, ut tam æquis abnuas postulationibus, quin mihimet, filiabus tuis, consortibus thalami mei consultum eas. *Iustum est.*

Gen 30. v. 30.

Anima cura habenda

O quantò æquiùs est, ut quisque sibimet idipsum occinat: Tota septimana evoluta est in cura corporis, in commodis, & lucris exaugendis, in re familiari promovenda; nonne par est ut tandem provideam animæ meæ, thesaurosque in æternum possidendos accumulem? *Nonne anima plus est, quàm corpus, & corpus, quàm indumentum?* Conditor cœli, & terræ, coronatis, quæ constituerat, operibus, & homine tanquam colophone imposito, requievit die septima, & ego ejus & exemplo, & imperiis devinctus non idipsum æmuler? Ipse Assertor meus hac luce resurgens pacem firmavit hominibus, & hac eadem divinum Pneuma copioso linguarum, gratiarumque imbre sese supra Apostolos diffudit, & ego eâdem pacem firmare, cœlestesque influxus ferventius exorare non adnitar? *Iustum est; ut &c.*

Gen. 2. 2.

VIII. In Palatinatu inferiore Calvinistarum opificium famuli, cernentes per Calvini spiritum festa abrogata, quibus olim proprias vestes resarcire poterant, & jam tota hebdomade servitiis dominorum se esse obnoxios, impetrarunt diem Mercurii à Magistratu, in quo possent liberi ab obsequiis resarcire proprias vestes; appellaruntque das Flickfest. Si hoc illi pro suis egerunt lacernulis, an non æqui-

Tympius in mensa Theolog.

qui-

quiùs eſt, ut minimùm die Dominica reſarciam damna, & vitia animæ meæ? *Iuſtum eſt, ut &c.*

§ II.

Sanctificare ex ſenſu Latinorum quid ſit.

IX. A Græcis ad Latinos deflecto, indagaturus, quid importet hoc nomen ſanctificare? Et audio, quod tantum diem; ac ſanguine quidpiam confirmare, ac ſacrum reddere.

Sanctifico unde derivetur.

Sanctus enim derivatur à ſancio, quod à ſanguine dicitur, eo quod mactatæ ſanguine hoſtiæ fœdera ſancirentur, confirmarenturque. Unde Servius explanans illud Æneidos: *Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine ſancit. Sanctum*, ait, *dicitur, quaſi ſangnine ſancitum, ac conſecratum.* Hinc ſanctum dicitur, quod religioſum eſt, ita ut violari nefas ſit; quodque Deo teſte factum, aut illi conſecratum. Itaque diem Sabbathi ſanctificat, qui jurata fide illum Deo deputat ad vacandum Deo. Profanat, ac violat quisquis partem majorem Iuſibus, choreis, otio conſecrat. Nam ut ait divus Auguſtinus: *Melius faceret Iudæus in agro ſuo aliquid utile, quam ſi in theatro ſeditioſus exiſteret; & melius fœminæ eorum die Sabbathi lanam facerent, quàm quod tota die in Neomeniis ſuis ſaltarent.* Melius Chriſtianus faceret quidpiam operis, quàm quod nunc tota die helluetur in popinis. Rectius deſudaret ad molem aſinariam, quàm ſi in otio, ac deſidia, (malorum omnium obſtetrice) ſuam curaret cuticulam, aut ad nugas, fabulaſque aniles abjicerer. Ut dies ſanctificari dicatur opus eſt, ut totum cedat ipſius gloriæ, totum piis operibus conſecretur.

Æneid. 12.

Aug. l. de decem chordis.

X. *Memento*, edixit Dominus, *ut diem Sabbathi ſanctifices.* Non ait quadrantem, aut horam ſed diem integram Deo tuo devoveas. Hoc eſt fœdus meum ſacroſanctum inter te, & me ô Chriſtiane, ut ſex dies in uſum tuum pro libitu tuo impendas; verùm Sabbathum niſi violati fœderis reus haberi velis, mihi dices neceſſe eſt. *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.* Multum mihi detrahis, & nimium ſacrilegus exiſtis, ſi vix dimidiæ horæ partem audiendo Miſſæ ſacrificio impendas, reliquum libidinibus tuis devoveas. *Memento ut diem ſanctifices.* Quod vacat tempus ab oratione id impendas piæ lectioni, aut meditationi, viſitandis infirmis, obeundis templis, erigendis afflictis, inſtruendis rudibus, ſive filiis, ſive vernis, aliisque operibus miſericordiæ frequentandis. *Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices.*

Sabbathum totum Deo dicandum.

XI. Qua obſecro de cauſa diem Solis Dominicum appellamus? Num quod

quod illa die imprimis Domini, ac Dominæ agnoscantur? Diebus profestis sectantur modestiam, solitudinem temperantiam, vix dignoscitur Dominus à plebejo, vix hera à famula. Die sacra cuncta fiunt splendidè, dominicè, basilicè, epulæ apponuntur lautiores, vestes assumuntur splendidiores, famuli coronant frequentiores. An quod in illa non discernatur Dominus à servo, servus à Domino? Vacat iste, vacat ille, qua libertate gaudet unus, gaudet & alter. Benè hæc. Sed occurrit quod diebus illis, quibus operas præstant subditi Dominis suis, vix sibi quidpiam, sed totum Domino operantur, nec suis sed Dominorum duntaxat commodis studeant, illis vehant, illis arent, triturent, aliosque labores suos consecrent.

Dies Solis cur dies Dominica dicitur.

Ad eum modum omne id, quod die festa patramus, directè in honorem Domini Dei nostri, animæque salutem vergere deberet. Tota quanta septimana tibi, tuoque asino corpori famularis, illi consulis, illud saginas, idque sæpius secluso etiam è mente Numine; instante die Dominica, non jam tibi, sed Domino Deo tuo serviendum, non de sagina corporis, sed de animæ salute cogitandum. Forsitan die profesta nequiveras fungi sacerdotio, & offerre laudem in nomine ipsius; nequiveras immorari devotioni, quatenus sacrificio interesses, de salute animæ tuæ intensius cogitares, de fine tuo, deque novissimis accuratius meditareris, ut pro divinis beneficiis impensius gratias referres, non vacabas dico ad ista, & similia. Ubi illuxit lux sacratior, non habes, quod prætendas, dies ista in hunc finem deputata, quatenus præfatis officiis impendatur, aliisque operibus misericordiæ transigatur. Nisi dies festi forent in Ecclesia posset quispiam, suæ salutis immemor in novissimo judicii die apologiam suam texere, & egurgitare: Domine edictum tuum erat, quatenus in sudore vultus mei vescerer pane meo, præstiti idipsum studiosissimè, ad alia tempus non suppetebat, quo ea peragerem, portavi pondus diei, & æstus, rationes non tam conscientiæ, quàm mercaturæ, vel œconomiæ discutere debui, de die in diem prospiciendum erat familiæ, filiis, necessitatibus domesticis. Hæc, pariave folia desidiæ suæ quispiam obtendere posset. Jam verò cum dies festi sacrosancti sint, Deoque Domino consecrati; non invenient in die illa allocutionem, seu excusationem. *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* Dies festa non ex dotrante, aut quadrante, sed ex asse Domino Deo, spiritualibusque, ac virtuosis operibus consecretur, nec quidpiam facilè (nisi urgeat necessitas) tractandum assumatur, quod divinæ non militet gloriæ. *Memento ut diem Sabbathi sanctifices.*

§ III.

Sanctificare Sabbathum ex dialecto Hebræorum quid sit.

XII. Tandem si Synagogam frequentemus, audiemus sanctificare idem esse, ac purum, atque incontaminatum esse. Sanctus enim *Cados* Hebraico idiomate dicitur, id est segregatus ab usibus profanis, & cultui divino

vino destinatus, & quasi consecratus; qui proinde purus à vitiis, castus, impollutusque esse debet.

Sanctificare idem quod expiare

Hanc sanctificandi acceptionem indicat Liber Samuelis de Bersabeæ tractans piaculo: *Sanctificata est*, ait, *ab omni immunditia sua.* Id est mundata, expiataque à perpetrato adulterio. Eadem utitur S. Joannes in suis Epistolis ita scribens: *Omnis qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut ipse sanctus est.* S. Augustinus, Clemens Alexandrinus, Oecumenius cum aliis legunt *castificat se.* Tigurina versio *purificat se*, alii lustrat, expiat se; ut sit sanctus corpore, & anima.

1.Ioan.1.v.3

Aug. Clem. h.l.

Sanctitas quid sit S.Thom.1. sent.dist.10. q.4.a.4.

In hoc sensu definit Sanctitatem S. Thomas: *Sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata munditia.* Proinde cum Dominus mandat sanctificare sabbathum, urget una, ut animas nostras ab omni spurcitia peccati contracta lustremus. Concinit D. Gregorius; & ait: *Die Dominica à labore cessandum est, & precibus insistendum, ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ expietur* Id enimvero est sanctificare diem, præterita deflere peccata, futura præcavere, & contra imminentia animũ obfirmare *Vt si quid negligẽtiæ per sex Dies agitur &c.*

D.Greg.in Ep ad quendam apud Io:Diac l.4. vitæ c.15.

XIII. Origenes argutè observat Thesmothetam illum Principem Deum, quosdam dies festos appellare suos, quosdam item alienos. Etenim in libro Numerorum ait: *Mense autem primo Phase Domini est. offeretis in censum, holocaustum Domino.* Levitici item vigesimo sexto & alibi sæpius ait: *Custodite sabbata mea.* Aliis vero in locis festa prope omnia aliena reputat: Nã apud Isaiam expressè ait: *Neomenias, & sabbathum, & festivitates alias non feram.* Quæ loca pensando scisitatur præfatus Doctor, quinam sint illi dies festi Domini? qui non? *Habet*, inquit, *Deus dies festos suos.* Quosnam illos? Respondet ipse: *Est enim ei magna festivitas salus hominũ.* In quo loco plurib⁹ ostẽdit posse nos præstabili vitæ ratione, atque innocentia ipsis cœlis magnam lætitiæ voluptatem creare. Æternus enim Pater lætatur, quum ea, quæ benefica manu creaverat, renovari, atque in pristinum redire splendorem videt. Triumphat itidem filius, quod nonnullum videat fructum sui cruoris hominum gratia profusi. Gestit quadantenus Spiritus S. liquido delibutus gaudio quod videat plura quibus inhabitet templa sibi præparata. Denique tota cœlorum jubilat curia: *Quia gaudium est Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente. Est enim magna festivitas, salus hominum.* Hoc est festum SS. Triados, festum SS. Angelorum, festum beatissimarum mentium.

Festa alia Dei alia nostra. Cur

Num.

Lev.26.

Isa.1.14.

Orig.h.2. in Num.

Luc 15.v.7

XIV. In hunc finem velim expendatis, quidnam Arbiter salutis nostræ in sacratioribus festivitatibus, ac sabbathis sit operatus. Præter Catecheses, & alloquia publica ad populum habita, bene multos iis diebus sanitati redonatos legimus. Et ea de causa Judæi eundem tanquam legis prævaricatorem impetebant, necemque eidẽ machinabantur; cum tamen miracula illa non nisi opera pietatis, & Dei

potius, quam hominis essent. Nihilominus Christus D. nihil eos moratus sabbathum curatione morborum cohonestare voluit. Quid ita? *Quæ faciebat corporaliter, spiritualiter volebat intelligi*; ait S. Augustinus. Voluit edocere eum diem curæ esse non corporum, sed animorum. Die sabbathi mulierem inclinatam, quæ omnino sursum aspicere non poterat, erexit; ut doceret nos, qui pondere curarum premimur tota die, & terrena duntaxat sectamur, hoc die debere nos erigere, & cœlestia potius ac divina, quã terrena & sæcularia contemplari. *Quæ faciebat corporaliter etiam spiritualiter volebat intelligi.* Die sabbathi curavit hominem qui habebat manum aridam, dicens: *Extende manum tuam.* Ut nimirum informaret nos dextram adhibendam rebus divinis; quando quidem abbatho restituitur, quo humanis distineri laboribꝰ nefas. Primũ enim aruit, quia bonis operibus fœcunda non fuit, ut ergo virescat, aridum brachium operetur. *Extende manum tuã. Quæ faciebat corporaliter.* &c.

Sabbatho item cœcum illuminavit, quatenus per verba Dei frequentem auditum illa die ad veram lucem fidei magis, ac magis veniamus. *Quæ faciebat corporaliter.* Sabbatho Hydropicum sanitati restituit, ut intelligeremus eos, qui bibunt sicut aquam iniquitatem die festo, si non per særam exomologesim, minimum per veram contritionem debere curari. *Quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi.*

2. *Aug. ser.* 44. *de V. D.*

Luc. 13.

Luc. 6.

Ioh. 15.

XV. In præsenti Evangelio itidem indicat, neminem facile reperiri tam desidem, qui non extrahat bovem suum, aut asinum die sabbathi, in puteum lapsum. Quis verò Bos, aut Asinus iste nisi peccator in puteum inferni lapsus? Hic extrahendus, expiandusque si festum Domini, & non nostrum agere velimus. Neque enim reputanda solemnitas, in qua cœlum una cum terra de propitiatione non congaudeat. Non habenda festivitas, nisi animus irarum toxico, sulphureque pravorum affectuum evomito, in Domino jucundetur.

PARS II.

XVI. Utinam vero supra hujus civitatis incolas non paucos nænias suas iteret Psaltes serenissimus, supra populum suum quondam decantatas *Tempus faciendi Domine dissipaverunt legem tuam.* Alii legunt: *Tempus faciendi,* (sacrificandi) *Domino, & ipsi dissipaverunt legem illius.* Cum solemnitates instant, & æra ubivis ad panegyrim ciendam concrepant, tunc vel maxime suos cœtus cogunt impii, tum symposia celebrant, tum gaudium in reatum commutant. *Tempus faciendi Domino.* Quum tempus adest humiliandi semetipsos, tunc sese pompa, ac jactantia efferunt inanius; tum purpurissa faciem adulterant fœminæ, speciosiore laqueo incautos strangulaturæ; tunc Ganeones suas frequentãt popinas, abligurituri quod integra hebdomade lucrati sunt; tunc sodales sua celebrant conventicula, in quibus lasciviant. *Tempus faciendi Domino, dissipaverunt legem tuam.*

Psal. 118.

XVII. Utinam threnos suos eidem non faciet super populum Antiochenum fusos S. Chrysostomus: *Ab-*

utinam

S. Chrysost. h. ad pop. Antioch.

utimur nomine Christiano, qui ad festa aspiram⁹, non ut melius, sed ut liberius vivamus. Pro dolor! *tempus pœnitendi peccandi tempus est, siquidem dies festos esse dubitamus, nisi gulæ, nisi ventri, nisi luxuriæ satisfecerimus.* Vulgaris nobis nimium festivitas est, nisi in ea culina fumet altius, nisi Mystæ loco Magyrus plures animantium mactet hostias, nisi Bacchus aspergat liberalius. Profanus ille dies, quem serum vellera non exornent, quem exotica vestium pompa non venustet, quem micantes in toto corpore gemmæ non accēdant. Quod etsi omnino non improbo, si tamen cum offensa Dei fiat, ac scandalo, subscribere præfato Doctori cogor, & dicere: *Non est hoc festum colere, sed inquinare.* Numen Optimum & S. Mater Ecclesia eo fine festivitates instituit, quatenus ipsum colamus, pro acceptis gratias referamus beneficiis, pro delictis præteritis satisfaciamus, ad meliorem frugem nos recipiamus; nos cultum convertimus in abusum, devotionem inebrietatem, pia suspiria, in festiva hilaria. *Pro dolor! tempus pœnitendi, peccandi tempus est.* Mavis audire symphoniam obscœnè aures titillantem, quam Ecclesiasten ad pœnitentiam adhortantem; mavis adire amicum bidui triduive distantem, quam sacerdotem in vicinia operantem, mavis tua, cum iis, qui vix pileum tibi deponent, decoquere, quam indigenti subvenire. *Non est hoc festum colere sed inquinare. Pro dolor! tempus pœnitendi, peccandi tempus est.*

XVIII. Utinam hostes nostri, & ipsi Lemures infernales non exibilent sabbata & sacra nostra; quemadmodum olim Babylonii Judæorum. *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata ejus.* Vident torporem Dominorum, subditorum, ac Opificum laborem; sodalium insaniam, & furorem, & deriserunt sabbatha ejus.

De Judæis tradit Ludovicus Granatensis Vir religiosissimus, & Ecclesiastes facundissimus, die festa usque adeo bonis operibus, ac pietatis officiis fuisse intentos, ut Alastores Avernales, qui tota hebdomade per vicos plateasque effusi erant, eo die relicta urbe secederent in vastam solitudinem, ne aut precum, aut operum piorum & sacrificiorum testes esse cogerentur; ego autem vereor ne illa die densatis agminibus, ex ipso inferno advolent, copiosiorem messem collecturi. *Viderunt eā hostes, & deriserunt sabbatha ejus.* *Lud. Gran. Con. in hod. Evang.*

XIX. Utinam Deus ipse nobis non improperet, quod olim Judæis: *Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea.* Utinam sancti non erubescerent super festa nostra, suaque libenter expungerent nomina ex fastis Ecclesiæ ne suorum occasione triumphorum Majestas divina irritaretur. *Isa. 1. 14.*

XX. Quicunque hac in parte se rerum novit, audiat quæ ipsi sore Amos minitetur Dominus: *Et erit in die illa dicit Dominus convertam festivitates vestras in luctum & omnia cantica vestra in planctum.* O lugubrem! ô deflendam metamorphosim, quando dies festi, in mæchanicos ac laborioſos, melodia in nænias, jubilum in lamenta refingetur, & pro commissis peccatis prævaricator æternum punietur. *Amos. 8. v. 10.*

Audiat quod itidem sibi imprecetur per Moysen Dominus; *Quod si audire*

Deut.18.v 15.16.17.

dire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata eius, & ceremonias; quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledicta reliquia tua. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Percutiet te Dominus egestate, febri, & frigore; ardore, & æstu; aere corrupto ac rubigine, & persequetur donec pereas. At cœlum, quod est supra te æneum; & terra quam calcas ferrea, &c.

Et ne tandem eveniant eadem malo nostro, adnitamur, quantum in nobis est custodire mandata Domini, & ceremonias, seu solemnitates ejus; sanctificemus easdem, quatenus hæ maledictiones in benedictiones commutentur. Fiat.

CONCIO XLVI.

IN DOMNICA XVII. POST PENT.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22.

ARGUMENTUM.

Canon Divini Amoris.

OMnes scientiæ, artes, professiones sua habent principia, & Canones, quibus nitantur. Aud. Habet sua axiomata Philosophia, sua fundamenta Theologia, suos Aphorismos Medicina, sua elementa Mathematica, sua theoremata Politica, suas demonstrationes aliæ scientiæ, & artes. Hæc principia quanto quisque perfectius obtinet, pervadit, ac tuetur; tanto excellentior in ea arte, ac scientia habetur, deprædicatur, promovetur; quanto minus assequitur, tanto vilior reputatur, indigniorque nomine illius decernitur.

Ejusmodi duo principia scientiæ Theologicæ Christianæ in hodierno Evangelio nobis proponuntur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Hoc est primum, & maximum mandatum Theologiæ Christianæ. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* In his duobus præceptis universa lex pendet, & Prophetæ. His tanquam duobus cardinibus vertitur, tanquã principiis regitur, tanquam fundamentis solidatur tota Theologia. Quo perfectius quispiam hæc principia tenuerit, eò perfectior habebitur in schola

Matth.22. v.7.

la Christi, veraque Theologia, eoque insigniorem referet plausum, & lauream; quo minus assequetur, eo abjectior, incapacior, indignior ascensu, laureola, regnoque cœlorum judicabitur.

Cum ergo proxime alterum evolverim principium, de primo in præsenti agam, ostendamque in quo virtus, roborque illius consistat.

Partitio, & Narratio.

II. Multifariam, multisque modis Principium hoc primum, seu Canon à SS. Ecclesiæ Doctoribus evolvitur.

Orig. h. l. Vetustissimus Origenes sic exponit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; id est secundum totam recordationem, operationem, & cogitationem; *Ex anima*, ut paratus sis eam ponere pro pietate in Deum; *In tota mente*; ut nihil aliud proferas, nisi quæ Dei sunt. Verus enim amor cunctas solicitat potentias, omnemque animi operationem ad amati cogit venerationem.

Diligere ex toto corde quid sit.

Theoph. h. l. Theophilacti interpretatio est: *Tres in anima dicimus esse vires, plantativam, animalem, & rationalem. Diliges Deum in toto corde tuo, hæc est brutalis animæ pars; & in tota anima tua, hæc est plantativa virtus, animatæ enim sunt plantæ; & in tota mente tua, hæc est vis rationalis.* Et sic oportet Deum diligere tota anima, hoc est omnibus partibus, & virtutibus animæ ei adhærere. Ut intellectus, quæ sunt Dei perpendat, memoria recogitet, voluntas cum omnibus facultatibus amplectatur.

Guil. Paris. Guilelmus Parisiensis Canonem hunc Amoris scitè uno versiculo complexus est:

Omne in amore dabis, caput omne in amore secabis.

Id est amorem tuum abunde exhibebis, si usitato lologrypho vocabulum *Amore* dempta semper litera rectè diviseris, & quidquid eo clauditur, Deo tuo consecraveris. Si nimirum Amore, More, Ore, Re, prosecutus fueris. Verus enim Amor in corde rudimenta ponit, extra moribus declaratur, verbis proditur, re ipsa cõpletur. Huic assentior, & dico.

§. I.

Amor Cordialis Deo exhibendus.

Amor Cordis Deo exhibendus

III. Ut mandato Domini Dei nostri obsecundemus, (qui supra id, quod dici, fingi, aut desiderari potest diligendus est) Amor imprimis Cordialis ei exhibendus. Is verò in eo potissimum consistit, ut nihil contrarium illi admittamus, nec cor nostrum partiamur consecrando illud alteri rei extra Deũ; in tantum, ut malimus carere omnibus vitæ commoditatibus, ac deliciis, quam amato in minimo contravenire. Amore nim verus Morti persimilis, & *Fortis ut mors dilectio.* Occupat Mors intimum vitæ domicilium Cor, vendicat id ipsum Amor, spoliatque amatorem Dei omni alio sinistro affectu. Illa ubi possederit corpus humanum, actutum sensus omnes sui juris efficit; ita ut nec oculus ultra sit oculus hominis, nec auris, nec lingua, sed totum corpus præda mortis evadat. Et divinus Cupido ubi potenti virtute sua cor occupaverit, quò non rapit sensus universos? quomodo nec auris cupit audire, nisi quod divinum, nec lingua loqui, præterquam quod

Dilectio fortis ut Mors. Cant. 8.

cœleste, nec gustus sapere quidpiam, extra id quod æternum, nec oculus videre, quam quod supernum, nec tactus contrectare, præterquam quod asperum. *Fortis ut Mors dilectio.* Illa separat cuncta ab homine, idem facit Amor divinus. Quisquis ejus igne incalescit, exuit se omnibus, quibus circumdatus fuerat, & nudus nudum insequi contendit. *Fortis ut Mors.*

IV. Informando Dominus discipulos suos ad missiones in omnes orbis terræ plagas, præcepit inter alia, quatenus æmularentur genium, ac virtutem serpentium. *Estote*, inquit, *prudentes, sicut serpentes.* Sed quænam ô Domine mi hæc virtus Serpentis, serpere super terram, veneno pasci, aliisque aculeo infundere, prodesse vix ulli, obesse quam plurimis? Cur non potius aliorum animalium præcipis solertiam observare?

Serpentis prudentia Matt. 10. v. 16.

S. Basil. in Reg. brevio. Int. 231.

Audio D. Basilium nomine ipsius respondentem: Ut videlicet quemadmodum serpens in paradyso, malignantis consilii ratione, blandiore aspectu, verborumque blanditiis à Deo avertit; ita Apostoli habita ratione temporis, personæ, loci, sermones suos in judicio disponant, à peccato impios revocaturi, adque meliorem frugem reducturi.

Theoph. h. l.

Audio item Theophilactum monitum idem interpretantem; ut nimirum ad ejus vermis imitationem per angustam viam incedamus, exuentes veterem hominem cum actibus, & concupiscentiis suis. Serpens enim veterem exuturus tunicam coarctat se in angustum foramen, eamque primum ab oculis, ac capite detrahere occipit. Nos vicissim arctam viam, quæ ducit ad vitam ingredi patiest, & à capite, atque oculis, id est intellectu, per æternarum rerum considerationem auspicari. Idipsum exigit Apostolus dum ait: *Expoliantem vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* *Col. 3. v. 9.*

Audio tertium S. Augustinum prudentiam Serpentis in hoc ponentem, quod unam aurem petræ apponat, alteram cauda occludat, ne forte incantamentis feriatur: juxta illud Psaltis: *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium* Ita enim nos addecet adversum diaboli, pravorumque hominum consilia aures occludere, quâ recordatione Petræ, de qua excisi sumus, quâ instantium novissimorum recordatione. *Psal. 57. v. 5. Aug. h. l.*

Audio, lego, stupeo hanc vilissimi vermis prudentiam, sed imprimis ore D. Hieronymi intimatam; quod nempe corpus, membraque omnia offerat, ac neci exponat, dummodo caput servet, ex quo vita procedit. O verè non serpentinam, sed Christianam, Apostolicam, immo Angelicam Prudentiam. Addecet enim omnia nostra in favillas redigi, quam Caput nostrum Christum deserere. Æquum est totius corporis membrorumque omnium dispendio illud servare incolume, ex quo vita redundat sempiterna. Sacrosanctum omnem temporalium commodorum silvam excindere, quam ignem divini Amoris extinguere *Æterna anteponenda* *S. Hier. h. l.* *S. Cypr. Ep. ad Mart.*

V. Hic sensus adamantinarum illarum animarum, & generosissimorum

rum

rum Christi pugilum erat, quorum ea vox identidem increbrescebat: *Occidi possum, separari non possum.* Mori possum, & hoc mihi statutum est, & quidem centies millies si tot mihi vitæ forent, sed ut abstrahar, ut separer ab amore dulcissimi mei JESU nemo unquã sperare præsumat.

D. Polycarpi magnanimitas Carthus. in Vita

Hæc vox D. Polycarpi Antistitis Tyranno improperantis: Octuaginta annis servio Christo, & nihil unquam mali mihi intulit, sed plurimis me beneficiis affecit; & ego tam ingratus essem, ut ejus amorem vel in minimo læderem, vel ab eo recederem, sive ad retinendam vitam meam, quotidie morientem, sive ad parcendum sanguini senectutis jam frigore concreto? Vivere & amare Christum una mihi, eademque res est. Hac sola aura respirat cor meum, eo omnia mea tendunt, tanquam ad proprium centrum, desideria.

S. Pauli Charitas & fortitudo Rom. 8. v. 35. 38.

Hæc fortitudo D. Pauli Apostoli inter alia gloriantis, ac percontantis: *Quis me separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames, an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Et respondet ipse Deo suo nixus: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate dei, quæ est in Christo IEsu Domino nostro.* Non timor mortis me à te separabit ô JEsu; quia tu es vita mea, Non amor vitæ istius, quia hac desidero privari pro te; Non virtutes cœlestes, quia major es illis; neque præsentia, quia transeunt; neque futura, quia in illis nihil est, quod cupiam præter te; nec tribulatio, quia me consolaris; neque angustia, siquidem tu me dilatas; non fames, quoniam tu me satias; non paupertas, quia tu me ditas; non pericula, quia tu me assecuras; nec persecutio, quia tu me liberas; nec gladius, & tormenta, quia pro te suavia; non creaturæ, quoniam nihil sunt coram te; non quidpiam aliud siquidem omnia in bonum convertis. Hæc laus Sacerdotum Juda, quibus Tyranno Babylonis cuncta devastante imprimis curæ fuit, sacrum ignem abscondere, ac tutari. Hæc laus bonæ arboris, radicem ex qua virtus in ramos diffunditur, abscondere, & conservare. Hæc laus boni Christiani millies membris omnibus mutilati, quam Capite Christo truncari. *2 Math. 1.*

VI. Alterum est, quod hic Amor Cordialis exposcit, ut omnes motus corporis & animæ, ex puro illius fonte oriantur, & ad eum cum quanta fortitudine fieri potest, cuncta dirigantur.

S. Ambr. Prov. 23. v. 26.

D. Ambrosius interpretans illa verba Salomonis: *fili præbe mihi cor tuum* ait: *Dilectus noster non acceptat in arbore vitæ humanæ corticem duntaxat operum, vult & radicem.* Bonæ sunt cogitationes de rebus sacris, bona desideria cœlestis patriæ, bona ratio cum jejunio, & eleemosyna, bonum si SS. Missæ sacrificio, si sacræ interstis panegyri, verum Dilectus hisce omnibus non contentatur, nauseat cuncta, nisi ex radice charitatis vim, ac vigorem mutuent. Hæc est siclus sanctuarii, quo omnis æstimatio ponderatur & ad eu-

Charitatis encomia

jus

jus pondus in cœlesti diribitorio præmia, coronæque dispensantur. Hæc est aurum ignitum, quod Dominus mercari præcipit, *Suadeo tibi emere aurum ignitum*. Aurum ob excellentiam, quod cunctis antestet metallis, ignitum ob virtutem, & experimentum. Hæc est anima virtutum omnium, iisdem formam, valorem, pretiumque dispensans. Tolle hanc, & cadavera potius, quam virtutem deprehendes. Cum enim omne meritum proveniat à Christo, cœteræque virtutes semota charitate non reddant vivum membrum Christi, nec gratiæ ipsius, ac meritorum participes; inde evenit, ut illa exclusa, omni vita, merito, præmio destituantur,

Apoc. 3. v. 18.

VII. Testatum id abunde fecit Doctor Gentium ad Corinthios ita scribens: *Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & si habuero omnem scientiam, & cognitionem* rerum humanarum, ac naturalium, *& si habuero omnem fidem*, (tam eam, qua rei revelatæ creditur, quam illam, qua miracula patrantur) & quidem tam perfectam, *ut montes* de loco in locum *transferam*, Charitatem autem non habuero nihil sum in esse Spirituali Gratiæ, quæ facit, ut homo apud Deum aliquid valeat, & mereatur. *Et si in cibos pauperum distribuero omnes facultates meas*, quas possim habere, & *si tradidero corpus meum ita ut ardeam*, ob religionem, aut rempublicam, Charitatem autem non habuero, nec fecero instinctu illius, quæ pro fine Deum supra

1. Cor. 12. v. 2.

omnia amatum habet, sed respectu quopiam humano, aut affectu, prout multi alii fecerunt, nihil mihi ad animæ meæ salutem, æternæque vitæ meritum prodest. Hæc ille Apostolus. Ex quibus liquet nec donum, nec virtutem ullam, sine cordiali Charitate valorem, ac meritum nancisci.

VIII. Eam ob rem universos idem Apostolus adhortatur, ut si opera sua Deo accepta esse velint, omnia ex motiva hujus virtutis Theologicæ faciant: *Omnia vestra in Charitate fiant.* Observate in omnibus, quæ Numen à vobis exposcit, & eadem in idipsum tanquam in ultimum finem ex intimo affectu dirigite. *Omnia vestra in Charitate fiant.* Justissimum enim est, ut cum conditor illa omnia propter hominem operatus sit, ipse homo ea, quæ fecerit, amore illius reciprocè operetur. Quemadmodum ipse salutem nostram operatus est in medio terræ, ita & nos in medio cordis nostris operemur ea, quæ nos provehant ad eandem.

1. Cor. 16. v. 14.

§. II.

Amor moratus.

IX. Dempta prima ob Amore literula, remanebit vocabulum, *More.* Et hoc innuitur, ne Amor noster sit rusticus, sed civilis & moratus. Ingeniosa enim res est Amor, itur more in amorem. Casti Mores addecent castos Amores.

Amor Civilis

Sexcen-

Sexcentis in Testamento Veteri cæremoniis supremum Numen coli voluit, nec paucis in Novo. Idque ea de causa, ut per signa illa exteriora, & exercitia demissionis, ac reverentiæ ad subjiciendum se Deo interior excitaretur affectus, & cum constemus corpore & spiritu, utroque cultum Latreuticum eidem deferamus.

Cant.8.v.1. 2.

X. Sponsa à sapiente decantata, ut amore sponsi æstuabat intensissimo, ita moribus candidis, suavissimisq; illum amplius sibi devincire nitebatur. *Quis* inquit illa, *mihi det, & te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris; & deosculer te, & jam me nemo despiciat. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis; & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Videte hic, quam commodis moribus, ac ceremoniis amato placere, qua intus, qua foris studuerit. Foris eundem præstolando, aut obviam sese effundendo, oscula manibus, suavia labiis figendo, eumque in domum suam officiosissime deducendo. Intus verò avidissimè audiendo sermones ipsius, contemplando ipsius pulchritudinem, porrigendo ei calicem vini conditi, & mustum malorum granatorum.

Idipsum videre est in aliis Christi amatoribus; qui millenis industriis, officiisque Amorem suum eidem Dilecto contestati sunt. Et ipsi mundi amores planum faciunt, urbanum, officiosumque esse amorem, & more transiri in Amorem.

XI. Hanc urbanitatem imitari, exercereque erga Christum Dominum par est; ut tum exterius, tum interius moratos nos eidem exhibeamus. Exterius nos humiliando, & jam cum Abrahamo se pulverem coram eo agnoscendo, jam cum aliis procumbendo, cum S. Francisco amando, quod ipse amavit, cum S. Augustino encomia illius deprædicando; & interius cum S. Melchtildi cordi ipsius afficiendo, eum in penetralia sua cum sponsa introducendo, porrigendo ei poculum ex vino condito, ex lachrimis, inquam, quæ verè vinum Angelorum nuncupantur myrram sinceræ Contritionis, mustum cordialis devotionis, &c. Hi sancti mores inserunt in Amores; his retibus capitur Dilectus assimulatus Capreæ, hinnuloque cervorum.

Verum si quispiam morosiorem se exhibet, dedignetur genu arcuare, si quidpiam sinceræ devotionis offerre, vereatur sane ne exasperetur Dilectus, exptobretque perinde ac Judæis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Populus hic non tam officiosus, quam vitiosus. Ore suo me supra sidera evehit, corde infra Tartarum deprimit; linguam mihi consecrat, præcordia vanitati, mundique illecebris mancipat.

Matt.15.8. Marci 7.6. Isa.29.13.

§. III.

Amor in Deum vocalis.

XII. Progrediamur sequestrantes, truncantesque alteram literulam, & restabit *Ore*. Et hic modus haud

Amor vocalis

postremus suum in Deum affectum contestandi. Amor siquidem etsi nonnunquam mutus, sæpenumero vocalis est. Ut ille in corde celatur, de divinis exultat perfectionibus, delectatur in Domino, & gaudio intetno triumphat; & auscultat quid loquatur illi Dominus: ita hic beneficio copiosè loquentis, & exercitatæ suadæ, mira de Christo proloquitur, de ejus excellentiis, & attributis disserit, & veluti jacula ignita ad inflammanda & conterenda corda emittit. Ut illi à januis est silentium, ab auribus quies & conticinium, à latere solitudo, à studiis divinum Pneuma, ita huic nectar, & ambrosia famulatur; omnes cœlestis Rhetoricæ figuræ, ac schemata obsecundant. Commune id quippe cum Amore mundano habet, ut & ille, & iste in sua arte sit facundissimus.

Nostis quod dico viri, fœminæque, & à quotidiana liquidum evadit experientia. Si ferveat inter vos Amor, fervent itidem colloquia. Si tepescat, vel extinguatur, ex disertissimis Oratoribus transformamini illico in mutos sigaliones. Si mulier aversionis virus conceperit, etiam bidui, triduive maritum nec verbulo dignatur, si evomat illud, & dilectionis favum delibet, illico loquacissima evadet. Orator quippe Amor est, & vel elingues facit esse disertos. Si facundus non est, nec verus reputabitur.

XIII. Ardent Seraphici spiritus amore intensissimo, & una Trisagion illud incessanter eructant: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth.* Flagrant Cherubica animalia, & senatus ille empyreus, nec solum animis, sed & ore canticum illud ingeminant: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.* Æstuat totus Angelorum Chorus, & una Eucharisticum concinunt Pæana. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem.* Uruntur alii sancti hoc cœlesti igne, & intonant: *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Adhibeamus & nos omnes ingenii nervos, effundamus omnes voluntatis affectus, & quod in medullis concepimus, ore identidem exprimamus.

Apoc. 5. v. 8

Ibid. v. 12.

XIV. Nonnunquam cum Seraphico Patre ejaculemur concepta in animo amoris tela, & dicamus: *Deus meus & omnia.* Summum bonum, solum bonum, & omne bonum tu mihi es: *Deus meus & omnia.* Si esuriero, cibus mihi es; si sitivero, potus mihi es; si erravero, Dux mihi es; si in tenebris ambulavero, Lux es; si infirmus fuero, salus mea; si mortuus fuero, Vita mea es, *Deus meus, & omnia.* Tu in labore quies, in æstu temperies, in fletu solatium, in dolore voluptas, in periculis securitas: *Deus meus, & omnia.* Totos aliis mundos aureos concedo, montes gemmeos haud invideo, thesau-

Amoris affectus

Isa. 6.

thesauros universos resigno: *Deus meus, & omnia.*

Aug. in solil. XV. Alias cum Augustissimo Præsule ingemiscamus: *Sero te amavi pulchritudò adeo antiqua, & nova.* Sero tuæ in nos æternæ Charitati respondere cœpi. Omne tempus breve ducebam in voluptatibus, longum in tuis obsequiis. Nulla mihi ætas parva est visa ad peccandum, omnis autem nimis infirma ad te amandum. Semper maturus in vitiis, nunquam adultus ad virtutes: *Sero te amavi pulchritudo tam antiqua.* Mulieris unius cuticula, ficto interdum medicamine imbuta, & mendacio cerussæ cohonestata multos ad sui pellexit amorem; me immensa divinæ tuæ pulchritudinis species attrahere non valuit. Vilissimum vermem sæpius deperii, te summum ac unicum bonum identidem posthabui: *Sero te amavi.* Tu in fame, & siti, quam patiebaris memor eras gulæ meæ, in æstu, & frigore commoditatum mearum; in lachrimis, quas fundebas noveras duritiem meam; in omni austeritate, qua tractabas sacratissimam humanitatem tuam recordabaris nimiæ licentiæ meæ; in æterno denique amore habebas me semper præsentem, & ego eheu nihil antiquius habui, quam ut mala pro bonis rependerem, tua viscera scelerибus meis exulcerarem, &, quantum in me erat, violentas ipse manus tibi inferrem: *Sero te amavi.*

XVI. Vel ut alia mittam, in temet excandescendo nonnunquam exclamo: Usquequo tandem ingratus audiar cuculus? Usquequo habere videbor cor omni amore vacuum? Eja crudelis amor cur me non perimis? cur mea non exuris præcordia? cur me vel lento vel violento in cineres non redigis incendio? Moriar ô Jesu, qui amore amoris mei dignatus est mori, vel si vis vivere, non vivam, nisi ut amem te. Exarescant prius omnia mihi membra, quam ut unquam cessem amare te, aut non vehementer desiderem nova incrementa amoris tui. Amo te ô Deus, ô Amor meus ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus meis; quem unum, nec alium vota mea expetunt; & utinam in me uno collectos habere possem amores omnium creaturarum, quæ amoris capaces sunt, hisce omnibus te amarem; si cor mihi esset, quod pretio sui, & æstimatione æquaret myriades cordium, & quidem ipsius SS. Matris tuæ, tibi id totum consecrarem, ut quēadmodum tu me infinite amas, ego minimum ex parte respondere possem &c.

§. IV.

Amor in Deum realis.

XVII. Findamus etiamnum apicem, & superit *Re.* Hic mihi est Amor, qui non tantum More, & Ore, sed Re ipsa innotescit, & proditur. *Voi amor est*, loquitur S. Ambrosius. *magna operatur, ubi operari desinit, amor non est.* *Amor realis S. Ambr.*

XVIII Plinius tradit inter ficum, & alias arbores id intervenire discriminis, quod hæc prius folia, illa *Veri & ficti Amoris discrimen*

Plin. l. 2. nat. hist.

illa fructus protrudat. Hæc eadem paritas intercedit inter fictum, verumque Amatorem; quod ille quidem toties quoties actus amoris Psittaci in morem ingeminet, opere vero parum, aut nihil præstet. Is autem & opere prodat, & verbis contestetur.

Amor nunquam sine manibus

XIX. Hinc quantumvis ingeniosa Antiquitas Amorem sæpe nudum, sæpe exoculatum, sæpe capite destitutum proposuerit, nunquam tamen mancum, aut mutilum manibus. Evenire enim potest, ut cæco modo ranam putet esse Dianam, & Cervam Minervam. Cæcat quippe Amor mentes, & interdum sapientes. Et ut canit Poëta: *Insano nemo in amore videt.* Evenire & illud, cerebro careat. *Nam omnis amans amens, amor est insania sano.* Frequenter itidem vel securitatis, vel sinceritatis gratia, vel certè inopiæ causa nudus adumbratur; manibus tamen, brachiisque mutilatus nuspiam vel a cæca gentilitate est propositus. Amor enim verus nunquam est otiosus. Ubi amor est magna operatur, ubi operari desinit, amor non est.

Propert.

Amor efficax

XX. Dilexit Jonathas Davidem amore vehementissimo perinde ac animam suam. Amavit corde, sed numquid manus otiosæ. *Expoliavit se Ionathas tunica, qua indutus erat, & dedit eam David, & reliqua vestimenta usque ad gladium, & arcum suum, & usque ad baltheum.*

1. Reg. 18.

Dilexere tres Reges Christum infantulum in præsepio positum. Et licet pauca dicerent ad testificandum amorem suum, vel omnino conticescerent; multa tamen præstabat. Aperuerunt enim thesauros suos, & ex iis optima quæque, ac pretiosissima deprompserunt, humi prostrati fidem clientelarem promittentes, & obsequium devotissimæ subjectionis oblato auro, myrrha, & thure parvulo illi Monarchæ deferentes.

Dilexerunt alii, sed opere, & veritate. Amor enim magna operatur si est, & si operari cessat, amor non est. Opera Lidius lapis sunt, quo probatur amor, & discernitur fictus à vero.

XXI. Ad hunc lapidem periclitemini Amorem vestrum Seraphini terrestres, & videte, an non vox sit Jacob, manus autem Esau. Videte an non sit facilius lympham è silice elicere, quam gratiarum vestrarum rivulum in pauperem amore Numinis derivare? Profecto illæ voces sanguine Christi, ac visceribus ejus armatæ, quibus vos sæpiuscule pauperes irrito assultu invadunt, exiguum latere in vobis ignem demonstrant. Eaproprer merito adhortatur fideles universos dilectus Domini discipulus. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Uno tactu, & tono cantet lingua, cor, & manus. Extravagans est, quum alibi cor, alibi os, aut manus vagatur; finis merus est, ubi intimæ Charitatis ardorem splendor exhibitæ subventionis non elucidat. Carbo est merus Amor, ubi peccatorum struem non exurit, flammamque virtutum ac operationum

1. Ioan. 3.

non

non diffundit. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua.* Diligamus Amore, More, Ore, Re. Diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus noſtris.

Chriſtus poſtulat Amorem noſtrum

XXII. Id enim vero eſt, quod Amor animarum noſtrarum à nobis efflagitat; ut nimirum ille ſolus noſtro figatur in corde, qui pro nobis fixus eſt in cruce. Id eſt, pro quo obtinendo fores cordis noſtri pulſat; dicens: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Id eſt, quod votis, ac precibus flagrantiſſimis emendicat à nobis: *Fili præbe mihi cor tuum.* Gratis da, quod gratis accepiſti. *Præbe mihi*, non mundo fallaci, non ſarhanæ cruento, non futilibus honoribus, non fœtidæ carnis oblectamentis. *Præbe mihi cor tuum. Quid tibi eſt in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* (ita loquitur Dilectus per Os Jeremiæ Vatis,) Et quid tibi cum via *Aſſyriorum, ut bibas aquam fluminis?* Cur fruſtra Ægyptum, mundum inquam iſtum petis, ut ſolatia veneris? aut quid viam Aſſyriorum ſuperborum ſectaris ut vanitate illius ſeducaris, & inebrieris? Avelle ab his omnibus cor tuum, illudque fonti omnium bonorum immerge; ibi ſitim aucturus, hic extincturus. *Præbe mihi cor tuum.*

Apoc. 3. v. 20.

Prov. 23. v. 26.

Jer. 2. v. 18.

Eheu cujus pectus tam vehementibus ictibus non conteretur? Cujus egelida præcordia tam inflammatis dilectionis facibus non incaleſcent? Quis tam juſtis precibus repulſam ferret? Infelix nimium, qui cœleſti ſuo ſponſo in eo haud obtemperat; cor ſuum ab eo ſequeſtrat, mundo, ac carni devovet. Et tamen prô pudor, cum omnia tranſitoria, quibus necquicquam ineſt ſubſtantiæ, tam perdite diligamus, ſummum & unicum bonum, in quo omnis boni bonum, è corde ſæpiuſcule proſcribimus.

XXIII. Prædixiſti haud vano tripode S. Paule Apoſtole, quod: *In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, homines ſe ipſos amantes:* Impletum vaticinium tuum cernimus. Amantur opes, nullam allaturæ opem; amantur ſpuriæ voluptates, quas non niſi ſera pœnitentia à tergo comitatur; amatur eſca vermium Caro; & Amor, qui nos condidit, conditos conſervat, conſervatos beneficiis fovet, gratiiſque omnibus locupletat, non amatur; non amatur.

2. Tim. 3. v. 1.

XXIV. Verumtamen mi amabiliſſime JESU non te contriſtet ſceleſus noſtrum. Recordare verbi ſancti tui: *Nonne duodecim horæ diei ſunt?* Si te prima, ſecunda, tertia juventutis, & adoleſcentiæ meæ non amavi, jam cupio, deſidero, ardeo decima, & ultima ſenectutis meæ amare te, gaudere de te, exultare in te. Nolo, nolo jam membrum ullum, niſi propter Te. Nolo pedem meum, niſi ut quærat Te. Nolo manus, niſi ut tibi deſerviant. Nolo genua mea, niſi ut tibi adſternar. Nolo linguam meam, niſi ut laudem Te. Nolo denique cor meum, præterquam ut diligam Te. Suſcipe Domine bonam voluntatem;

tem; suscipe cor istud, & tibi nexu adamantino conjunge. Tu qui semper ardes, & nunquam extingueris; illud incende, ut amore amoris tui cuncta faciam, qui amore amoris mei cuncta condidisti. Sit hoc pactum nostrum inconcussum, ac inviolabile, quod olim cum dilecta tibi Catharina Senensi iniisti: *Tu cogita de me, ego cogitabo de te.* Fiat. Fiat. *In Vita*

CONCIO XLVII.

IN DOMINICA. XVIII. POST PENT.

Transfretavit. Matth. 9.

ARGUMENTUM.

Anchora Salutis jacitur.

Vita navigatio

Vita nostra navigatio mystica est, eaque multò periculosissima. A. In hac Oceanus mundus est, corpus navis, anima navarchus; venti, tempestatesque, affectus, ac tentationes, syrtes, charybdes, scopuli, impendentia undique pericula; pyratæ, Lemures Averni, portus denique ad quem nos recipimus, & ad quem contendimus, Beatitudo sempiterna. In hac navi, si belle disposita, remigum munus obeunt Justitia, Prudentia, Temperantia, Fortitudo; vices mali supplet Fides; antennarum, ac carbasum Charitas. Quid anchoræ? S. Paulus hoc elogio honestat Fiduciam in Deum: Sic enim scribit: *Firmissimum solatium habemus, quo confugimus ad tenendam propositam Spem, quam sicut Anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* q. d. Quod in procelloso hujus mundi Oceano navigantibus est anchora, id nobis ad portum æternæ felicitatis contendentibus Spes est. Sistit illa navim, ne in syrtes breviaque deferatur, ne in scopulos impingat, ne retrorsum abripiatur; & ista animum, ne forte tentationum jactata tempestate, vel in desperationis voraginem delabatur; vel ad Acroceraunia desperationis allidatur, ac conquassetur. Ut ergo fluctuantium Anchora, ita tentatorum, afflictorumque Spes unicum est solatium. *Hanc sicut anchoram habemus tutam, & firmam.* Verum- *Heb. 6. v. 19.* *Spes Anchora.*

tamen

tamen ne fortè perperam eandem ſolidare adnitamur ; operæ pretium erit oſtendere, quaſ ratione eandem firmitur jaciamus. Cedet id ad ſupremi Archi-Thalaſſi gloriam omniumque noſtrum in hoc pelago fluctuantium ſolatium.

§. I.

Anchora jacta in limo hujus mundi deſultoria.

Spes in rebus caducis vana

II. Ferociunt primum inani fidentia, qui anchoram ſuam fluctuantem in limo hujus mundi firmare nituntur ; id eſt in rebus ipſius, aut propriis viribus confidunt ; aut poſthabito principio, à quo cuncta promanant, in mediis plus agunt, quam velit Deus, quam ratio poſtulet, quam negotium exigat, quam ipſemet agens queat perficere. Ethnicorum hæc, Atheiſtarumque vana videntia, non vera, germanaque fidelium Fiducia eſt.

D. Thom. in c. 6. ad Heb.

Doctor Angelicus diſcrimen hoc Spem inter, & Anchoram ſtatuit, quod iſta figatur in imo, ſpes verò in ſummo. Cujus rationem adducit *Quia nihil in præſenti vita firmum eſt, ut poſſit anima firmari, ac quieſcere.* Quapropter qui hoc pacto anchoram jacit, baſi labente, eundem labi, profundiuſque demergi neceſſum eſt.

III. Adumbrata nobis graphicè ejuſmodi Spes in hedera Jonæ eidem à Domino adaptata, & ab ipſo Vate mirum in modum adamata. *Egreſſus eſt Jonas*, ait S. textus, *de civitate, & ſedit contra Orientem civitatis, fecit ſibimet Umbraculum ibi, & præparavit Dominus hederam, ut eſſet umbra ſupra caput ejus, & lætatus eſt Jonas ſupra hedera lætitia magna.* Reſupinabatur Tityri inſtar bonus ſenecio, & ad prolixiora trahenda ſolatia architectatum ominabatur tentorium ; verum paulò poſt patuit, quam evanida res ſit hedera, quamque famelica ſua extiterint deſideria. *Aſcenſu diluculi venit vermis, & percuſſit hederam, & exaruit.* Omnis illa viridantium foliorum pompa in luctum, tabernaculum in cœnotaphium, omne Prophetæ gaudium in triſtitiam eſt commutatum. *Jonæ 4. v. 6.*

IV. Supparem prope ſcenam quondam propoſuêre orbi ſpectandam rebelles Hugonotti in ſuo hyemali Regulo, Friderico Palatino Rheni. Erexerant illi columnam triangularem marmoream, qua hedera accreſcens nitebatur, adjecta epigraphe: *Te ſtante virebo.* Nulla mihi obfutura cœlorum inclementia, nullus me Aquilo furioſo extirpaturus impetu, nulla me vis hinc emotura. *Te ſtante virebo.* O ſiderati rebelles, num vos Jonæ fallit vermiculus, aut Adraſteæ vobis excidit Romphea? Num vos latet, quod inſtet ultor à tergo Deus ? quod ſecuris ad rădicem poſita ? Ecce unctus Domini, qui à vobis perinde ac vermis reputatus, ipſe vobis imminet, veſtram ſcenam mox in ſibilum daturus. Dictum, factum. Venit, vidit, admordit, hederam protrivit, colum-

Friderici Palatini Rheni columna confidentiæ

columnam subvertit. Idem epilogus omnis humanæ fidentiæ, ut nititur labili, ita cadit cum labili. Hedera est, quæ tum proximior est exitio, quum splendidiore fastus efflorescit indicio. Hedera est, quæ cum sibi videtur hærere maximè vermè timere cogitur proximè. Hedera quæ quàtò plus præsefert plenitudinis, ac vastitatis tantò pluscontinet vanitatis.

Spes Ollæ collatæ

Psal.59,10. Bell.h.l.

V. Vates purpuratus confert quodam in loco ejusmodi Fidentiam Ollæ, ut credo argillaceæ, in materia tam vili, quam fragili. *Moab*, inquit, *olla spei meæ.* Sensus literalis sacrorum Interpretum est, Regem illum ex Provincia Moab, quà basilica vectigalia, ac reditus alios, quà annonam uberrimam percepisse in Oeconomiam familiæ suæ; in tantum, ut citra omnem impendentis cujuspiam defectus degeret solicitudinem.

Libet tamen indagare, qua de causa conferre maluerit spem suam ollæ potius, quam carchesio, aut gazæ, aut cornucopiis, aut alii rei cuipiam? An non cumulatius inibi opes, quam in olla reconduntur? An non splendidius ex auro, quam ex argilla innotescunt? Num fortè perspexit Rex sapientissimus spem rerum mundanarum instar ollæ, ut plurimum non nisi unam ansam nanciscì, qua facile avulsa, famelicos sectatores suos, ac jejunos destituit. Numquam enim ambabus manibus caduca stringi queunt; & identidem quò violentius prenduntur eò citius avelluntur. Vel si parte ex una radius uberioris fortunæ affulget; actutum caligo ex alia eum involutura se evolvit. *Moab olla spei meæ.* An quod spes tanquam olla, si plena sit, semper ad ignem ferveat, sin vacua frigeat. Evenit enim sæpesæpius, Spes frustratæ intepescant, auctæ proritentur vehementius, flammamque hauriant. Ligna dixeris bona temporalia, ad focum luculentiorem arsura intensius. *Moab olla Spei meæ.* An verò ad rotam figuli alludebat, indicando Spes, seu res mortalium, non secus ac ollam, in rota figuli versari? Omnium enim rerum caducarum gaudia in motu sunt, celerique turbine in orbem versantur. *Dixit fortuna, si starem rotasub una, & non mutarer, non utique fortuna vocarer.* Hæc est vicissitudo, aut consuetudo fortunæ, fortunarumq; nunquam eodem loco consistere. *Moab Olla Spei meæ* An etiam in memoriam reducere voluit, ut quondam in Ollam Vatum, ita in Ollam spei desultoriæ sese mortem insinuare. Nulli fortuna infestior, ac fatalior, quam quos indulgentissimè fovit. Quos diu ambrosia felicitatis lactaverat, demum fulminatis strangulat casibus. *Moab Olla Spei meæ.* Vel demum edocere voluit, Spem ejusmodi haud diutius perennare, quam offam quampiam in illa, quæ ut coquitur, ita liguritur. **So lang die nudlen im topff/ so lang verharret die hoffnung im Kopff.** Quæcunque mens illius fuerit, vanitatem profectò Spei mundanæ luculenter demonstravit.

Spes in curribus vana

Psal.19,8. Exodi.15.

VI. Alio item in loco componit curribus, & equitibus pompose incedentibus. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri*

Psal. 9.8. *stri invocabimus.* Prô quantas spes non nuttrierat Pharao in curribus, & quadrigis suis? Exodi 15. *Persequar*, ait, *& comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.* Certus sum victoriæ: manent me spolia Ægypti, ad votum cecidit meum ipsorum exitus. Et quis finis tantæ Fidentiæ? Ibid. *Currum Pharaonis, & exercitum ejus proiecit in mare, & reduxit Dominus super eos aquas maris.* Ex tanto exercitu ne unus quidem, qui nuntium cladis referret evasit, nec ungula æqui, quæ enataret, nec rota una, qua quispiam evolveretur ad littus.

Spes hominum irrita.

VII. Quantas non alebat spes Sisara Dux exercituum summatis Chanaan? Nongentos habebat falcatos Iud. 4. v. 3. currus, & per viginti annos oppresserat valde Israel. Præconcipiebant, ominabanturque illi fausta omnia concubinæ, jamque Io Pæan occinebant Iud. 5. v. 29. triumphatori. *Una de uxoribus eius sapientior cæteris hæc socrui verba respondit: Forsitan nunc dividit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei; vestes diversorum colorum traduntur Sisaræ in prædam, & supellex varia ad ornanda colla congeritur.* Hæ erant spes illarum positæ in curribus, & equis; quas in momento, idque fœmineo exercituum Duce subvertit, protrivitque Dominus. Iud. 4. v. 15. *Quippe perterruit Dominus Sisaram, & omnes currus eius, universamque multitudinem de ore gladii ad conspectum Barach, in tantum ut Sisara de curru desiliens pedibus fugeret*, & mox à Jael fœmina clavo trabali in frontem adacto ignominiosissime trucidatus sit, non alia legens spolia, præterquam Libitinæ, nec aliam suppellectilem quam vermes hæreditando.

VIII. Quantas item Arphaxad, *qui gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.* Quid inde? *Obtinuit eum Nabuchodonosor in campo magno; qui appellatur Ragau.* Periit ipse, & regnum ejus devolutum est ad Regem Babyloniorum. Hæc spes subinde Absolonis, & aliorum solidare illas intendentium in lubrico divitiarum, aut quadrigarum suarum; idque duntaxat referentium, ut maturius ad ergastula deveniant Proserpinæ. Certè non ivêre hi, nec profecturi alii suis curribus ultra tumulum cadaveri aggerendum. In hoc monte sistentur equi, recingentur à rhedis, & biga cedet una uni, altera alteri, Tu vero qui hactenus in sublimi ferebaris tumulo, sub pulvere dormies. Hic forsitan alter per cadaver tuum, tuosmet aget caballos, tuumque premet furibundus cinerem.

Iudith. 1. v. 4.

IX. Hic idem exitus illorum, qui confidunt in umbraculo amicorum, aut in propinquorum sangineo anchoram suam defigunt vado. Hirundinum enim in morem diffugiunt, instante bruma fluminisque instar dilabuntur. Hæc item sors illorum, qui viribus cuncta suis, aut laboribus, sequestrato etiam Numine, attribuunt. Irritus enim omnis labor est, quem superi non comitantur, nec sublevant. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Nisi ille benedixerit, actum est de omnibus. Nequit anchora nostra in tam lubri-

Spes in amicu vana.

Psal. 126. v. 1.

codentem figere, nequit spes hisce nixa fundamentis solida consistere, nequit animus inconcussus in illis perdurare.

§. II.

Anchora citra camelum, sed catenam perperam jacitur.

X. Non minus parte ex altera hallucinantur, qui citra anchorarium funem nudam anchoram jaciunt; id est seclusis à Deo præordinatis mediis beatitudinem se obtenturos ominantur.

Spes sine mediis nulla.

Horum in censum primitus vocati Israelitæ illi, qui omnem spem suam in Abrahamo, inque templo Domini reponebant. In eundem referendi A Catholici, qui sola fide in Christum sine ullis bonis operibus salvandos se augurantur, nec sibi duntaxat, sed & aliis securitatem pollicentur, dummodo in Fidentia sua mordicus persistant, & certo sibi persuadeant, per Christum remissa esse peccata. In eundem cogendi & ipsi Orthodoxi, qui securi in aurem utramvis dormiunt, nec tam difficilem, & arctam ad cœleste Capitolium viam autumant, Deum non pro anseribus, sed pro hominibus architectatum esse cœlum oblaterant; pœnitentiam aut omnino ejurant, aut ad agonem usque protelant. Hæc Spes & Numini injuriosa, & in se siderata, & habenti pernitiosa est.

Item Injuriosa

XI. Injuriosam dico Deo, utpote quæ ejus summa Bonitate, ac Misericordia ad peccandum licentiosius sibi lenocinatur. Ex eo enim quod Misericodia Dei immensa est, inferunt Sophismate perversissimo sibi licere, supremam illius majestatem lacessere; cum saniore syllogismo concludendum foret, eandem non irritandam peccatis, non abutendum gratiis oblatis. Summa enim ejus Bonitas unumquemvis ad amorem rapere, non vero ad aversionem pellicere deberet. Ex eo item, quod Deus longanimis sit, putrescunt tanquam jumenta in stercore suo, & prolongant iniquitates suas. Id est, sub spe veniæ, ac misericordiæ divinæ cumulant peccata peccatis. Hi audire deberent S. Paulum in se fulminantem: *An divitias bonitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis ejus contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autē duritiem tuam thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii Dei.* Nescis, inquit ille, quod Deus veniat hoc graviore manu, quo graviore pede? Nescis quod pro præparatis misericordiæ thesauris, quos explodis ac evacuas, furores illius in tui exitium exaggeres? Nescis quod cor durum, id est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit, flagellisque induratur, male habebit in novissimo? Rom. 2. v. 4. 5.

Spes sine mediis stulta

XII. Stultam ajo iterum ejusmodi spem prorsusque amentem. Etenim quid judicii statueritis de colono illo, qui terra inarata, nec semine ullo in fœdus concredito, sibi messem uberem polliceretur? Quid famelico, qui ore hiante manibusque complicatis,

plicatis, columbas assas, vel elixas desuper præstolaretur advolantes. Quid de famulo illo, qui cum totam diem, immo mensem, & annum traduxisset in otio, à Domino efflagitaret mercedem, ea duntaxat de causa, quod potens sit, bonamque spem de ipso præceperit? An non quivis colonum illum diceret sideratum? illum famelicum stupidum? illum famulum gravissimis pulsandum verberibus? Et nos prudentes arbitrabimur, si eodem fascino imbuti, aut helleboro pasti, illudi nobis sciverimus? An non æquè in spiritualibus, ac temporalibus media ad finem consequendum cœlitus ordinata? Quorsum inclamat Princeps Apostolorum: *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram electionem, & vocationem faciatis*; si sine illis possessio æternæ beatitatis adeatur? Quorsũ monet Co Apostolus Paulus: *Quæ seminaverit homo, hæc & metet.* Quæ in terris seminaverit bona, eadem metet in cœlis; quæ seminaverit mala, eadem metet, seu inferet ad horrea inferorum *Quæ seminaverit homo, hæc & metet, & qui seminaverit in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Qui nihil seminaverit, nihil metet. Nec cœlestis nec terrestris agricola spem alere fructus, messisque poterit, si necquicquam erogaverit. Fulguret sol, decidat imber, inebrientur rore arva, perflent venti, rideat cœlum, nisi colonus terrestris cooperetur, actum est de spe, ac messe temporali. Parte ex altera excitet Deus colonum cœlestem, præveniat benedictionibus, ac illustrationibus, fidem ille habeat, ut montes transferat; si charitatem non habuerit, si cooperatus non fuerit, spem veram salutis concipere neutiquam poterit. Vel quamcunque conceperit, vana erit, futilis, & siderata.

Opera bona ad salutem necessaria

2. Petri 1. v. 10.

Gal. 6. v. 7.

1. Cor 9

XIII. Quorsum Judæos olim redarguit Jeremias: Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: *Templum Domini, tẽplũ Domini est, quoniam, si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra, si feceritis judiciũ inter virũ, & proximũ eius, habitabo vobiscũ in loco isto; in terra quam dedi patribus vestris.* Ex adverso vero: *Si mandata mea transgressi fueritis, si vocati non responderitis, faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco, quem dedi vobis, & patribus vestris sicut feci Silo. Et proiiciam vos, sicut proiecì omnes fratres vestros.* Quemadmodum averti vultum meum in indignatione mea ab eis, ita avertam illum à vobis, & ut dedi illam in direptionem hostibus eorum, ita tradam vos in opprobrium inimicis vestris.

Ier. 7. v. 4.

Ib. v. 14.

XIV. Quorsum demum ait Christus Deus noster: *Nolite dicere: Semen Abrahæ sumus*; confidimus in meritis, ac intercessionibus ipsius. *Si filii Abraham estis, opera Abraha facite.* Opera enim non verba discernunt inter filios diaboli. Vanum itaque, & stultum est, citra catenam mediorum jactare anchoram, citra viam intendere terminum, citra media finem consequi velle.

Ioan. 8. v. 38 39.

XV. Assero tertio ejusmodi fidem cuivis mortalium extremè pernitiosam; nec ullum eadem imbutum beatitatem consecuturum. Nam

Item noxia

quemadmodum non renati in aqua, & Spiritu S. fine illo beatissimo excidunt; ita non minus ii, qui mediis aliis à Deo ordinatis abutuntur. Ut enim dictum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei*: ita etiam: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Servantibus patent illa ostia, quæ obserantur transgressoribus.

Ioan.3.v.6.

Matth.19. v.17.

XVI. Scitè observat vetustissimus Origenes Dominum non quosvis de Ægyptiaca servitute segregatos, & egressos in censum vocare præcepisse; sed à vigesimo anno, & supra fortissimos quosque secluso fœmineo sexu; idque post datam legem. Quid hoc inquit mysterii? Numquid non æquè alii per Moysen vindicati? Numquid non item fœmineus sexus per mare rubrum traductus. Numquid infantilis ætas quidpiam demerita, quominus & ipsa in album referretur?

Num.13. Orig.h.1. in lib.Num.

Respondet autem in hoc facto adumbratam nobis esse spei, ac vocationis nostræ rationem. Ait enim: *Non statim ut egressus est de Ægypto populus numeratur; adhuc enim persequebatur Pharao; sed nec cum mare transiens venit in desertum dicitur numerari. Nondum enim tentati, nondum ab hoste fuerant impugnati. Confligunt adversum Amalec, & vincunt, sed necdum quidem numerantur. Non enim sufficit ad perfectionem una victoria. Mannæ accipiunt potum, & aquæ poculum, de sequente hauriunt petra, sed neque tunc numerantur. Nondum enim in his, quæ numeris apta adoleverunt. Testimonii tabernaculum construitur, sed nec in hoc quidem numerandi populi tempus advenit. Lex per Moysen datur, sacrificatur, mos traditur purificationum, leges & sacramenta condantur, & tunc ad numerum ex præcepto Dei populus adducitur.* Hæc ille sed quorsum obsecro omnia? Cur non post transitū illico in album relati? Cur dico primum post leges acceptas, & sacrificia, & cœremonias calculantur? Nempe quia non satis est de gentilitate exire, non satis est sacris tingi lymphis, non satis est credere, non satis gaudere tabernaculo, sed insuper præcepta Domini admittenda, ac sacrosanctè custodienda. Hinc idem subdit: *Describe tibi in corde tuo ô Auditor duplicitèr & tripliciter. Vide quanta tibi transeunda sunt, quanta toleranda; quot profectibus, quot tentationibus, quot præliis, tibi pugnandum est, & vincendum, ut possis ad divinum numerum pertinere; ut in computo aliquo habearis apud Deum; ut inter sanctas tribus adnumerari merearis, ut visitari possis, & per Dei Sacerdotes Aaron & Moysen numerorum censibus adscribi.* Quæ tandem illa ô magne Doctor? *Suscipienda nimirum est primum Lex Dei, offerenda sacrificia, explendæ purificationes, peragenda cuncta, quæ Lex spiritus docet, ut possis aliquando ad Israeliticum numerum pertinere.* Ex quo liquido constat spem ac Vocationem nostram non in sola apprehensione divinæ bonitatis, aut finis, sed in mediorum executione positam esse.

Vbi sup.

§. III.

Anchora salutis firmissima.

XVII. Anchora itaque spei, ac salutis

salutis firmissimè jacitur, si Camelus eidem adnectatur. Planius edissero. Si ita in Bonitate ipsius, ac miserationibus ejus multis confidimus, ut quantum in nobis est, concupiscentiis nostris frœnos ponamus, bonisque operibus insistamus. *Spes enim verâ*, ex mente Theologorum est, *certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei provenieus, & ex meritis præcedentibus.* Dicitur *exspectatio*, quia tendit in bonum arduum, nullis naturæ viribus, sed auxilio divino obtinendum. Dicitur *futuræ beatitudinis*, quia primariũ Spei objectum est Beatitudo ventura, secundariũ cœtera, quæ spectant ad ejus consecutionem. Dicitur tandem *provenire ex gratia, & ex meritis nostris*, quia ut dixi unum sine alio aut præsumptio est, aut vanitas.

Spes vera in quo sita

Mag. Sent. in 3. p. dist. 26. c 1.

XVIII. Ascendebat dilecta illa, ac decantata in Canticis, sed nonnisi *innixa super dilectum suum.* Ut brachiis dilectionis succollabatur, ita vicissim Dilectum amplectabatur. Ut ille præveniebat Sponsam miserationib⁹ multis; ita illa respõdebat mutuæ charitatis, observantiæ, submissionis officiis.

Cant. 8. v. 5.

Gen. 28.

XIX. Vidit Jacob scalam, per quam enitebantur Angeli, sed parte una firmabatur in terra, seu in Jacobo, altera in cœlo, seu in ipso Deo illam sustentante. An non ut hoc pacto nobis ascensio per fiduciam in cœlum adumbraretur? Nisi enim Spes nostra, perinde ac scala ista nitatur & solo & polo, adita paradysi nullatenus conscendere valebimus.

Apoc. 10. v. 12.

XX. Vidit D. Joannes alterum Angelum descendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite ejus. Hic posuit pedem suum dextrum supra mare, sinistrum autem super terram. Hieroglyphicum & istud Spei nostræ est. Utroque enim nitendum est pede, dextro quidem supra firmam Petram Christum; sinistro itidẽ supra mare, id est mutabilitatẽ liberi arbitrii nostri, seu cooperationem nostram.

XXI. Dicitur denique certa, quia eidem pusilanimitas contrariatur; & quia firmatur in æterna Dei ordinatione, qua nos creando ordinavit in gloriam suam. Fundatur in Omnipotentia ejusdem, *quia potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.* Etsi omnia peccata totius mundi perpetrasses; si cum ipso Lucipero DEum ex suo throno deturbare attentasses, si cum Juda proditore sanguinem filii ejus vendidisses, aut conculcasses &c. *potens est dare* hæreditatem, & gratiam ad resurgendum.

Act. 20. v. 32.

Fundatur item in divina Liberalitate, ac Misericordia, quâ nobis pollicit⁹ est illam beatitatem; unaque auxilium gratiæ ad removenda obstacula omnia, quæ remoram injicere possent, ad illam consequendam. Fundatur vel maximè in meritis, & passione Domini Assertoris nostri. Quid his fundamentis certius, quid solidius.

XXII. Audite quæso ex his principiis ratiocinantem non Platonem prophanum, aut Aristotelem vanum; sed entheum Theologum, D. inquam Paulum. *Qui proprio*, ait ille, *Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam omnia alia cum illo donábit?* Qui dedit cimelium, num negaturus virtum? Qui enntulit thesauros; num in obulo elargiendo

Rom. 8. 32.

tenax judicabitur? Qui misit Filium suum Unigenitum pro nobis in mortem, an ea, quæ concernunt Justificationem, glorificationem, non elargietur? Num fluctuaret quispiam animo, judicandus ab eo, qui pro se servando, proprio filio, eique intimè adamato non pepercisset, sed in mortem crudelissimam tradidisset? Non utique. Et tu ô miser etiamnum jactaberis, & addubitabis de bonitate illius, quum tantum pignus teneas? Num si te perditum iret, talia pignora tibi credidisset?

XXII. Licet autem incertitudo quæpiam sit, ex parte infirmitatis nostræ, liberique arbitrii, quod deficere potest à sperata beatitudine, non utendo mediis à Deo ordinatis; nihilominus Spes nentiquam dicenda incerta, aut infirma, cum proximè respiciat omnipotentiam, ac misericordiam divinam, cui innititur; & ad quam spectat quadantenus suscipere in se infirmitatem nostram, illamque vi gratiosæ promissionis suæ firmare. Ita ut ea de causa anima fidelis per Spem meritò possit quadam certitudine extendi ultra opinionem propriarum virium, expectando à Dei Bonitate infirmitatis suæ stabilimentum, Deoque ipsi innitendo, qui facienti, quod in se est, non denegat gratiam.

Spes inculcatur

XXIII. Ut hac anchora nixi ad portum beatitudinis, & ad Deum ipsum contendamus, adhortatur nos Tuba Evangelica in Epistola ad Hebræos: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam in tempore opportuno.* Accedamus & si in injustitia simus cogitemus Publicanum; si immundi, attendamus Meretricem; si homicidæ, respiciamus Latronem; si perfidi cogitemus blasphemos gratiæ redonatos. Consideremus Paulum prius persecutorem, subinde prædicatorem, prius invasorem, deinde dispensatorem; antea lupum, posthac pastorem; antea piratam postea gubernatorem. Major est enim misericordia Domini, quam iniquitas esse potest servuli. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.* Non ait Justitiæ, Omnipotentiæ, Majestatis divinæ, quæ terrorem nobis, pusillanimitatemque ingenerare possent, sed Gratiæ, ut misericordiam consequamur. *Adeamus*, licet fremat mundus, premat corpus, insidietur Orcus, quoniam ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. *Adeamus*, ad thronum Gratiæ, quoniam ibi clamat clavus, clamat vulnus, patet arcanũ cordis per foramen corporis, patent viscera misericordiæ Domini Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Adeamus, & dicamus cum Psalte: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam,* qui cum ipsa Bonitas sit, semper nobis benefacere exoptat, confidentibusque in se nunquam benefacere cessat. *Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino deo spem meam*, quem confido affuturum in pugna spirituali adjutorem, in necessitatibus, & angustiis tutorem, in hora mortis meæ vitam, & coronam meam. *Mihi adhærere Deo bonum est.* quia nemo in ipsum sperans confusus est. Oro itaque Domine, ut spes tua firma sit in me, & non confundar, quoniam speravi in te. Fiat.

Heb. 4.

CON-

CONCIO XLVIII.

IN DOMNICA XIX. POST PENT.

Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. Matth. 22.

ARGUMENTUM.

Apologia Miseri.

I. LEx non ab hominibus lata, sed ab ipsa natura condita, omniumque pectoribus insita, ac inarata est reorum, depressorumque defensio. Aud. Nullum toto orbe reperire est tam crudele Tribunal, quod omne patrocinium reis intereidat. Sint licet efferati Scythæ, sint Othomannici immites, sint barbaræ gentes aliæ, ad quas nullus hactenus humanitati litterariæ patuit additus, omnes tamen aurem alteram incusato servant, defensorem admittunt, neminem inauditum condemnant. Ut vel inde colligere fas sit, ipsius naturæ instinctu eam ordinatam esse regulam, & non à quopiam mortalium sanctam, firmatamque. Ipse supremus Jurium omnium Arbiter Deus, ne eadem Lex, in deterius semper vergente natura, unquam obliteraretur; aut quispiam diplomate commētitio se ab ea exemptum arbitraretur, suis sacerrimis statutis, calamo Salomonis Regis sequentibus verbis inseri voluit: *Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum, qui pertranseunt; aperi os tuum, decerne quod justum est, & vindica pauperem & inopem.* q. d. Non deerunt qui opprimantur à ditioribus, vel qui jus suum adversum potentiores prosequi non poterunt, eapropter præcipio tibi, ut quantum in te est, Apologiam formes, vindiciias exares, pro oppresso perores, indefensum damnari haud sinas. Qua lege cum me obstrictum sentiam, & hodiernum mendicabulum, non nisi ob centones suos, quibus in nuptiis comparere ausus est, mitti in tenebras exteriores inaudio, religioni mihi ducerem, si eundem indefensum sinerem. Quod si tamen necquicquam oratione mea evicero, ostendam, qua de causa tam rigidè plectatur. Rex regum adesto æquioribus mihi oculis, vos auribus.

Defensio oppressorum commendatur

Prov. 31. v. 8. 9.

§. I.

Defensio miseri.

II. Mirabitur forsitan nonnemo propositi

propositi mei rationes, mussitabitque intra se: Ubi hujus Ecclesiastæ mens? ubi Rex? ubi subsellia? ubi tribunal? Nihil horum apparet, & ipse Apologiam comminiscitur? Is quisquis est, noverit Regibus non longas duntaxat esse manus, sed & aures. Apud persas Aures Regis nuncupabantur, & habebantur, quicunque vel nomine illius quidpiam audirent, vel ad ipsum deferendum perciperent. Ejusdem muneris cum non paucos hic præsentes numerem, prudenter sanè coram iis, tanquam irati Regis auditoribus, eidem patrocinari adnitar.

III. Inferet alter jam causa decisa, pauper hic jam fulminatus, quorsum defensio? Ajo ita ejus causæ statum decisum, ut etiamnum agatur. Auspicor itaque, & patrocinium suscipio, quod nunquam, patentibus quantumvis regiæ humanitatis ostiis præsumerem; nisi me latere dextro exceptum illius Clementia induxisset, altero æquitas sustentaret. Hæc Regum serenissime, Majestatis tuæ timore perculsum animum erigunt, linguamque præ reverentia titubantem ad loquendum expediunt. Hisce fretus tibi supplex advolvor, & enixe efflagito, quatenus proscriptis è corde furoribus, verbum unum, alterumvè pro vincto tuo interponentem gratiosè non dedigneris audire.

IV. Mendicabulum unum est ô Rex, in quod tam violenta torsisti impetia, stipem ostiatim emendicat, nihil ferit unquam præter preces, nec aliud metit extra micam, aut obulum de manibus eam sibi benignè largientium. Quod cum dico peroratsse me prope confido. Nam quid aliud à tali Codro præter centones præstolari, aut quid extra statum ipsius exigere potest? actum de mundo esset, si ad calamitates ipsius fastus pauperum accederet; nec proletarius quisque à nobili, pauper à divite, Senator à cive fibula aut chlamyde distingueretur. Verum non ea sunt tempora, ut ad tantam arrogantiam, unius operis homines, aut nullius assurgant. Arduum est nobili pro ratione status tergum velare, quidni pauperi? Messes externæ in tantum excreverunt, ut messe fundi unius opus sit ad vestem honestiorem comparandam; quæ utut nitet annum non fert. Et ea de causa crediderim rarius in nuptiis comparere mercatores, ne fortè iisdem improperent emptores, dicentes: Domine illusistis nobis panno, aut serico vestro; carò vendidistis, nudiustertius emimus, hodie rumpitur; nunc nitet, cras refarcienda erit; fila hæc non videntur esse Serum, aut bombycum, sed urticarum, aut araneorum.

Unde ergo huic pauperi vestes? A furto? Istud nefas est, & furca piandum. Ab aliis? Ah desunt Martini, Franciſci, Ignatii, Stanislai, Kostcæ, qui vestes suas aut donent, aut cum centonibus commutent. Ex mutuo? Id sine pignore, ac usura hac tempestate non modo pauperi, sed nec diviti conceditur. An fortè ex industriis? Adhibuisset eas, si tuam voluntatem penitius inspexisset. Adhibuisset nisi vilem habitum à viris sanctissimis adamatam

tum compertum habuisset. Adhibuisset, nisi adoratam ab ipsis belluis lacernam inaudiisset. Etenim ut ex purpura Regem humanus oculus; sic ex paupertate, ac nuditate vel ipsi Tigrides sanctimoniam perspexêre, coluereque. Quid igitur reus, si omnis illi via ad honestum amictum obtendum præclusa? Vide quæso Rex invictissime, ne hac præcedendi ratione viam ad luxum aperias, vide ne adoratæ, ab ipsis brutis animantibus, paupertati stigma inuras; vide ne contra te Elias zelosissimus in zona pellicea insurgat; vide ne Joannes ille Præcursor Domini in pilos cameli sese opponat; vide ne tot alii viri sanctissimi circumeuntes in melotis, & pellibus caprinis, aut viliori habitu adversum te protestentur; vide ne una ferias, quotquot jugulato inexplebili habendi desiderio, per calcatos honorum titulos, per inescantis Mammonæ ludibria, ac nidulantem in carne Cupidinem ad amatæ paupertatis labarum sese proripuerunt. An enim minus isti pauperes, atque ille? aut qua de causa minus rei, quam iste tuus sordidatus, qui tamen ipsius Divinitatis judicio amplius quid effecerunt, quod orbem habuere nihili, quam si fecissent ex nihilo.

Paupertatis laus

V. Si detonandum est, in illos satius fulmina, qui supra statum, conditionemque suam se efferunt; & ut fastum, superbiam, luxuriam licentiosius enutriant, pretiosissimis involvunt paludamentis. Eo enim deventum est, ut non tantopere in aulis pleriq; mollibus vestiantur; quam in vulgari plebecula. Eo deventum, ut qui heri oleum vendidit, manicaque nares absterserit, hodie pomposè fulguret. Eo dico deventum, ut malint potius domi splendide esurire, debitaq; contrahere; quam pompæ vestium modum imponere.

Luxus castigatur

VI. In libris Regum legitur divertisse Elisæum ad viduam cujuspiam Prophetæ, & percontatum esse, quid domi suæ haberet reliquum? cui illa jurejurando affirmavit, se nihil habere nisi modicum quid olei, ad cuticulam suam inungendam: *Non habet ancilla tua quidquam in domo sua, nisi parum olei quo ungar.* O mea bona Domina, & ad brassicam condiendam quid? *Non habet quidpiam ancilla tua.* Quid ad pultes? quid ad lactucam? *Non habet* &c. Ubi alia suppellex? Vendita pro fasciis, pro dextrariolis, pro tela byssina. O stultitiam! ô vanitatem! Nonne satius foret cum oleo comedere; quam deforis vanitatis sarcinam portare? Nonne præstaret ventrem pasci cibo vulgari, quam mentem aura populari? Hanc igitur gemellosque fratres ergastulis constringere par esset, ut qui prodigalitate & luxu nitere supra statum suum, facultatesve suas ambivere, in tenebris fatuos fuisse splendores ediscant. At tuus Captivus ô Rex clementissime quid delicti in veste populari, ac lacera contraxit; ne vestigium quidem ullum fastus, aut luxus patiente? Haud equidem diffiteor obnoxium futurum fuisse ergastulis, ac plagis, si ipsemet ultro in sordido amictu coronæ rutillantium Procerum sese ingessisset. Memini enim severissimis legibus cautum; ne quispiam atratus aulam Asueri

Vidua Luxus

4. Reg. 4. v. 2.

Esth. 4.

fueri ingredi præsumeret. Memini non sustinuisse Davidem ad se accedere nuntios suos, barba semitonsa, 2. Reg. 20. vestibusque ad ludibrium ex dimidio detruncatis, Memini Miphiboseth antea Commensalem ejusdem exclusum, quod intonsa barba, pedibus, vestibusque non lotis basilicum limen profanasset. Memini alios vili veste tractatos minus honeste. Verum cum compulsus sit intrare, & raptus insperato ex plateis, ductusque quo ipse ignoraret, quid peccavit, aut qua ratione læsæ reus tuæ majestatis?

VII. Sed utut reus, jamne omnis oppilata adveniam via? Jamne gratiarum defluxus omnino intercisus? Jamne spes nulla supereſt? Jamne causa cecidit? Appello, appello pace tua ô Rex serenissimè, à tribunali Justitiæ tuæ ad thronum, quo solo *Clementia æquat Deo* Superos æquas, Clementiæ tuæ. Nulla certe ratione incomprehensum supremæ Majestatis prototypon rudi ectypo adumbrare pollebimus, nisi ad aureæ ipsius Clementiæ Ideam fixerimus oculos, & in pectoribus nostris melleæ gratiæ pigmentis exprimere conati fuerimus. Latentibus enim cæteris sub arcano divini abyssi sipario admirandis perfectionum illius sacramentis, solius irradiantis Clementiæ lepos tam luculenter nostrum ferit obtutum, ut vel cœci de eadem dijudicare valeant. Hac ille evocatus nostrorum enormitate scelerum gravidas Justitiæ nubes ita attemperat; ut suspensis iisdem impiis pleriſque inducias vitæ, in melius reformandæ, elargiatur prolixissimas. Hac ille hostibus quantumvis capitalibus sinum gratiæ suæ aperit, & cassatis præteritæ vitæ offensionibus, amicos jubet. Hac ille præscriptis Manlianis imperiis, si quando justissima provocatus Nemisi sævire cogitur, infra condignum plectit. Hanc quæso æmulare Regum invictissime, & evacuato ab omni iracundia pectore misero indulge, ac sereniore fronte sedenti in tenebris sidus exoptatissimum exorere.

§. II.

Damnatio

VIII. Arbitror pro viridi patrocinatu me esse misero, sed latet me quonam effectu. Vereor enim ne mihi eveniat, quod olim Graccho Oratori; qui cum Judicem ad misericordiam se inflexisse arbitraretur, affectuque triumpharet, audire debuit: *Cic. de Orat.* *Miseret me hominis non rei, sed tui, quod tot verba prosuderis.* En & ego sat multa pro hoc misero disserui, & nihilominus Rex stomachatur, contra eum decernit, in ergastula compingi præcipit. *Mittite eum in tenebras exteriores.* Per Deum quid causæ? Id sanè, quod in supposito erraverim, quod textum Evangelicum ad literam de homine ac vestibus materialibus, & non juxta mysticum sensum interpretatus fuerim.

Christus sponsus

Quippe hic Rex adornans nuptias Filio suo, est ipse Rex cœli & Dominus

nus Dominantium, illi desponsens sponsam Ecclesiam suam; juxta illud Pauli Paranymphi hujus desponsationis: *Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* 2.Cor.11.v.2 Et D. Joannis testimonio: *Qui habet sponsam, sponsus est.* Joan.3.v.29 Quemadmodum enim sponsus adornat sponsam, vinculoque indissolubili sibi adstringit; ita Christus Ecclesiam, electosque suos sibi copulat. Sic enim apud Oseam contestatur: *Et sponsabo te mihi in æternum, & sponsabo te mihi in iudicio, & iustitia, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.* Oseæ 2.v.19 Et sicut olim desponsatus Jacob Patriarcha primum Liæ oculis lippienti, & subinde Racheli pulcherrimæ: ita Christus Dominus nunc desponsatur Ecclesiæ militanti, quæ non adeo pulchra est, sed lippa oculis; *quia per fidem ambulamus, & non per speciem*; desponsabitur vero in judicio novissimo Ecclesiæ universæ triumphanti, in pulcherrima Rachele adumbratæ. De qua desponsatione vaticinatur Angelus Apocalypticus in hæc verba: *Et venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se bysso splendenti, & candido. Byssinum enim iustificationes sanctorum sunt.* Apoc.19.v.7

IX. Ad has nuptias invitat universos cœlorum terrarumque Rex, quin & compellit nonnullos, ut intrent: *Compelle intrare.* Unum duntaxat à convivis exigit, quatenus in veste nuptiali se sistant. Sed quænam illa? Non utique quam bombyx nevit; non illa quam textor texuit, sartor confecit; sed quam ipse Spiritus S adornat, mensurat, induit; vel quam nos eodem adjuvante conficere, atque adornare par est. O quam pulchra est vestis misericordia, benignitas, humilitas; ad quas assumendas Doctor gentium adhortatur: *Induite vos, sicut electi Dei, sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* Coloss.3.v.12. O quam pulchra, qua se indutum gloriatur Isaias Vates: *Induit me vestimento salutis, & indumento iuditiæ circumdedit me.* Isa.61.v.10. O quam pulchra, quam in muliere forti contemplatus est sapiens: *Fortitudo & decor indumentum eius.* Prov.31.v.25. Quam pulchræ, ac nitidæ aliæ, in vestiario S. Spiritus obseratæ! Verum vel inferiores, vel hyemales sunt, quibus contra pluviam, grandinemque persecutionum, aut tentationum ventum protegimur, ac defendimur. Charitas vestis splendidissima est æstiva, ac superior, *quia ipsa operit multitudinem peccatorum.* 1.Petri.4.v.8. Quemadmodum vestis corpus, ita ipsa operit nuditatem animæ; ita ipsa & multo eminentius ornat, ac tuetur eandem. Algere ibi sola debet cupiditas, ubi incendit & flagrat Charitas. Hæc est vestis polymita, ac talaris, quam dedit Jacob filio suo Joseph; longa, & lata ad operiendum etiam infimos, variegata ob aliarum virtutum contextum. Hæc est pallium Eliæ, duplici imbutum spiritu, nempe erga Deum, & proximum. Gen.37.v.3 Hæc est coccinum illud bis tinctum, quo vestiebat non tam Saul filias Israel 2.Reg.1.v.24.

quam ipse Dominus. Hæc est verè vestis nuptialis, siquidem in hac Filius Dei venit, quando ad nuptias cum humanitate nostra primo contrahendas processit. *Quæ est*, inquit D. Gregorius, *vestis nuptialis, nisi Charitas, qua vestitus Dominus venit ad nuptias.*

D. Greg.

Charitas discernit inter filios Dei & diaboli

X. Hac veste discernuntur reprobi ab electis, filii sponsi à filiis Diaboli. *In hoc*, ait Veritas sempiterna, *cognoscent, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Hoc signum certum, & evidens, sanctum & unicum. Fallere cætera queunt, istud nunquam. Nam ut scribit Hipponensis Antistes: *Dilectio sola discernit inter filios Dei, & inter filios Diaboli. Signent se omnes signo crucis, respondeant omnes: Amen; cantent omnes alleluja: baptizentur omnes, intrent omnes Ecclesias, faciant parietes basilicarum, non discernuntur filii Dei à filiis Diaboli, nisi in Charitate. Qui habent Charitatem nati sunt ex Deo, qui non, non sũt nati ex Deo.* Quidquid vis habe, hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. *In hoc cognoscent omnes.*

Aug. tr. 5. in Ioan.

Alphonsi Regis litera publica vestis Panormit. in Vita

XI. Alphonsus Aragonum Rex invitatus ad nuptias Guteramni Regis Galliarum misit Granvellanum aulæ suæ Marescalcum, qui personam ipsius in iis referret. Hic se accingendo itineri, petiit supplex literas publicas Legationis suæ testes. Rex nec quicquam cunctatus paludamentum suum regium eidem circumdari mandat dicens: Accipe hoc, & confide, plus credituros omnes purpuræ, quam sepiæ. O vere Basilicum Veritatis testimonium, ne dicam oraculum! Purpura enim Charitatis litera Electos, sepia piceatos, ac reprobos. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis*; si dilectionem habueritis ad invicem. Tot hæc nitet unionibus; quot actibus Charitatis Deo, & proximo copulatur. Immo totidem ad cœlestem thalamum ei patent ostia, quotquot emicat Unionibus. Singulæ enim portæ Jerusalem, singulæ Margaritæ, seu uniones sunt, testante D. Joanne Apostolo: *Duodecim portæ, duodecim Margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis Margaritis.* Ut vel inde constet, his portis & non aliis, ad cœlestem patriam patere aditum. Defectu horum Unionum, seu Charitatis hodiernus sordidatus obmutuit. Quia ut scribit Euthymius: *In corruptilibus nuptiis respondere quispiam posset, quod digna stola difficilis inventu foret; in his autem incorruptibilibus nuptiis ablata est omnis excusatio.* In proximo namque est is ornatus, & inventu facilis, si modo ex animo quispiam illum quærat. Sufficit enim ad nuptias istas si vel centonem in corpore circumtulisset, dummodo animam aurea ornatam cyclade habuisset.

Charitas janua cœli

Apoc. 21 v. 21.

Euth. h. l.

XII. Defectu hujus vestimenti, & non fidei compeditus, & missus est inurbanus hic hospes in tenebras exteriores. Nam cum alii omnino se excusaverint, aut elongaverint ab his nuptiis, alii accesserint, & accubuerint, nullos alios per priores interpretari possumus, quam infideles, hæreticos, Apostatas, à communione Ecclesiæ prorsus avulsos,

avulsos, & anathematizatos ; nullos item alios per accedentes sano judicio intelligere possumus, quam fideles, credentes, de mensa domini participantes ; & vestem laceram Charitatis circumferentes. Is sensus Joannis Damasceni est in hæc verba sensum suum evulgantis : *Qui noluerunt venire sunt hi, qui credere noluere, sed perseverant in hæresi. Qui autem vestem non habuit fidelis, qui peccatis coinquinavit vestem candidam in baptismo acceptam, & ideo meritò pellitur.* Qua item de causa Amicum nominat : *Amice quomodo huc intrasti?* quem tamen reprobat, & damnat ; nisi quia fide conjuratus illi extitit, non charitate. Quasi diceret, Interprete D. Gregorio : *Amice per fidem, & non Amice per operationem.* Cur item ligatis manibus, pedibusque mittit in tenebras, & noctem in qua nemo operari potest, præterquam quod opera Charitatis exercere neglexerit, & ad quævis flagitia perpetranda discinctus fuerit. Æquissimum enim est, ut eum liget pœna, quem antea ad bona non patranda fasciaverat culpa.

Damasc. in Vita Barlaam

S. Greg. hom. 38. in Evang.

XIII. Frustra te igitur, ah frustra ô miser humoncio defêdo; frustra quasi mercari non potueris obtendo, quum omnibus prostet hæc vestis, absque auro & argento, venalis. *Venite*, ait ipse Spõsus, *& emite absque argento, & auro.* Incassum Paupertatem tuam adduxi, quum apud Superos fortunarum incitæ maximo sint in pretio, sola paupertas animæ in odio. Incassum, quod intrusus fueris insperatò, obtendo, quoniam hanc vestem nunquam deponere debueras, Incassum Thronum Clementiæ appello, qui in illis nuptiis solis electis, & dilectis patebit. Jam te igitur ejuro ô miserrime; vade miser, quò Rex jubet, da manus in vincula, collum in catastas, pedes in compedes. *Ligatis manibus & pedibus proiicite eum.* Vade miser in æternam damnationem : *In tenebras exteriores.* Succumbe decreto Domini in omne ævum : *Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Isa. 55. v. 1.

XIV. Jam averto oculos meos à te, & ad vos Auditores meos obverto. Vos ultimò alloquor; vos percontor, quem putaris in hoc uno mendicabulo figuratum? Nonne, ut dixi, omnes, quorquot exuta chlamyde salutis, ac pallio charitatis centonibus sese flagitiorum opperuêre? His omnibus Rex Deus, & homo Christus, Judex vivorum & mortuorum tempore districti judicii sui improperabit. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem.* Qua fronte incoram me cum hac lacerna scelerum præsumis accedere? Ubi vestis candida, quam in sacro fonte tibi contuli? ubi purpura, qua te indui? ubi versi colores vestes, quas tibi comparare debueras? Num fila tibi deerant? At hæc ducere in dies piis poteras cogitationibus, desideriisque sanctis extendere? Num purpureus color, aut coccineus? At illum de cruore meo mutuare potueras, & debueras. Num vellere destituebaris? At illud ex Agni immaculati corpore tondere, ac desumere pollebas. Quomodo huc intrasti? Num te latebat neminem suscipiendum, qui hac indutus non fuerit? In vulgaribus civium nuptiis honestè

nestè, ac pompose quivis se exornat, & ad regales sordidati admittentur? Quomodo huc intrasti? Politicus es ejurato mundo & pompis ejus, in sanctitate, ac justitia mihi deservire, voluntatemque meam in cunctis explere, & quomodo stetisti promissis? Num furibus, ac latronibus nuptias filii mei consecravi? Num in hunc finem eundem crudelissimæ lanienæ exposui, quatenus flagitia serperent licentiosius? Num idcirco ex Erebi faucibus vindicavi, ut iteratò cum illo fœdus inires, teque illi mancipares? *Quomodo huc intrasti?* Responde.

XV. Quid ais? quid reponis? Adamus ad dei Tribunal evocatus criminis admissi rationem redditurus, quantum potuit se subduxit, & confusione plenus delitescere sub ficu intendebat, quantumvis unius criminis reus; quomodo igitur tu miser coram eo irato comparebis de tot, tantisque sceleribus tuis rationem redditurus?

Fratres Joseph, quamvis jam pœnitentes, memorers olim irrogatarum illi injuriarum timore nimio perculsi, suis sceleribus calamitatem, quam patiebantur, imputabant: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Audita verò contestatione, quod ipse esset Joseph; *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægypto:* prorsus obmutuerunt. Quid tu infelix peccator dices, quum tibi divinissimus Joseph coram angelis suis improperabit: Ego sum DEus tuus, quem toties tamque nefariè in terra vendidisti, irritasti, convitiis onerasti; quis tunc te tremor agitabit? quæ tum formido præcordia pulsabit? quomodo vocem tibi omnem Majestas illa intercipiet?

Gen. 42. v. 21.

Gen. 45. v. 4.

Ananias, & Sapphira convicti à S. Petro mendacii, vel præ pudore, vel præ dolore, & timore spiritum exhalarunt. Quomodo tu impie millies animam non ages æternis mancipandus incendiis. Nonne cum hodierno Sordidato minimum in Sigalionem evades, etsi in tenebras exteriores, flammasq; inocciduas non proturbabere.

Ergo dum tempus est texamus nobis hoc paludamentum nuptiale, si lacerum resarciamus; si attritum, renovemus; si perditū, recuperemus; quatenus digni inveniamur admitti ad nuptias Agni, qui cum Patre, ac Spiritu S. vivit in sæcula. Amen.

* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * *
* * *
*

CON-

CONCIO XLIX.

IN DOMINICA XX. POST PENT.

Incipiebat enim mori. Joan. 4.

ARGVMENTVM.

Criſes Infirmitatum diſcutiuntur.

NObiliſſimum æquè ac ingenioſiſſimum Medicinæ ſtudium eſt, quod ex certis quibuſdam indiciis, ſeu pugna, vires inter naturales ac morbi malignitatem de eventuro ægrotorum ſtatu, vel in bonum vel in malum auguratur. Aud. In eo verſatiſſimos crediderim adſtitiſſe Evangelici Reguli filio, qui ex omnibus ſignis impendens eidem conjecturantes periculum, de vita ipſius conclamarunt; & ad certiorem accerſendum Hippocratem compulerunt: *Incipiebat enim mori.* Oculorum acies fracta, inquiebant illi, arteriarum pulſus interruptus; aut prope nullus, frequentata anhelituum deliquia, aliave haud vana prognoſtica fatorum evulgant imperium. Actum prope de eo eſt. *Incipiebat enim Mori.*

Quod autem in corporis ægritudinibus, vitam, aut mortem corruptibilis carnis concernentibus uſuvenit, idipſum congrua ratione, ac proportione ægrimoniis animæ ad vitam, aut mortē imortalem traducentibus imputari poteſt. Suæ & iſtis Criſes ſunt, incuſſi, atque in verbo Divino, ſanctiſque Patribus ſolidat Aphoriſmi. Cum verò non pauci in animo ſuo conflictentur, medullitus concupientes ſalutem ſuam in tuto locare, & ſcire an bona vel mala morte multandi, vel ad vitā, quæ verè vita eſt, reſurrecturi fins, vel non: complures verò ſequeſtrato omni judiciorum Divinorum timore vivant, cum ad ſolatium illorum, tum ſalutarem timorem hiſce ingenerandum, induxi in animum ejuſmodi Criſes adducere, ex quibus unuſquiſque nullo conjecturus eſt negotio, quam fiduciam concipere, vel quo tenore percelli debeat. An ſurrecturus ad æternam ſalutem, an (quod ſuperi avertant) morte ſempiterna obiturus.

§. I.

Criſis prima ſtatuitur.

II. In principio ſi quiſpiam infirmorum daretur, in quo antidota quævis, quantumvis efficaciſſima, ac pretioſiſſima, nullum non modo effectum bonum, ſed & contrarium ſortirentur, id pro-

Criſis mala eſt remediis nihil proficientibus

profectò siniſtrum prognoſticum foret; & medicum ad criſim potius de morte inſtante, quam vita recuperãda, ferendam induceret. *Solentia juvare* (docet Archi-Medicus Hippocrates) *ſi ſuo tempore non juvant, ſignum mortis exiſtunt.* Ex adverſum verò pharmacis effectum ſuum ſortientibus, in ſpem deveniunt infirmitatis paulò poſt infringendæ, & ſanitatis priſtinæ obtinendæ.

Quod ſi itaque apud nos homines (innumeris propè in animo infirmitatibus, ac languoribus obnoxios) idipſum accidat, & Spiritualia alexipharmaca in ſalutem animæ operentur, nec perinde ac in emortuo corpore inefficacia deprehendantur; prognoſticum propè evidens eſt, ex quo omen futuræ beatitatis, ac vitæ indeficientis deſumere poſſimus. Secus verò ubi quævis medicina, utut aliis efficax irrita fuerit, ſpes prope omnis vitæ, ac ſalutis præciſa exiſtimabitur.

Hipp. li. 2. Aphor.

III. Diſtinctis Aphoriſmus hic Hieroglyphicis, ſeu parabolis in Teſtamento æquè novo, ac veteri demonſtratus eſt. In illo per Iſaiam Vatem in parabola Vineæ eundem Dominus populo Iſraëlitico propoſuit, in hunc modum: *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei*, id eſt in monte excelſo, & ubertimo; *& ſepivit eam*, neforte pateret incurſibus beſtiarum; *& elegit lapides ex illa*, obſtacula quavis amovendo, *& plantavit eam electam*, ſemine vero & vitibus optimis, ne degeneraret; *& ædificavit turrim in medio ejus* in ſpeculam cuſtodibus illius, ac habitationem; *& torcular exſtruxit in ea*, ad exprimendos botros illius. Sic cum per omnia excoluiſſet, ac de neceſſariis adminiculis providiſſet, *expectavit ut faceret uvas*, (& quæ indignitas!) *illa fecit labruſcas*, amaros & ſilveſtres botros produxit. Hac improbitate commotus cœleſtis Paterfamilias, vel ad eam evulgandam, vel ad conteſtandam ſuam bonitatem, ac clementiam concilium coêgit populi Iſraelitici, quatenus ipſi in cauſa tam evidente decernerent, vineamque illam ſuo decreto conficerent. Ait enim illis: *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Ecquod vinitoris officium intermiſi? quid in vinea colenda neglexi? quid ei præſtare debui, & non præſtiti? Arguat me cœlum, quod illam operit, aër quæ circumdat; imber quo conſperſa eſt; omnis creatura alia, ſi meis muneribus defui. An forſan in hoc peccavi, quod expectavi uvas? hæccine eſt culpa, hoc peccatum meum, ſcilicet longa expectatio fructuum, & nimia mea longanimitas? Tandem & Superis & Inferis hanc indignitatem fulminantibus decernit: *Et nunc attendam, quid faciam vineæ meæ. Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem, diruam maceriam ejus; & erit in conculcationem: & ponam eam deſertam, non putabitur & non fodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ, & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.*

Iſai. 5. v. 1. 2, 3.

Ibid. v. 4

Iſ. v. 5.

IV. Per hanc Vineam, Iſaia ipſo Interprete, deſignata eſt Synagoga Judæorum. *Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt.* Hanc ſepe circumdedit, quando ei legem, ac præcepta, perinde ac ſepem, qua muniretur, &

Ib. v. 7. Vinea Synagoga

in

in officio ac pietate contineretur; contulit. *Turrim ædificarit*, quando ei Doctores, ac custodes præfecit: *Torcular erexit*, quando templum, & altare, in quo victimarum sanguis exprimebatur, eduxit &c. Ex hac Vinea præstolabatur Deus, post tantos labores & gratias, uvas suaves & stomacho suo gratas. sed reperit insipidas, ac amaras molestiam, ac nauseam moventes. Id est expectabat à populo Judaico dulce vinum virtutum, fidei, spei, ac bonorum operum, ipsi vero acetum infidelitatis, ac amurcam scelerum progerminarunt. Eapropter abstulit sepem ejus nudando lege, ac protectione sua, ut vastaretur à Romanis, & tranferretur ad gentes; mandavit nubibus ne pluerent super eam, denegando ei cœlestem doctrinam; & ita deseruit, ut ultra nec resecet, seu compescat luxuriantem eius malitiam: nec cor suffodiat ut compungatur; non excolat ultra. sed sinat vepribus ac spinis peccatorum ac infidelitatis oppleri, ac suffocari. Siquidem tanto labore, ac impendio ad frugem minime sese recepit, reprobata omnino desertaque est. Subruta turris videntium seu vatum, sublatum sacrificium, sacerdotium, & regnum; vites residuæ per orbem terrarum disjectæ, aut flammis addictæ.

Synagoga cur deserta

V. Hæc vinea subinde alium in locum inter gentes transplantata, & longè latèque per Christum, & per Apostolos ejus diffusa. In qua ut idem prædixit Isaias sepis loco: *Salvator ponetur in ea murus, & antemurale.* In qua torcular Christi crux est, cujus prælo premuntur marthyres, Virgines, omnesque Christi sequaces, indeque vinum gaudii exprimitur. In qua lapides sustulit, idola nimirum, ac peccata Divini cultus impedimenta. Verbo Vinea Domina sumus. Nos ab eo plantati in arbore crucis, nos irrigati sanguine Unigeniti Filii ejus, nos gladio ancipiti Verbi Dei toties putati, nos harpagine afflictionum identidem pastinati, nos luce fidei illustrati, calore charitatis succensi, plurimorum vigilum tutela muniti, ita ut graviore cum pondere nobis exprobrari possit: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci? Si in Tyro & Sidone hæc facta fuissent, in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Si minimam gratiæ partem, quam vobis contuli, alii dispensassem, in angelum paradysi evasissent: *Quid tibi ultra debui facere* &c. Si igitur nec fides nos movet ad executionem, nec passio Christi ad odium peccati, si nec affusus SS. Verborum imber ad ubertatem, nec pastinatio ad emendationem, si nec prædicatio dat compunctionem, nec SS. exempla stimulent ad imitationem; si nec infernus excitat ad timorem, nec paradysus inflammat ad sui amorem, si hæc omnia perverso usu. ac depravatæ voluntatis vitio irrita prorsus, & inutilia reddantur: cogitate. quid vobis sperandum, vel potius timendum sit. Nam si illis exprobravit Dominus, quod minus efficacibus mediis abusi, quid nobis expectandum, qui ipso mediatore & sanguine ejus abutimur! Si illi fulminati, qui umbram gratiarum explodebant; quid nobis non timendum, qui ipsam veritatem fugillamus! Si illos anathemate, & temporaneæ,

Matth. 11. 22

Vinea Christi Ecclesia

Isa. 26, 1.

& æternæ damnationis feriit, nos indemnes sinet? Major abusus gratiarum majorem deposcit acerbitatem pœnarum. Et quo major Dei est benignitas in nos, hoc gravior futura est ultio, si benignitate, ac gratiis ipsius abutamur.

VI. Eandem veritatem similitudine telluris illustravit Doctor gentium: Hebr. 6. 7. 8. *Terra*, ait ille, *sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à DEo, proferens autem spinas, & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consumptio in combustionem.* Per hoc terræ benedictæ, ac reprobatæ discrimen intelligunt SS. Patres diversitatem electorum ad vitam, ac reproborum, seu præscitorum ad mortem, eamque sempiternam. Quænam verò terra illa? nisi Ier. 22. cui dicitur: *Terra, terra, terra audi verbum Domini.* Quis ros aut imber! nisi gratiarum cœlestium influentiæ de quibus sponsus: Cant. 5. 2. *Caput meum rore plenum est.* Quæ sunt herbæ opportunæ præterquam illæ, de quibus in spiritu gloriatus est Isaac: Gen. 27. 27 *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Qui tandem tribuli, certè illi de quibus Sapiens; Prov. 24. 31. *Per agrum hominis pigri transivi, & ecce urticæ totum repleverant, & operuerunt superficiem eius spina.* Descendat in ejusmodi terram bonam, seu hominem bonæ voluntatis hic imber gratiæ, & is cooperetur eidem, ac fructum bonorum operum producat; *accipiet benedictionem à DEo*, majoris gratiæ, & cœlestis consolationis influxu ditabitur, virtutum ac meritorum copia cumulabitur. Ex adversum descendat idem ros gratiæ, ac inspirationum divinarum in terram seu hominem terrenum improbum, & is nequicquã cooperetur, sterilis persistat; vel telluris instar tãtò crassiores vapores cœlo, & nebulas offundat; quantò nobiliores ab illo imbres, plusque fœcunditatis accepit; profectò maledicto fit proxima. *Terra proferens spinas &c.* Si nihilum proficiant sacræ adhortationes, si necquicquam internæ allocutiones, sin frustranea sunt exempla sanctorum, si percussus grandine tribulationum non sentit, nec evigilat; si quævis medicamenta vertat in toxica, si nec proposito redemptionis nostræ pretio resipiscat, actum est de illo, aut tam certò periclitatur, quàm verè apta & opportuna erant omnia, quibus à licentiosa vivendi ratione meliori vitæ redonaretur. *Terra proferens &c.*

VII. Perbellè autem, & appositissimè proposito meo in metaphora à medicina desumpta idipsum nos edocent Tutelares illi prostitutæ meretricis Babylonicæ Genii. Hi adhibitis omnibus mediis, cum operam se ludere cernerent, ingemiscere sunt coacti. Mich. 1. *Desperata est plaga eius*: Ier. 51. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Adhibuimus omnem operam ac fomenta, observavimus radicatum ipsius malum in intimis fibris, deprehendimus solentia juvare, in ea nec hilum proficere: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Quæ verba expendens vetustissimus Origenes unicuique nostrum insusurrat, ita scribens: Orig. h. 3. in Ierem. *Vide ô homo,* (& contremisce) *ne*

quando

Abusus gratiarum Divinarum

Quando Angelis præcipiat Deus, ut ad languorem animæ tuæ medicaminum emplastra conficiant, si quomodo possis ab ægritudine sanari, & respondeant Angeli: Curavimus Babylonem & non est salvata. Vide ne tam altè infixum sit virus tuum, ut nec sal cælestis sapientiæ, ac prophetica illa Borith, nec nitrum minarum, ac judiciorum divinorum, nec supremi cineres mortis, nec cætera ejusmodi tibi possint mederi. Vide ne perinde ac alter Iscarioth particeps ministeriorum Dei existens in malitia tua obfirmeris, & omnem operam ipsius cælestis medici ludas. Vide, & cave ne quando mensuram scelerum impleas, ne te deserat medicus, sive Angelus Dei, sive quicunque hominum, cui credita est cura sermonum ad salutis medicinam deferendam, si enim te dereliquerint; & dixerint: Abeamus unusquisque in terram suam, quia appropinquat in cælum judicium ejus: Judicium inquam primum, latum, *quia venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, manifestum est, quia absessio eorum condemnatio tua est ut irremediabilis, nolentisque curari. Cum autem te deseruerint, quid tibi aliud eventurum est, nisi quod solet his accidere, qui à medicis desperantur, utentes voluntate morbi sui, ut ad pejora demergantur, *quia insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, curationum utilitas non est tibi*; ideo prope certa instat condemnatio tua.

Medicorum abusus notatus

Ioan. 3.

Ier. 30.

§. II.

Crisis alia mortis decernitur.

VIII. Crisis altera Proto-Medicorum pessima est, si patiens sanitati pristinæ quadantenus redditus in eundem morbū, idq; iterū atq; iterū reincidat. Ex Hippocrate est, quod sequitur: *Hermocratis decimo quarto die liberatur à febri, septimo decimo rursū febricitavit, vigesimo febris expers, quarto & vigesimo rediit, tandem septimo & vigesimo moritur.* Æquâ ratione in gravissimo periculo æternæ damnationis versantur qui uno, pluribusve morbis animæ confecti, proripiunt equidem sese, sed rursus perpetuâ quadam cadendi, surgendive commutatione relabuntur. *Nullum*, ait Cyprianus, *malum difficilius extinguitur, quam quod faciles reditus habet.*

Relapsus frequens damnationis signum Hipp. ubi sup.

Cypr. l. de spect.

IX. Redintegrata illius paralytici ægritudine, Dominus saluberrimo eū munivit consilio dicens; *Noli peccare, ne quid deterius tibi eveniat.* Noli peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Sanare indignus est, qui semet ipsum, postquam curatus est, vulnerat, mundari non meretur, qui se ipsū post gratiam sordidat, indulgentiæ thronum sibi præcludit, qui post veniam iteratò præsumit offendere, aut benefacta maleficiis compensare. quoniam autem hic Paralyticus peccatorem refert, jure quispiam scisciari posset, quid gravius reformidare Cadisurgius queat quam ut annis triginta

Ioan. 5. v. 14.

octo summis in doloribus decumbat, membris omnibus dissolutis, ac paralysi obnoxiis. Nulla enim major infirmitas est, quam firmiter infirma, nec gravior quàm quæ omnibus est gravida membris. Quid itaque deterius obvenire potest, nisi damnatio æterna! Quasi diceret, ait Labbata: *Noli amplius peccare, ne æterno damneris supplicio* signum est, in eadem peccata frequenter relabi. *Lab. v. Recidivatio*

X. Idem Dominus ac Redemptor noster videns vacillantem illius Juvinis animum, jam ad jugum ipsius, jam mundi propendentem, absolutè de eo illiusque germanis enuntiavit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei*, id est ut interpretatur Greg. M. qui per quendam compunctionis vomerem, ad proferendos fructus sui cordis aperit tellurem; & post exordia boni operis ad mala revertitur, quæ reliquit seu qui post peractam suorum peccatorum pœnitentiam ad dimissa revertuntur peccata, apti esse nequeunt, & candidati regni cælorum. *Nemo mittens manum suam.* Mutabilia, atque inconstantia neutiquam quadrant firmamento. Firmum, ac stabile sit necesse, quod ad perpetuas assumendum est mansiones. Adamantes & uniones, non lutum adaptatur ad atria cælorũ. *Nemo mittens &c.* Qui ad excelsa enititur, ubi primùm vertigine rotari occeperit, præcipitio sese obnoxium reddit, & qui in via perfectionis titubat, gravissimis casibus succumbit. Et si in eadem non progredi, est regredi, certè relabi perire erit. *Nemo mittens &c.* *Luc. 9: 62.* *Greg. hom. in Ezech.*

XI. Ex S. Ioanne Archi Notario id habemus quod cohors militum à Iuda ad Christum Dominum capiendum educta, unicò, alterovè verbulò prostrata sit. *Abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.* Fructuosè hic Asceta quispiam meditari posset, quidnam casus hic retrogradus, ac supinus portendat, cur non in faciem prorsum, sed retrorsum resupinati sunt! Et piè hic primum sibi persuaderet, quod hostiarum instar procubuerint veluti cultum expectantes. Litari poterat violatæ à conscelerato Iudice Majestati, unius integræ cohortis morte! sed non ideò illa placata fuisse divinitas, nobiliori victima resarcienda ea erat amicitia. Victimæ istæ quæ jacent, omnes furvæ sunt, omnes maculosæ, arcendæ ab hac ara sospitatis humanæ! ideo, ut quod latebat in pectore (ne quis falso crederet legitimas esse) omnibus innotesceret, resupinandæ erant. Vel potius eò factum consilio, ut ita prostrati oculos in cælum refigerent, qui eosdem ad Tartara deflexissent. O felices si saperent, quibus cælum in ipso casu datum est intueri, felices si astra, igneque collucentes respicerent, qui mortalium animos sceleris solent arguere, nescio quâ tacitâ eloquentiâ, utpote divinis laudibus destinata. Verum illi ignorant quid sit cælum, aut si norunt averso illo casu superbiam ostentantes contemnunt, & ut liberè dicam, oculus cælo inassuetus immane quantum hoc affligitur casu. Alter forsitan rectius meditabitur id evenisse ad ostentandum impudens os eorum. Erant enim ex iis de *Ioan 18. &.* *Milites cur retrorsum resupinati.*

quibus

Psal. 72. v. 9

quibus cecinit Psaltes: *Posuerunt in cœlũ os suum, & lingua eorum transivit in terra.* Aut etiam ad ostentationem ignorantiæ peccatoris, qui nescit, quo cadat. Ex Isaia colligo accidisse ad summam eorum infelicitatem, ac occasum demonstrandum. Mortuos enim resupinatos condimus & interfecti ignavum in modum, ut plurimum retrorsum concidunt. sic enim ille: *Cadant retrorsum & conterantur, & illaqueentur, capiantur.* Qui cadit in faciem adminiculo manuum vulnera, aut graviorem lapsum avertit aut cadit voluntariè, ut eo altius assurgat. Et hic casus sanctorum est, qui cum Assertore, suo identidem proni corruunt, habitu ipso demissionem protestaturi, *aut posituri in pulvere os suum. si fortè sit spes*; aut ostenturi, quod mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, aut subtractum caput à romphæa stricti judicii Divini, aut certè testaturi, cum regio vate quod *vermis sint, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*, & brevi in pulverem redituri. Casus verò impiorũ est resupinari, ubi nec videant, quò sternantur, nec adminiculo uti possint, quo fulciantur, vel retineantur. *Cadant retrorsum & conteranour.* Quemadmodum itaque casus hic indicium est mortis, & interitus, non secus relapsus in peccata. Retrorsum enim, unde surrexerunt, relabuntur. Sat luculento id testimonio confirmat Ecclesiasticus in hæc verba: *Qui transgreditur à iustitia ad peccatum; Deus paravit eum ad romphæam.* Vir transfuga à justitiæ, ac probitatis labaro ad vitiorum latera, Orco destinatus est in victimam, non cœlo in gloriam.

Isa. 28. 13.

Cur proni in faciem cadamus

Thren. 3.

Relapsus omen pessimum

Eccl. 26. 27.

XII. Adumbrasse id credo Dominum in uxore Loth, *quæ respiciens retro versa est in statuam salis.* Nam quid quæso flagitii erat, quod mulier insolito timore perculsa, & rei novitate attonita, oculos ad fragorem, & contuendas urbis flammas reflexerit? Quis nostrum ad inauditos post tergum ejulatus, ac lamenta non idem factitaret! Cur ergo tam stupenda metamorphosi conversa in statuam; seu ut sapiens loquitur: *Figmentum salis.* Profectò hac imprimis de causa, ut universum genus humanum condiret & unius fœminæ licentioris casu edoceret, quanti periculi sit, post delerta improborum commercia, post perceptam criminum indulgentiam, post redintegratam cum Deo amicitiam, oblatam ultro gratiam perfidè profligare, sepulta Divino munere flagitia resuscitare, Authoremque tantæ salutis recentibus lacessere injuriis. *Ad quid pertinet* (scribit Affricanum lumen) *quod prohibiti sunt, qui liberantur ab Angelo respicere, nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerationis exuimur, si ultimum iudicium evadere cogitamus.* Ea de causa mulierem ad fulminatas urbes oculos retorquentem, non in lapidem aut metallum, non in saccarum, aut panem Martium, quod forsitan affectarent, ut aliis placerent; non in bestiam, ut Nabuchodonosorem; sed in salem transformavit, ut eo pacto fidelibus quoddam exhiberetur condimentum, quo saperent & ipsius

Gen. 19. loth uxor cur punita

Sap. 17.

Aug. li. 16. de Civ. Dei c. 30.

ruina universorum fieret disciplina. *Statua salis facta est* (subdit Idem) *ut illius contemplatione condiantur homines ut cor habeant, nec sint fatui, nō respiciant, ne malum exemplum dantes ipsi remaneant, & alios condiant.* Itaque statua illa instar speculi omnibus viventibus proposita est, quod pœnitentes intueantur, & ex eo discant, cuius periculi sit, post tantam Domini misericordiam & gratiam (qua nos neutiquam à conflagratione urbium sed ipsius gehennæ incendio vindicavit) eundem Dominum iteratò lacessere, & ad iracundiam provocare. Nam si mulier morte temporali punita est, quod faciem ad ea, quæ semel deseruerat, retorsit, quid expectandum Cadisurgio, seu Epileptico? quid sui ad volutabrum criminum, seu cani ad vomitum revertenti? Quid illi qui decies, vigesies. & supra sanguinem Testamenti quasi pollutum duxerit, in idem scelerum cœnum immersus fuerit? An non timendum ne graviore fulmine feriatur, ne audiat: *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei?*

Bern. ser. 62. in Cant.

Hinc saluberrimè Marianus Doctor cuivis fidelium in aurē exululat: *Time cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertetur*: q, d. O fidelis anima, quæ te in felicissimo Divinæ gratiæ statu versari non vanè confidis, & à morbis animæ tuæ vindicata es, time, ne iterato reincidas; *Time cum amiserit gratia?* Time multo magis, si per scelus tuum illam profligasti? *Time cum abierit.* Attende ubi rursum recuperaveris. *Time cum denuo revertetur*, ne forsan deterius tibi aliquid contingat.

§. III.

Crisis tertia perditorum

XIII. Fatalis tertio apud DD. Medicos decisio est, si tempus curationis evolutum sit, & neglectum. Inveniuntur nonnulli infirmantium, qui nunquam antidotum ex pharmacopolis adhibere, aut Medicum consulere volunt, aut curam sui de die in diem differunt, persuasi morbum haud esse tam periculosum, quo ad animam propè exhalaverint. Tunc imprimis ad Medicum non tam itur, quam volatur, tunc uno eodemque articulo temporis cuncta præstari, adhiberi, & fatiscentem viribus, ægrum incolumitati, moribundum vitæ restitui cōcupiunt. Quo tempore DD. Galenistæ vix aliud *recipe* præscribunt, præterquam illud vulgatum: *Sero medicina paratur, cum mala perlongas invaluere moras.* Jacta est alea: *Venit summa dies, & ineluctabile fatum.* Nisi superi remoram fatis injiciant, periodus ultima scribitur vitæ. *Medicare* (ait Hippocrates) *in valde acutis, si materia turget, eadem die. Tardare enim in talibus malum est.*

Signum reprobationis: Tempus neglectum.

Hipp. Apho 4. aph. 18

XIV. Idem omninò evenit in multis aliis spirituali morbo languentibus. Abutuntur divinis miserationibus, cursum hunc, stationem, exilium, patriam ducunt, & pœnitentiam de die in diem differunt, quoad lingua hæsitet quovis in verbo, quoad auris obsurdescat, quoad oculi frāgātur, & sēsus cæteri deficiāt. Tūc primū perindeacad hodierni

hodierni Reguli filium, quando incipiunt mori, medicus spiritualis accersitur, tunc apothecæ frequentantur, tunc de salute consulitur. Verum quid inde spei, ac solatii! Illud sane, ut quéadmodum in ægrotatione corporis extrema aliqua quidem fomenta adhiberi possunt nunquam aut perraro constante succedente valetudine: æqua ratione supra peccatorem inveteratum poterit quidem crux festinata formari, poterunt nonnulla piorum affectuum, aut actuum malagmata adhiberi, Verum salutem, beatitatem, nec ego, nec magnum Ecclesiæ Lumen Augustinus illis pollicéri præsumit. *Qui positus* (ait ille) *in ultima necessitate ægritudinis suæ, acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, id est, exit de corpore, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumo dicere, quod bene hinc exit. Non præsumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. An securus hinc exeat, ego non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem non possum.* Quid dico attendite, numquid liberabitur? non dico, sed nec liberabitur, dico. Subdit deinde saluberrimum consilium. *Vis te ô frater omni dubio liberare, age pœnitentiam dum sanus es, dimitte incertum, & tene certum.* Pœnitentia sera raro vera. Quem sero scelerum pœnitet, perrarò serio pœnitet. Nam ut idem explicat: *Pœnitentia quæ ab infirmo petitur infirma est, & timeo, ne cum moriente & ipsa moriatur.* Qua enim ratione ad pœnitentiam tunc sese recipiet, quam sensibus prope destituta mens, vix ac ne vix quidem consueta naturæ munia obire possit. Quomodo in sua scelera vehementi doloris sensu exardescet? Quomodo penitius conscientiæ latebras scrutabitur, ut omnes sordes in aurem sacerdotis exoneret? quomodo reliqua implebit, quæ tam acrem, & erectam mentem ad tam laboriosum opus suscipiendum requirunt? An libero soluroque erit animo inter vagientium puerorum turbas, conjugis lamenta afflictæ, familiæque luctum? An blandiente mundo, sensibus vitæ prorogandæ spe delusis, prætendente pœnitentiæ tempus dœmone, dissimulantibus præsens periculum medicis & meliora sperare jubentibus, necessariis in id unum incumbentibus, ut vanissima spe fallant, omnibus morte propulsandæ intentis, piacularem ob scelera vitam aget, aut in amaritudine animæ suæ peccata sua detestabitur? Eheu pœnitentia hæc inconsulta est, infirma est, & timeo ne cum moriente & ipsa moriatur,

Aug. l. 2. de pœnit. in fine

Pœnitentia sera raro vera

XV. Perspecta est historia Energumeni illius apud S. Marcum quem discipuli Domini omni licet adhibita diligentia, omnique qua pollebant apud Deum virtute expellere non valebant, ut patet ex parentis pro filio deprecantis testimonio. *Dixi*, inquit, *discipulis tuis, ut ejicerent illum & non potuerunt.* Quo audito Dominus (cujus est nosse tempora & momenta) scisitatus est à quo tempore fuisset obsessus. *Et rogavit patrem eius quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit.* Interloquitur Glossa: *Non quasi ignorans interrogavit, sed ut diutur-*

Mar. 9. 16.

Ib. v. 20.

diuturnitas infirmitatis ostensa cautionem faciat. Verum quam obsecro S. Augustinus sæpenumero sustinet cunctos infirmos à Christo sanatos, omnesque mortuos resuscitatos, evidentissimum esse peccatoris symbolum, & quia inter unum & alterum palpabilis reperitur dispatitas, ita ad redonandum meliori vitæ in uno magis, quam in altero efficacior exigitur virtus & potestas. Dominus itaque intelligens Apostolis pares tanto maligno profligando defuisse vires, apposite & sapienter interrogat: *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit,* quod spiritus malus eum apprehendat, illudat, strideat dentibus, & arescat! Ut ex patris responso ab infantia contestantis mali induratio liquida evaderet, & difficilior sanandi modus. Quanto enim morborũ malignitas magis invisterata fuerit, tanto efficaciora exquirit remedia.

Quod dico in corporalibus evenit ægritudinibus, idipsũ in spiritualibus, quæ uti consuetudine callum obduxerunt, nonnisi extraordinaria Dei virtute tolluntur, aut cum ipsa anima expelluntur. Quia ea est vis illius, ut nec resurgere, nec respirare sinat, quoad omnipotentis dextra conteratur. *Vnde pœnitentia, quæ ab infirmo petitur infirma est, &c.*

XVI. Competentissimus vobis est fatalis exitus impii Achan anathemate obnoxii: sed est quod in eo observetis velim. Tantum huic supremum Numen indignatum est, ut Josue exercituum Duci intimarit, nullam & concessurum palmam victoriæ, quamdiu is lapidibus obrutus non fuerit. *Anathema in medio tui est Israel, non poteris stare coram hostibus tuis donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* Achan percepta hac Dei sui potestatione, & totius populi indignatione, & non paucorum cæde, tacitus sacrilegium dissimulat, nec clam, nec propalam manifestat. Tandem missis jubente Domino ad investigandum transgressorẽ sortibus, & in caput ipsius devolutis, urgetur, ut fateatur crimen suum. Quod ei præstitit, cum non exigua, eaque publica pœnitentia confessione, *Vere,* ait, *ego peccavi Domino, & sic feci: Vidi inter spolia pallium coccineum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & abscondi in terra.* Quibus omnibus dicto modo inventis, & igne absumptis, ipse quoque lapidum grandine obrutus est. Josu. 7. Ib.

Res hæc, ut admiratione digna, sic & mysterio plena videtur, quod Divina bonitas tam rigidam sese in eum exhibuerit. Anne enim novum quid militibus furari, ac deprædari & mereri veniam? An non multi impuniti abeunt etiam sacrilegi? An non crimen suum palam confessus est? Verè ego peccavi. Non mentior, in veritate dico, me violasse mandatum Numinis. Cur ergo tantopere in eundem excandescit Numen? Cur pœnitentia ipsius, & confessio rejicitur? Cur morti adjudicatur? *Deleatur ex te, qui contaminatus est hoc scelere.* Rupertus Abbas causam adducit, quod ipsius Exomologesis nimium tarda fuerit, nec

tam

Rup. l. 1. in Ios. c. 21.

tam sponte, quam coactè culpam fassus fuerit. *Non tamen ullam veniam mereri debuit, scribit ille, quia videlicet confessio nimis tarda.* Ante enim turbatus est Israël, antequam ille reatum suum agnovit. Ante sors veridica Deo authore prodidit personam, quam ipse culpam. Deus ut commissum fuerat furtum, illicò id, tacito rei nomine divulgavit. *Peccavit Israel, & prævaricatus est pactum meum.* Et nihilominus Achan silet. Turbatur interim exercitus, Achan silet, & furtum abscondit. Jaciuntur sortes, Achan silet, fit inquisitio, diræ intentantur, Achan silet, quoad sors supra ipsum cecidisset. Tum primum scrutinio Divum detectus & à Josue adjuratus errorem suum agnovit, & confessus est: *Verè ego peccavi.* Sed venia indignus est habitus, qui confessionem *non nisi tardè fecit, & adactus. Mereri veniam non debuit, quia confessio tarda fuit.*

XVII. Ponderate, ponderate hoc factum peccatores, qui exomologesim à mense in mensem, ab anno in annum, à lustro in aliud ad extremum usque agonem malesana transfertis metaphora; & cavete ne paribus vos, & salutem animæ vestræ involvatis urnis. Cavete ne tum primum adjurati per Deum Quæsitori sacro crimina vestra confiteamini. Cavete ne cum hodierno Regulo tum demum ad Christum vos recipiatis, cum propè actum est Nam ut sanitas collata in extremis ipsius filio miraculosa extitit, ita non minus salus animæ in extremo collata prodigiosa. Nec illa, nec ista concursu ordinario obtinetur. Ut ad subitaneam, eamque instantaneam salutem corporis recuperandam requiritur efficacior concursus Dei, & naturæ indebitus; ita non minus ad resurgendum à peccatis in ultimo vitæ articulo extraordinaria Divina gratia & efficacissimum quoddam auxilium præveniens exigitur. Et hoc unde tu tibi impie polliceri præsumis? An ex meritis tuis? quibus destitutus es. An ab Angelo Tutelari tuo, ut ipse exoret? quem nullis non modo prolectas officiis, sed eius custodia, & correptionibus abuteris. An ab ipso Deo? quem tuis exacerbare sceleribus non cessas.

XVIII. At inquis latroni hanc contulit gratiam, ut in extremis resipisceret. Non pauci etiam alii putantur id obtinuisse, & nonnulli etiam post mortem ad pœnitentiam agendam resuscitati. Ote sideratum! ô amentem! Quis te hanc dialecticam edocuit? suscitatus est unus, aut alter ad vitam; Ergo & ego. Unus in extremis pœnituit; Ergo & ego. Cur nō meliore Syllogismo infers, & concludis: Plerique & prope omnes, qui pœnitentiam ad usque ostia mortis protraxere, mala morte cum Achan, Antiocho, & aliis functi sunt: Ergo & mihi nisi in tempore me ad eam recipiam, idem timendum est. Qui vixit ut cignus is in morte occinit ut cignus. Qui crocitabat cum corvo, in morte etiam cras cras suum ingeminat. Latroni uni ea gratia contigisse in scripturis legitur, ait Bernardus, ut nemo desperet; soli ut nemo præsumat. Illi promissum est, non tibi aut aliis, *Amen amen dico tibi.* Sub

Bernard.

Luc. 23. 43.

tēpus ipsius passionis, quo potētissimè sanguis Christi operabatur, *hodie*, non omni alio tempore, singulare hoc beneficium est non omnibus pervium, sed illi non omnibus similibus concessum; in die gratiæ, non quovis alio collatum.

XIX. Quocirca si quis ejusmodi erisi sese obnoxium sentiat, is sibi dum tempus est consulat. In corporalibus ægritudinibus datis ejusmodi signis actum est de vita, non item omnino in spiritualibus, nisi jam ad extrema deventum sit. Etsi enim hactenus remedia omnia cassa, & irrita inventa sint, poterunt etiamnum si volueris operari in te, & virtutem suam exerere. Si epilepsia hucusque laborasti, reincidendo in eadem peccata, divina adjutus gratia ita resurge- re potes, ut non recidas. *Ecce nunc* 2.Cor.6.vz
tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis ait Apostolus, nunc si seriò convertimur, vivemus. Ergo dum tempus est operemur bonum ad omnes. Ergo quæramus gratiam ejusdem inveniri potest, invocemus dum propè est. Ergo quodcunque potest manus nostra instanter operemur: Ergo monito sapientis edocti; Non tardemus converti ad Dominum, nec differamus de die in diem, subito enim venit ira ejus. Etsi una medicina habita est inefficax, aliam adhibeamus, relapsum caveamus, in tempore residuo, in sanctitate, & justitia Domino Deo nostro serviamus.

Fiat.

* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * *
* * * * * * * *
* * * * * *
* * * *
*

CON-

CONCIO L.

IN DOMINICA XXI. POST PENT.

Iratus Dominus tradidit eum tortoribus. Matt. 18.

ARGUMENTUM.

Quam æqua est ira Dominica, tam iniqua Servilis.

EST Domini, & servi iras hodierni Evangelii exhibet lectio. A. Excandescit Dominus in servum, & Servus in suum met consservum. Dominus ob debitum decem millium talentorum, crudelitatemque mancipii; Servus ob centenos denariolos mutuò concreditos. Dominus exacerbatus tradit servum suum tortoribus, quoad reddere universum debitum; & servus furore percitus suum consservum suppari multat supplicio. Uterque iratus, uterque plectit, uterque vindicat. Et tamen quum Servi hujus bilem universi fulminent, Dominum vel ea ipsa de causa summis efferunt præconiis. Quid est hoc? Itane non minus jura divina, ac humana telæ aranearum sunt, quæ fuci grandiores perrumpunt, & quibus culices minimi implicantur? Itane minus delinquunt irati Summates, quam Achivi? Vel Domino fas est irasci non Servo? Sic est Auditores mei, justa, & æqua potest esse ira Domini, servi nunquam. Licita est ira Dominica, non servilis. Quod ostendam.

Partitio.

II. Angelicus Doctor Iram partitur in eam, quæ prævenit rationem, & trahit eam secum ad operandū estq; in illius instrumentum. Hanc distinctionem mutuasse videtur à S. Gregorio, qui de ea ita scribit: *Ira cum delinquentium culpas exequitur, non debet quasi domina præire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad faciem jussa veniat.* Quibus verbis satis clare innuit iram aliam esse Dominicam, aliam servilem; bonam & utilem illam, perversam ac detestandam istam. *S. Thor. 2. 2. q. 15. a. 2.* *S. Greg. Ep. 126. ad Richared.*

§. I.

Ira Dominica justa.

III. Ira Dominica, bona & justa est quæ rationē sequitur, & mentem afflat in sanctissimis legibus tuendis; aut sacrarum rerum violatione prohibenda, Dei gloria propugnanda, injuria vindicanda, aliis ad meliorem frugem revocandis. Hæc enim divinam æmulatur iram, quæ zelat absque livore, irascitur citra ullam perturbationē, excandescit in hoc sæculo *Ira Dominica.*

contra insensatos, ne desæviat in futuro; & misericorditer exhibet temporalem severitatem, ne æternam inferre cogatur ultionem. Visitat in virga iniquitates eorum, quemadmodum Pater filiorum, & in verberibus peccata eorum, ne forte misericordiam suam dispergat ab eis.

Ira Dei quæ sit

Hoc sensu definit iram S. Augustinus, quando ita scribit: *Ira Dei est motus in anima, quæ legem Dei novit, cum eandem legem videt à peccatore præteriri.* Ira Dei est, non ea, quæ obstetricatur fulminanti naturæ, ut excandescat in hominem, aut rem aliam sed quæ ratione, & alto nixa consilio detonat. Ira Dei est quæ vindicat injuriam sanctissimis ejus decretis irrogatam, & Numen ipsum in animadvertendo æmulatur.

Aug. in Psal 2,

IV. Hujus nominis & coloris erat ille zelus Moysis, qui cum esset mortalium omnium mitissimus, visa tamen Dei sui injuria in detestanda Vituli idolomania, in tantum indignatus est, ut tabulas ipsius Numinis digito exaratas comminuerit, indignum reputans ea lege, ac gratia populum, qui transisset in similitudinem vituli comedentis fœnum. Vitulum autem ipsum combustum, & contritum usque in pulverem, sparsit in profluentem potissando ex eo transgressores, ut vel sic tandem saperent, quid adorassēt. Deniq; ad hæc omnia, in illos idololatras jā resipiscētes insurgēs, contrucidavit ex iis tria millia super viginti. Per Deum mi Moyses, quid facis? ubi nunc est patientia, ubi mansuetudo tua tantopere in sacris literis decantata? Quid demeruere tam sacra lipsana in pignus inauditum à sæculo tibi, ac populo tuo concredita? Si populus deliquit, an non alia pœnitentia iis injungi potuit, an non satis in ruborem dati, quod vitulum adoratum, à te epotare sunt coacti? Non inquit satis est, pereant una cum vitulo, qui desipuere ut vitulus; pereat & lex, impiis transgressoribus frustra evulganda, pereant sacra omnia, inter profanos idololatras locum neutiquam habitura. Quæ hæc indignatio? quis zelus? imo quis furor? Me certè, vel quemvis alium impotentem diceretis, si Evangelia hæc vel in alios ejacularer Verbi divini interpellatores, vel ea frustratim discerperem, hominum duntaxat studio ac labore impressa; at ille ipsius Numinis pollice exsculptas tabulas comminuit. Si hic in illos pueros discolos, & vitulizantes quispiam paulo acrius desæviret crisim vestrā vix effugeret; ipse vero in tot millena capita ferro animadvertit; & nihilo secius justo Dei judicio laudem tulit, ac gratiam. Unde istud? Inde sane, quia ipsius ira Dominica, & justa extitit, quia zelabat gloriam Domini, quia in scelera, non in homines detonuit,

Moysis ira in idololatras

V. Eodem nomine celebratur Phinees Eleazari filius Coadjutor fidelis Moysis. Hic contuendo Principem gētis suæ propalam fornicariæ miscēri, illico in ultionem assurrexit & mulierem una cum viro terræ affixit. Hic primus cum aliis Levitis in idololatras impetum fecit, & manus suas sanguine illorum imbuit. Quid inde? Sāguis hic aqua lustralis illi extitit in expiationem; chrysma in sanctificationē, oleum in augurationem. *Consecrasti*, inquit illi ac sociis ipsius Moyses, *manus*

Phinees zelus.

Exod. 32. v. 29.

Ira Currus igneus 4.Reg. 2.v. 11.

nus vestras Domino. Dextra hæc, quæ hactenus ferrum pro gloria Domini generose strinxit, jam deinceps hostias, & sacrificia illi litabit. *Consecrastis nma us vestras Domino*

VI. Compertum Eliam Thesbiten essedo igneo glorioſissimè in Æthera subvectum. *Ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in calum.* Scisciter quis iste currus triumphalis, aut à quonam adornatus? Quinam hi jugales, quibus subvectus est. Solvit nodum Diadochus, Et ait: *Iram quidem apud scripturam currum Israel, cum Elias in sublime elatus est, dictum esse legimus.* Currus iracundia justa est, quo tanto sublimius evectus est in merito, quanto intensius flagrabat in zelo. Huic equi ignei sancti videbãtur, quia flammeis ducebatur affectibus, & ideo non secus ac ignis ad superos est eluctatus: *Iram currum Israel, cum Elias in sublime elatus est, dictum esse legimus.* Currus quo alii glorioſius incælo triumphant, cuius defectu non pauci ad ipsa Tartara proruunt.

Diadoch. de Perf. c. 62.

VII. Quid quæso exitio, exterminioq; extitit Heli alioqui viro pro, ac timorato, multarumque virtutum choragio nobilitato? Nihil sane aliud; quam quod vel teneritudine amoris victus, vel ætatis vitio fractus irasci filiis perfidis nesciebat. Etsi enim lenioribus verbis adhonesta officia liberos suos adhortaretur, cuperetque esse quam optimos? tamen quod acerbiore in eos sulphure usus non est, Numen sensit iratum & ejus vindice dexterâ interiit. Neque enim oleo, sed lixivio opus erat, nec verbis sed verberibus, qui mortiferis urgebantur infirmitatibus, alioſque pestilenti offendiculo scandali à divino remorabantur sacrificio.

1.Reg.2.

VIII, Quamobrem Achabus imperioſis criminationibus redargutus à Domino? Quia nimirum homini impuro, ac scelerato, sputa adversum Numen ipsum evomenti intempestiva mansuetudine pepercit. Etenim audita blasphemia Benadad Regis Syriæ, illius nefandis vocibus nihilo commotior factus, nec iratus est magis, quã si blandi sanionis ridiculam, aut Melitæi catuli vocem audiisset. Occurrit itaq; eidem vates Domini, totus pulvere ac sanguine sordidatus, & increpitans eum ait: *Quid feciſti?* Ubi mansit ardor animi tui ad propulsandam injuriam parenti omnium Deo illatam? ubi læsi Numinis reverentia? Nonne vestimenta rumpere te oportebat, atque animo vindictam concipere ad retundendam propulsandamq; ejus impietatem! Si pietas vocem elicit ab infantibus, & languidis vim sufficit; quanto justius te commoveri animo decuit atq; inflãmari, ubi Numinis honor fuerat vindicandus? Ideoque *quia dimisisti unum dignum morte*, erit anima tua pro anima illius. Lenitas ista crudelitas est, quæ vitia palpat, non curat, & iniquitas maxima, quæ gangrænam serpere sinit. Nutrit pestilentiam qui austeriorem dissimulat adhibere medicinam, & vitiorum disseminat lolium, quisquis illud in herba eradicare haud adnititur.

3. Reg. 20 42.

Subdit Diadochus: *Mihi videtur, quod ui propter studium, & ardorem pietatis ira utitur, probatior in lance remunerationum reperietur, pra eo; qui nullo modo propter mentis immobilitatem ira move-*

Ibib.

tur. Nempè æque in natura, atque in gratia ignis principatum obtinet. Cherubinis, ac Seraphinis associantur, qui zelo honoris divini flagrant, ac scelera acerbissimè vindicant.

Ira imperata

IX. Hinc bene multi Interpretum Iram non libertatem duntaxat, sed imperatum per Psalten regium ominantur occinentem: *Irascimini & nolite peccare.* Sensus enim est juxta mentem S. Ambrosii: *Si irascimini, vobis irascimini, quia cito commoti estis, & non peccabitis.* Et secundum D. Augustinum: *Irascimini, ne peccetis. Irascimini,* & nolite connivere; *Irascimini,* & vindicate quod vindicandum est. Irascimini ita, ut totum agat ratio, & necquicquam sibi furor præripiat. Restringenda sub rationem potestas, nec quidpiam agendum prius, quam concitata ad trãquillitatem mens redeat. *Irascimini salubriter,* (loquor cum D. Gregorio Nazianzeno) *non tam in causa vestra, in qua patientia vobis necessaria est, quam in causa Dei.* Irascimini parentes, quando auditis filios imprecantes, aut blasphemantes, castigare eos dicentes: Fili ubi tonitrua, ibi fulmina; tu fili nequam fulgura & tonitrua, ibi fulmina, tu fili nequam fulgura & tonitrua excitasti, en ego fulmen aptavi. Irascimini summates servis, si cultum Dei negligant, si præcepta illius prævaricentur. Irascimini præceptores discipulis, si perperam agant, & nolite peccare. Irascimini, ita tamen, ne sol occumbat supra iracundiam vestram, ne mentis lumen, aut etiam Pater luminum, & sol justitiæ vobis occidat; ne tenebretur mens fumo, & caligine meritissimæ imaginationis. Irascimini ut corrigatis, non ut odio alterius exæstuetis. Sic enim adhibenda est correctio, ut salva semper sit delectio. Implendum est pii parentis officium, & sic succendendum iniquitati, ut consulatur una humanitati. Imitandus medicus, qui phreneticũ castigat, lethargicum stimulat; vulneratum, sanat omnes amat. *Irascimini* &c.

Psal. 4. 5.

Amb. lib. 1. offic. c. 21.

Aug. hic.

D. Greg. Naz.

§. II.

Ira servilis iniqua.

X. Altera Ira est servilis, quæ nimirum rationem prævenit, & quam non tam zelus format justitiæ, quam furor excitat impatientiæ. Est autem immoderata cupiditas puniendi, vel vindicandi se de eo à quo quis se læsum arbitratur. Est furor brevis, qui ex prava consuetudine, ac impatientia prolixa evadit insania. Est irrationabilis perturbatio mentis, levi de causa prorũpentis & in rabiem efferatæ. Est ut cogam in unum servi abjecti, siderati, ac prope diabolici vesania.

Ira servilis qua sit

Servi imprimis abjecti vitium nuncupo, eo quod in animos duntaxat abjectissimos, ac vilissimos Dominetur. *Imbecilla,* scribit Seneca, *se lædi censent, si tangantur.* Ambiunt defendi, qui timent superari; festinant loqui, qui metuunt vinci; furores cogunt, quibus vires & animus languẽt. Et quemadmodum stuppa aut stramentum ob suam debilitatem facile accenditur, quercus autem ob suam firmitatem lentissimè; suppari ratione servles & abjecti animi nullo negotio inflammantur, fortes vero ac magnanimi ægerrimè. Et utut voces efferatorum magno emissæ videantur animo, strepitus tamen nõnisi crepitaculorum sunt, mentem intus pavore, metuq; obsidentes. Nihil enim magnum est, quod una placidũ

Sen. de Ira

non

non est. Nec quicquam magis imperatorium, quam animus servilibus, ac furiosis Dominis emancipatus.

Ira sui impos

XI. Siderati ajo, quoniam vix fieri potest, ut concitatus ira animus ratione utatur. Dū enim perturbata mēs judicium exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat.

Jonæ ira immodica.

Typum nobis exhibent sacræ paginæ in Jona Propheta, qui exacta prædicatione sua Ninivitana secessit in montem urbi imminentem, visurus redintegrata Pentapoleos super eam incendia. Et ecce prodigiosam, qua ab æstu defenderetur, & cassa membra reficeret aptatam sibi reperit hederam. *Jonæ 4. 6.* *Præparavit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput eius, ut protegeret eum, laboravit enim.* Sub hujus umbram haud citra notam personæ Ecclesiasticæ, & tam severi judicii promulgatricis deliciabatur Jonas; urbe tota in saccis. ac cilicio inter cineres ululante, ac famente. *Lætatus est Jonas super hederam lætitia magna.* *Ibid.* Sic etiam oppressis fame subditis, epulantur identidem lautius Domini, & ovibus sub forfice, aut forcipe constitutis pastores pascentes semetipsos genio suo litant splendidius. Aliorum inedia eorum condit obsonia, aliorum cruces, ac lamenta eorum exaggerant gaudia.

Non tulit Numen supremum hanc in Legato suo libidinem; sed illico scena comica in tragicam mutata delitias vatis aceto condivit saluberrimo. Quippe: *Præparavit Dominus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & aruit.* Hic Jonas noster omnem litem effundere, micare oculis, pulsare humum pedibus, vermem conterere, mortem sibimet imprecari. *Petivit animæ suæ, ut moreretur, & dixit, melius est mihi mori, quam vivere.* *Ibid. v. 7.* Fraudasti me Domine hac umbra levissima, sine me jam requiescere in sempiterna: si nequeo sub hedera, indulge feriari sub terra. Malo degere sub tentorio sarcophagi, si non valeo sub tegmine fagi. *Petivit animæ suæ ut moreretur.* Hos iracundiæ fluctus compositurus ad malitiam Dominus ait ad eum: *Putasne bene iraseris tu super hedera?* Heus Jona tot annorum eremicola, tantus mysteriorum meorum contemplator, & ut videbare amator, estne bilis ista tua rationabilis? Consule mentem tuam, senatum judicii, ac Syntheresim coge, & responde: *Putasne bene iraseris tu?* Tu doles super hedera in qua non laborasti, neque feciśti ut crescceret, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit, & ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plus, quam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dextram, & sinistram, Tu indoles stirpibus hodie natis, & ego non compatiar hominibus à me, & ad imaginem meam conditis? Tibi gravior accidit, atque intolerabilis herbacei tabernaculi interitus, & mihi tantæ urbis, tam severæ pœnitentis ruina non erit gravissima? Te modicus æstus candidarum mortis reddidit, me non efficient placatum tot gemitus, aclamenta! Ubi est patientia tua? ubi misericordia in proximum? ubi virtus tua? ubi fortitudo tua? ubi ratio tua? *Putas ne bene iraseris tu?* *Ibid. v. 9.* Ad hæc omnia Jonas intrepidè reponit: *Bene ego irascor usque ad mortem.* Ira mea perinde

æqua

æqua, ac ſancta. Non ſum ferendo tantam injuriam; idem erit finis vitæ meæ, qui & iracundiæ. Bene ego iraſcor uſque ad mortem.

Ira excæcat

Quod ſi Vates, id eſt videns Deum tantopere obcæcatus eſt hac ſui inordinata perturbatione, in re levidenſi, quantò magis obfuſcabitur mens illorum, qui minus à deo illuminati? Si ille furorem ſuum reputabat juſtitiam, quantò magis alter eò inferior hallucinabitur? Si hic hominem exuit, quantò magis improbus de mentis ſtatione proruet, & in felle amaritudinis enutritus belluam induet?

Ira vitium diabolicum S. Chryſoſt. h.46.de div.

XII. Addo inſuper ex calamo entheo, & ore verè aureo Chryſoſtomi vitium eſſe diabolicum. Is in ſermone quopiam nos ad ſpectacula efferati cujuſpiam provocans homuncionis, judices ad diſcernendum habere exoptat, inter Energumenũ, & Iracundum, in quonam diſcrepent. *Vide*, inquit, *vultus à dæmonibus preſſorum, & furentium, & dicito, in quo differat ab illis?* Obſerva faciem parte ex una Energumenorum, ut ringantur, ut ſtrideant dentibus, ut oculis ſcintillent, ut manibus omnia comminutum eant. S. Marcus, & Lucas Medicus unà, ac Evangeliſta ejuſmodi inſeſſum ab Orco exhibent, & hic domicilium habebat in monumentis, & neque catenis eum quiſquam ligare poterat; quoniam ſæpenumero compeditus, & catenis innexus, & compedes comminuit, & catenas ferreas rupit. *Et nemo eum poterat domare, & ſemper die ac nocte in monumentis, & montibus erat clamans, & concidens ſe lapidibus.*

Marc.5.3.4. Luc.8.16.

Marc.9.17. Luc.9.38.

Alium itidem iiſdem oſtentant, qui eliſus in terram volutabatur ſpumans, & frequenter in aquam, & ignem impellebatur, ut periret. Hæc aliave lineamenta Sathanæ in hominem dominantis, hi mores, hæc tyrannis.

Jam obvertite vultum in partem alteram, & arbitramini quempiam iracundiæ livore dementatum, quam ſimile in eo oris filum, quam gemellos Lemurum indices in illo deprehendetis. Numquid enim & ipſum quiſpiam edomare, vel infrœnare poterit? Nonne & ipſe ſtrider dentibus, efferatur in oculis, volvit ſpumas in labiis, & toto purpuram vultu diffundit? Nonne ſeſe à conſortio aliorum ſequeſtrat, ſeque ipſum collidit, ac concutit? Nemo planè inficiabitur? Quod ſi corpori nonnunquam parcunt, animam eò gravius exeruciant, profundiusque ſauciant. Vel ſi ore ſalivam non evomunt, felleam tamèn latrinam evocant, & verba blaſphema, omni ſpuma immundiora egurgitant. In quo itaque diſcrepant. Quis diſcernet inter hunc, & illum Salomon?

XIII. Id mihi perſuadeo in ſummis ſuperſtitionis tenebris Ethnicos aſſecutos eſſe, quando tradiderunt Herculi furenti, & cuivis alteri rabido ſemper Megæram quampiam aliaſque adſtare Furias, aut pectus, ipſorum inſidere, atque hæc ſimilia ve illis inſuſurrare. Quid agis? quid pateris? Ergo te deſpuere debuit ille de trivio homuncio? Illene tuus quondam Achates ſupplantare; ille proximus fallere, aut defraudare impune?

Quid

Quid te fiet expende. Uno impune abire permisso, insurget alter teque eodem tenore naso suspendet, & incoram aliis perinde ac fatuum traducet, aut tanquam leporini pectoris virum sibillabit. Si famæ tuæ, si nomini, si fortunis ipsis consultum is, vindices necesse est. Vir ille est, & heroibus associandus, qui pancraticè de suo se se ulciscitur adversario. Meritò extollitur, qui cornu suum in tantum extulit, ut nemo deinceps illi irrogare præsumat injuriam. At verò ex adversum hostem suum, qui non læsit, adjuvat; luporumque patet faucibus, qui mitissimo ingenio oviculas imitatur. Eja age fœmineum pectus exue, virum indue, animum ultione expie, sentiat inimicum, quisquis læserit.

Hac similique ratione inflammato à Thesiphone suffunduntur oculi, ut nutus aliorum, ac digitorum motus perinde ac purpureus color tauros exasperet; ut Chymeras, & Hippocentauros videat, ut tragædiarũ figmenta, & umbratiles scenæ animo obversentur. Aures itidem exacuit, ut voces disceptantium eminus audiat, ut eorum sibilum percipiat, ut multa sibi illata convitia interpretetur. Tandem socios manipulares decuriat, turbulentorum affectuum, ad pacatum, florentemque animi statum omnino convellendum. Accedit & ipsa Alecto millena struens fora, in quibus litiget cum iis, à quibus sibi irrogatam auguratur injuriam, millena alia architectans theatra, in quibus se vindicet, millena subministrans arma, quibus inimicum de medio tollat. *Qualia*, inquit, Seneca. *Poeta inferna monstra finxerunt, succincta serpentibus, & igneo flatu, quales ad bella excitanda, pacemque lacerandam teterrimæ inferni exeunt Furiæ, qualem Cerberum tricipitem flammas vomentem, talem nobis iram figuremus.* Et hæc pagana assecuta est acies, quid non Christiana? *Sen. lib. 2. de ira*

XIV. D. Basilius ipsummet Principem tenebrarum, ac Furiarum in efferatis conspicatus est dominantem. *Sicut*, inquit, *qui charitatem habet, Deum in se habet; ita qui iram, & odium habet, dæmonem in se continet.* Ut Deus est Author pacis, & concordiæ; ita Sathanas caput odii, atque discordiæ. Ut ille in medio pacatorũ residet, ita hic in præcordiis efferatorum hospitatur. *D. Basil.*

XV. Prostrato illo carneo Colosso Goliatho, & concinnentibus Pæan mulieribus Sionis Davidi de decẽ millibus, & Saul de mille duntaxat prostratis, *iratus est Saul nimis*, eò quod minus sibi, quam servo æmulo adscripsissent. Quid factum? Addit sacer textus: *Post diem alterum invasit Spiritus malus Saul*, & mirum in modũ torquebat illum. Quæro quis iste Spiritꝰ malus? An Asmodæus quispiam, qui lascivos infestat? An Leviathan, qui superbis principatur? An aliquod mutum, quod ingratos, ac impios flagellet? An aliud de regione, aut legione ignota Luciperi? Petrus Damian. censet Spiritum fuisse iracundiæ, seu ipsammet iracundiam, quæ Saulem Sathanæ in modũ excruciabat. Sic enim scribit: *In Saulis cor ira præcessit*, & mox nequitiæ *Spiritum induxit, qui abreptitium suum in zelum vesani furoris accendit. Tremebat enim in vasculo suo author iracundiæ Spiritus.* Ipsa ergo iracundia aut est tortor, aut tortorem, ac *1. Reg. 18. v 10.* *Pet. Dam lib. 4. Ep. 17.*

carnificem inferni secum ducit in comitatu; ipsa gehennam nutrit, ipsa in angelos tenebrarum transfigurat, ipsa in profundum perditionis deturbat.

Quapropter irascimini & nolite peccare. Irascimini Dominicè non serviliter; irascimini ex ratione non furore; irascimini & non peccetis. Amen.

CONCIO LI.

IN DOMINICA XXII. POST PENT.

Reddite quæ sunt Dei Deo. Matt. 22.

ARGUMENTUM.

Computus debitorum.

I. EVidens indicium est S. Martinum esse in foribus. A. Nihil jam frequentius auditur, quam redde. Redde censum, redde mercedem, redde quod debes. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Reddite nobiles, reddite ignobiles; divites, ac pauperes; docti, & indocti, juvenes ac senes, viri ac mulieres. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* &c.

Dices forsitan, quid est illud, quod Domino meo debeo? ad cujus reddendam rationem evocor. Ego verò replico, quid est, quod illi non debeas? *quid habes quod non accepisti?* Quidquid circa nos ex adventitio fulget, liberi, parentes, ampla patrimonia, referta vestibula, alieni, commodatique apparatus sunt. Fatendum de mobilibus ac immobilibus: *De cœlo ista possidet.* Dicendum cum Psalte regio: *Dominus universorum tu es.* Nos manutenarii tui *Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terrarum, & plenitudinem ejus tu fundasti. Nos autem populus tuus & oves pascuæ tuæ.* Nos subditi tui, mancipia tua millenis obærata nominibus. Contestandum cum Apostolorum Principe: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Jure igitur divina Majestas vendicat omnia, sanctissimè cēsum repetit ab universis. *Reddite quæ sunt Dei Deo.* Reddite quidquid accepistis singuli in particulari; reddite quidquid accepistis universi in communi. Eheu quam validè in tremendo judicii die hæc verba ferient aures nostras! quanta futura hæc tonitrua debitis suis indormientibus! quam trisulca fulmina in obæratorum mentibus!

Nos ut eò minus lædant, prævideamus in tempore, qua methodo computum exactius ineamus, ac rationes nostras pro virili conficere, atque exsolvere admiramus.

Sen. Epist. ad Marcian.

2. Mach. 7.

Psal. 88. v. 2.

Iacobi 1. v. 17.

Narratio, ac Partitio.

II. Juxta Legisperitorum sancita reddenda sunt omnia commodatariis nostris, non quoad speciem duntaxat, & in individuo, sed & circumstantias easdem. Non enim satis est indusium pro veste, aut vestem pro veste

veſte referre, ſed inſuper opus eſt eandem inviolatam reſti tuere, ea integritate, ac nitore, quo accepta eſt. Jam verò ex S. oraculis conſtat D. O. M. omnia nobis ſub certo, ac definito numero, pondere, ac menſura, ſeu ſub certa multitudine, magnitudine, duratione commodaſſe. *Omnia*, inquit Sapiens, *in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti*, in cœlo, & in terra in maximo, minimoque mundo. Conſequens itaque eſt, ut & nos univerſa dona gratiæ, ac naturæ, quæ accepimus, ſub eodem
Sap. 11. v. 13. numero, pondere, ac menſura, cum fœnore gratiarum referamus; ne ſerò donorum ſuorum profligatorum vindicem ſentiamus.

Manifeſtum id evadet ex rationibus perperam redditis Regis Babyloniorum; de quibus manus inviſibilis viſibiliter ſcribentis conteſtata eſt: *Mane Tecel, Phares. Mane* Daniele interprete ad numerum refertur: *Numeravit*
Dan. 5. v. 25. 26. 27. *Deus regnum tuum. Tecel* pond⁹ indicat eſtq; idem, quod, *appenſus es in ſtatera. Phares ad menſuram reduci poteſt, & eſt interpretatum: Diviſum eſt regnum tuum.* Quod huic evenit, eadem ſors, urna nobis exſpectanda. Reddenda ſunt univerſa in numero, pondere, menſura, qua accepimus. Hic igitur quivis codicillos mentis ſuæ inſpiciat, ſerioque revolvat, quantopere obæratus ſit, quantum ex debitis exſolverit, quantum in iis tardaverit refundendis.

Pars. Prima.

§. I.

Numerus expenditur.

III. Ponendo calculos bonorum acceptorum, tantum numerum invenio, ut nulla hominum, nulla Angelorum mens, non dico verbis explicare, ſed vel cogitatione aſſequi valeat. Quoquò enim oculorum aciem infra, vel ſupra diffuſa cœlorum pomœria circumfero, non niſi dona, ac gratias à liberaliſſima Dei manu conceſſas deprehendo. Quidquid nitet in cœlis, quidquid volat in aëre, quidquid remigat in pelago, quidquid movetur in terra, totum fronti inſcriptum præſefert: *Propter te, Propter te ô homo.* Omne id, quod oculos oblectat, ſapit faucibus, blanditur corpori, aures recreat, nares vivificat, ab hoc munificentiſſimo rerum omnium Largitore redundat. *Omnia* Pſallit David, *ſubjeciſti ſub pedibus ejus* Terram ut te ſuſtentet, aquam ut te portet, aerem ut refrigeret, ignem ut caleſaceret, ſolem ut te illuminaret; arbores ut ex iis veſcaris, animantia, ut *Pſal. 8. v. 7.* tibi famulentur: *Omnia ſubiecit ſub pedibus tuis.* O quantus hic cumulus extreſcit beneficiorum; quam ingens obligatio reddendi, ac gratificandi! Quippe cum tibi mi homo hæc univerſa deſerviant, & obſecundent, tuis duntaxat militent commodis, ita obſtringeris pro omnibus, ac ſingulis cenſum gratitudinis deponere ac ſi ſolus fores; & propter te duntaxat creata eſſent. Ipſa enim cum Conditorem ſuum haud agnoſcant, à quo habent eſſe, ſapere, vivere, pulchritudinem, colorem, ſaporem, odorem, cum eadem æſtimare nequeant, nullatenus grata eſſe queunt. Tu itaque mi ho-

Homo obſtringitur ad gratitudinem pro omnibus Creaturis.

muncio ad tantæ gratitudinis vices refundendas obligaris, ipsorumque exolvendum debitum. Tu accepisti, quidquid illæ, si non ad usum certè ad delectationem tuam, ideoque in te omne illud onus gratitudinis recumbit.

IV. Hinc ut scribit Hugo de S. Victore; in consideratione omnis creaturæ audire possumus nobis loquentem quamlibet: *Accipe, redde fuge.* Accipe beneficium, redde obsequium, fuge supplicium. Prima vox est famulantis, secunda admonentis, tertia comminantis. Voce famulantis dicit cœlum: Accipe lucem meam, ego enim tibi serviendo singulis diebus exorior, ut possis laborare, ego cum eodem lumine occumbo indies, ut possis requiescere post labores, ego tibi circumvolutionibus meis ver cum amæno florum sodalitio, æstatem cum copiosa frugum ubertate, tum autumnum hyememque induco, hac ipsa diversitate tibi patrocinaturus, tuamque ex intimis fibris profligaturus tristitiam. Aer succedit, dicitque ego tibi subministro pluvias in tempore, ego nubium sipatio à calore nimio inumbro, ego ventis meis refrigero, ego fœtores noxios dispello. Terra pariter sua defert servitia, egurgitatque: Ego me substerno tuis plantis, ego panem sufficio, ego vinum, aliaque ad vitam necessaria ex lacubus, silvis, pomariis, hortis subministro. Aqua tandem & ipsa submurmurat: Accipe me, ego me tuis cibis libens impendo, ab omni inquinamento expio, ego pisces varios tibi nutrio, ego sicca humecto. Verbo omnis creatura ita nobis se subjicit, devovetque.

Creaturarum voces ad hominem Hugo in lib. de Arc.

Verum ut *Accipe* inclamat; ita *Redde* reciprocat, non tam nobis pro servitiis, quam Deo Conditori nostro debitam gratitudinem. Nos tua mancipia, tu Dei. Redde ergo Domino debitum tributum. Utere nobis in timore, sine illius offensa, in tuum tuorumque commodum, quodque superest impende non tam in luxum vestium, aut epularum, quam pauperum subsidium.

Tandem fuge ingratitudinem, ne fortè Conditor omnium nos exarmet in ultionem adversum te. *Accipe, redde, fuge.*

V. Has voces perquam acutè audivit S. Laurentius Justinianus, nobisque easdem hisce transmisit: *Ad te tot sunt Creaturarum voces, quot sunt ipsa creaturæ. Omnes descriptionem indelebilem contra te habent,* Propter te. Propter te Sol, Luna, Stellæ, propter te cætera omnia. O quantus hic numerus, quanta copia beneficiorum Dei exurgit? Quis vel Arithmeticorum eam suppetet, adque calculos revocet.

S. Laur. Justi. lib. de ligno Vitæ.

VI. Sin autem intra nos ipsos reflectamus accedet haud modicum prioribus numeris incrementum. Illius enim singularis gratiæ argumentum est, quod aliquando conditi, quod sub tempus Evangelii ac Chatismatum

Beneficiorum div. quantus numerus.

æstimatum nati, quod in S. Latice renati, quod tot sensibus corporis, tot animi dotibus præditi. Ipsius, quod eadem bonitate, qua conditi, non obstante illius magnitudine immensa, authoritate infinita, Majestate suprema, nostrum conservandorum causa, per se ipsum fructum maturet in arboribus, panem præparet ilspicis, potum coquat in uvis, propinet in fontibus nullo denique momento manum auxiliatricem nobis subtrahat. An non ergo justum est (ut immensum redemptionis pretium, exaggeratas gratiæ justificantis margaritas mittam) ut vel quovis in anhelitu, in ictu oculi, in nictu digiti, in nutu capitis memores simus, cogitationesque quasvis ex asse eidem consecremus. An non æquum, ut quidquid vel mente volvimus, & ore proferimus, vel exantlamus opere, in vectigal debitæ gratitudinis immolemus? An non dignissimum, ut ipsæ auræ, quas trahimus, sint anhelitus amoris, ut omnes cordis reciprocationes, omnes arteriarum pulsus, omnis motus animæ eidem cedat in tributum? Ut uni Deo, ac Benefactori nostro cor se agitet, pulmo respiret, jecur sanguinem coquat; ei sanguis in venis diffluat, ei venæ micent, ossa durentur, nervi se extendant, calor vitalis exæstuet; ut illi soli vivat, ac moriatur homo.

Nomen Domini cur fronti Aaronis inserti?

VII. Fateor me non semel expendisse, quidnam illud mysterii foret, quod Divina Majestas Aaroni summo Israelitarum Antistiti præceperit; ut in fronte nomen suum præseferret? *Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris; sanctum Domino.* Cur id non datum militibus, aut Ducibus exercituum, quatenus eos clipei loco aut cassidis protegeret. Etenim *turris fortissima nomen Domini*; Clipeus est omnibus sperantibus in eum. Cur id non datam afflictis, ac desolatis? Quippe, *nomen Domini spes ejus*; Cur non concreditum senatoribus, Nobilibus, Consiliariis, Regibus? siquidem est nomen Gloriæ, & honoris? An quod in eorum fronte sæpius arrogantia, fastus, præsumptio dominetur? An quod aliud Epigramma fronti inaraverint? An quod stemma diversum assumpserint? Eheu in quot militum frontibus extant alienorum boum, & arietum cornua; in quot Dominorum superciliis sessitant torvæ Megeræ, aut fœdissimæ Cupidines! in quot civium cerebellis dominatur livor, fraus mammonal! Verissimum istud. Frustra ergo illa obtinerent nomen Domini frontispicia, in quibus sua mundus, caro, Sathan fixit insignia. Sacrilegium est noxis sacra indere nomina; fucus rebus viliissimis splendida affigere epigrammata.

Exod. 28, v. 36.

Psal. 36. v. 3.

Nec me latet collatum pectori, ac guæ D. Pauli: *Vt portaret illud coram gentibus & Regibus terræ.* Compertum aliorum insculptum cordibus, concreditumque amoribus. Quid vero est quod fronti incrustatum summi sacerdotis?

Act. 9.

Intentio recta.

Arnold. h l. Concinne in rem meam Arnoldus: *Hæc*, inquit, *tiara quæ caput tegit, & & ornat Pontificis, omnes ſenſus capitis Deo indicat conſecratos.* Idcirco Infulæ inſcriptum geſtat ſanctiſſimum nomen Domini, quo oſtenderet omnes cogitationes ſuas illi eſſe ſacras, & qua ratione crines ſuos incingeret, corona, ſic cogitationes inauratas eſſe ſanctiſſima intentione. Intendit benigniſſimum Numen ut is, qui præcipuo ſacramento illius ſervitiis authoratus eſſet, nec quicquam profanum admitteret, aut tractaret. *Hæc tiara, quæ caput tegit.*

Audite hæc electi, & dilecti Dei, quos ſingulari ratione Numen ſuis initiavit ſacris. Audite qui fertis vaſa Domini. Audite quotquot adeſtis: Omnes quippe genus electum, & regale ſacerdotium ſumus, omnes deputati ſervitiis ipſius, omnes ſacro chriſmate delibuti, omnes Chriſti nomine gaudetis, & ſcitote vos iiſdem legibus adſtrictos, eodem ſacramento cum Aarone authoratos. O quanto igitur ſtudio providendum, ne unquam ex animo noſtro diſcedat memoria graviſſimæ iſtius obligationis, juſtiſſimæ rationis, ſtrictiſſimique juris, quod Deus in nos habet, ad ejus ſanctiſſimam voluntatem exequendam, adque omnia honoris, ac gloriæ ipſius conſecranda. Quanto ſtudio contendendum ut corpus in quo degimus, animam qua vivimus, omnes ſenſus, membraque corporis, quibus utimur, omnia bona externa quibus alimur, lucem, qua fruimur, ſpiritum quem ducimus, in acceptis ei referamus, à quo conditi ſumus, in quo vivimus, movemur, & ſumus.

§. II.

Pondus obligationis ac debitorum

VIII. Quod ſi tamen accipiam multa quidem, ſed parva, & modica videantur, ad pondus juſtæ æſtimationis accedamus. Quod teſte S Auguſtino aliud non eſt, quam pondus charitatis. *Quod pondus in corporalibus hoc amor in ſpiritualibus. Pondus meum Amor meus, inquit* præfatus S. Pater, etenim ut ſcribit Apoſtolus: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam &c. Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Aufer charitatem nihil proſunt, aut ponderant cœtera, adde charitatem proſunt, & ponderant omnia. *Pondus meum, amor meus.* In opere enim, beneficioque quovis ſæpenumero non tantopere opulenta liberalitas, quam pia æſtimatur voluntas. Duo minuta hoc ponderе librata unius viduæ, ingens pretium obtinuere. Hoc pondus ad beneficia accepta trutinanda aſſumamus, iiſque, quæ minima oculis noſtris videntur apponamus.

Amor pendus omnium

S. Aug. ſer. 50 de verb. D.

Cor 13. v. 2.

IX. Docet S. Thomas in hominibus radicem beneficiorum Liberali-

Liberalitas radix beneficentiæ

tatem

tatem esse ut plurimum, & non amorem. Liberalis enim homo, ac magnificus, eodem prope modo, quem fert in oculis, vel quem fert extra illos prosequitur, suaque elargitur. Eum enim liberalis genius, & non persona cui elargitur ad beneficentiam inflammat. Itaque ipsa efficit ut liberalis id, quod erogat, parvi faciat, nihilique habeat, ideoq; aliis ad gloriæ aucupium impertiatur.

S Thom 2.2 q. 117. a. 6

At vero Divina bonitas dona sua non tam præbet ex contemptu illorum, quam amore; nec tam propter liberalitatem (quantumvis liberalissimus sit) elargitur, quam propter amorem, quo in nos fertur.

X. Hinc idem Angelicus differens de ordine actuum divinorum, ait, electionem in nobis amorem præcedere, Deum vero è contra quod diligat, aliquem eligere, muneribusque suis afficere. Nam si quæramus cur Deus S. Petrum glorificaverit? Apte respondetur, quia justificavit. Si rursum suscitemur, quare justificavit? dico, quia vocavit. Quare vocavit? Quia prædestinavit. Quare prædestinavit? quia amavit. Et quare amavit? Hic sistimus, nec ultra progredi possumus, nec rationem reddere profundiorem. *Prædestinavit enim nos secundum propositum voluntatis suæ.* Vel ut Psaltes cecinit: *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* Amori & dilectioni omne opus bonum imputatur. Deus itaque quemadmodum infinita sua sapiētia ab æterno omnia intellexerit, sic admirabili prudētia sua omnia, quæ singulis daturus erat, per amorem, seu consilium voluntatis suæ disposuit, ac dispensavit.

S Tho 2.2. q.23 a 4.

Eph.1.v.5.

Psal.17. v. 20.

XI. Legi nuper textum Isaiæ Prophetæ: *Ad ubera mea portabimini;* & cogitavi quidnam hac phrasi Vates innuere intēderet. Scio enim spiritū esse, omniumque membrorum expertem, nec tamen citra mysterium usum hac similitudine. Finxi itaque Deum ut Patrem suos electos nunquam non nutrire lacte dulcedinis, spiritualiumque consolationum. At adversarium expertus sum eundem Vatem exhibentem mihi electos Dei ablactatos ab ubere, avulsos à lacte. Audivi itidem à S. Paulo castigare Deum omnem filium, quem recipit. Trutinanti itaque verbo Prophetæ venit in mentem, mulieres ubera plena lactis habentes, haud modicam capere voluptatem, si eis lac, quo abundant exugatur; exadversum vero molestia vexari, si non sit, qui fugat, & in suum commodum convertat. Haud secus divina Bonitas, uberibus misericordiæ, gratiarumque abundantissima, quodam jucunditatis sensu (humana loquendo concipiendi methodo) ducitur, si illius beneficiis participes reddamur; è contra amaritudine quadam afficitur, si forte non inveniat, in quem sua refundet dona, lacteosque derivet gratiarum fontes.

Isa.66.v.12.

Isa.28.v.9.

Heb.12.v.6

XII. Hoc pondus est, quod Unigenitum Dei Patris filium è sinu ipsius in maternum detraxit uterum, quod de utero in crucem, de cruce sustulit in cœlum, è cœlo itidem

itidem toties detrahit in terram, quoties incruenta hostia in sacro altaris pegmate immolatur. Hoc pondus est, quo non deprimimur, sed supra convexa cælorum sublevamur. Hoc pondus est, quo Deus O.M. cuncta sua munera appendit, & dispensat. Pondus inquam, cui nullum terrenum queat conferri; nullum exæquari. Per arduum visum est Esdræ pondus Ignis ad trutinam revocare; quanto difficilius appendere flammam divini amoris in nos effusam. Humanorum affectuum momenta expendere haud sufficimus; quantò minus ea justo appendemus æquilibrio, quæ in nos divina bonitas tanta profusione, ac intensione charitatis effundit. Omnium profecto hominum, immo & Angelorum ignes flagrantissimi amoris vix scintilla modica inveniuntur in comparatione illius.

§. III.

Mensura.

XIII. Ad tantum numerum, pondusque accedit postremo mensura. Omnia siquidem in numero, pondere, ac mensura disposuit Deus.

Per hanc necquicquam aptius, conformiusque proposito meo accipere valeo, quam tempus, quo nobis vel contulit beneficia, vel conferre gestit. Nam teste Philosopho: *Tempus est mensura motus.* Verum quodnam illud est tempus, vel quæ mensura illius, in qua nos non amaverit? Quod illud, in quo non cogitaverit de bono nobis creando, vel augendo? Audiamus ipsummet loquentem ore Jeremiæ: *Charitate perpetua dilexi te? ideo attraxi te, miserans tui.* Terminus à quo beneficentiæ divinæ est æternitas, & terminus ad quem eadem æternitas, finis sine fine. Terminus à quo æternus ad prædestinationem, quâ ab omni æternitate ad gloriam suam præscivit, & prædestinavit electos? Terminus ad quem æternus ob glorificationem, quâ coronabit nos in misericordia & miserationibus.

Ariſt.

Jer. 31. 3.

Decantat hanc mensuram regius Psaltes in hæc verba: *Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum supertimentes eum:* q. d. Misericordia quæ fuit ab æterno supertimentes eum in prædestinatione, durabit usque in æternum per glorificationem. Nec momentum ullum ostendi potest quo viximus, vivimus, aut victuri sumus, quo beneficio ipsius non fruamur, quove nos corporalibus, ac spiritualibus non cumulet gratiis. Et si vel ad modicum fluenta suarum sisteret gratiarum, vel in abyssum vitiorum, vel in chaos nostri nihili reverteremur. Hinc scite concludit Affricanus: *Sicut nulla est hora, vel punctus, quo tuo beneficio non utar; sic nulla debet esse hora, qua te non habeam ante oculos.* sicut totus sum Dei, ita me totum eidem consecrare par est, & sicut ille ex amore elargitur omnia; ita me ex eodem operari addecet. *Sicut nulla est hora &c.*

S. Aug. Sol. c. 18.

Pars altera.

Hoc numero, pondere, & mensura, sua nobis æther dispensat beneficia, quo

quo autem numero, pondere, ac mensura nos referimus.

§. I.

Reflexio ad Numerum.

XIV. Expendamus imprimis numerum gratiarum, cumq; numero beneficiorum conferamus.

Ad ostendendam providentiam suam super discipulos, ait quodam loco Dominus: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Ego hic cogito si Dominus loqueretur de Ruthenis nostris, qui more Tartarico vix aliquot crines in vertice residuos alunt, facillimum foret conjicere, quid Dominus intenderit, leviſſimumque numerare. Si ageretur de calvitie S. Petri, aut aliorum, non minus credibile, sed cum in universũ loquatur, omnesque fideles cõprehendat, justa moveri posset quæstio, quidnã per capillos intellexe rit?

Matth. 10. v. 30.

Compertum, liquidumque ad literam Deum omnes capillos in' numerato habere, multò exactius, quam Nero Popeæ suæ dilectæ. Sed quidnam obsecro in sensu mystico per crines accipiendum? Cur illa tam exacte computat crines nostros?

Crines significans cogitationes S. Hier. S. Ambr.

Nempe quia crines ex capite nostro prodeuntes cogitationes nostras ex sensu S. Hieronimi, & Ambrosi significant, proinde nihil mirum esse debet, si Deus eas habeat numeratas. Pauciſſimæ enim sunt, cogitationes sanctæ, Deoque acceptæ, & levi brachio subduci ad numerum queunt. impiæ verò prope innumeræ. Putet has æquiore lance quispiam, eaque forma, & cumulo cœlestis Genius menti objiciat, quo olim in extremo judicii die exhibebuntur; & inclamare cogemur cum Manasse lamentante: *Peccavi super numerum arenæ maris, multiplicatæ sunt iniquitates meæ.* Calculentur aliæ quæ ducunt ad contemptum mundi ad vitæ emendationem, ad profectum in virtute, ad amorem, timoremque Dei, quales sunt cogitationes de morte, de Judicio, de Inferno, de cælo, quot quæso horum invenientur? Quot in vobis Milites, quot in vobis Paterfamilias? quot in vobis Juvenes, quot in vobis senes? quot in vobis viri', quot in vobis fœminæ? An non ingemiscere cogemini super paucitate ipsarum' & multitudeni aliarum?

Oratio Manassis.

§. II.

Reflexio ad Pondus

XV Quid jam dicam de pondere? Non diffiteor nos identidem ardere, rapi, inflammari piis affectibus erga divinum, summumque bonum; verum tamen si iidem æquioribus lancibus imponerentur, vix floccum ponderarent. Multum forsitan in iis fumi vaporisque carnalis suavitatis deprehenderetur.

In lege scripta ea, quæ Domino offerebantur in ære, & auro, appendebantur ad trutinam non quamcumque forensem, sed ad pondus Sanctuarii: Ita enim demandatum: *Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur.* Erat porro hoc pondus exactiſſimum, justiusque omnibus aliis. Unde eve-

Levit. 27. v. 25.

Pondus sanctuarii æquissimum.

niebat, ut quæ statera forensi, ac politica justa, & æqua habebantur, ad siclum sanctuarii appensa, iniqua deprehenderentur. Haud dispari ratione nos ad pondus sæculi, ad trutinam populi alicuius æstimari possumus pii, justi, sancti, plus cæteris habentes, verum juxta sanctuatii pondus deprehendemur forsitan in multis deficientes. Intentiones nostras ominamur esse uniones Orientales, ab ipso sole Justitiæ excoctos, oculos simplices, opera justa & æqua; sed ad lances sanctuarii decernentur forsitan duplices oculi, cassa, siniſtraque opera, nec tantum habere de pondere humilitatis, quam de pulvere vanitatis. Virtutes nostras arbitramur solidas, aureasque, sed forsitan audiemus fucatas, pluma leviores, ac immunitas esse veritates. Verbo existimamus nos habere pondus sanctuarii, sanctissimi, divinique amoris, & habebimus forsitan carnalis oblectationis, ac sensualitatis. Eam ob rem non immeritò proclamat, denotatque Psaltes: *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant in vanitate in idipsum.* Vel ut alii legunt: *Mendacium in stateris*, quum se suaque appendentes, familiari sibi mēdacio, maximi sua æstimēt, quantumvis non nisi larva quæpiam sint, fucusque sanctimoniæ, quum virtus prope omnis colorata, vita imaginaria pompa, & species auri, argentique inanissimi.

Judicia Hominum falsa.

Psal. 61. v. 10.

§. III.

Reflexio ad Mensuram.

XVI. At si forte minus intensæ, saltem erunt extensiores piæ occupationes, affectus, orationes nostræ? Vereor tamen ne & hic minus habentes inveniamur.

Heli judicium temerarium.

Afflictissima ob sterilitatem Samuelis Mater ad Dominum tanquam unicum asylum, in templum Jerosolymitanum se recepit, ibique intentissimè, diutissimeque precibus institit, fæcunditatem exoratura. Quod advertens summus Antistitum Heli, *æstimavit eam temulentam*, nec veritus in faciem eidem exprobrare intemperantiam, palāq; redarguere: *Vsquequo ebria eris, digere paulisper vinum, quo mades.* Quæso quo nixus fundamento id suspicatur? Ex quibus antecedentibus, hoc infert consequens: *Vsquequo ebria eris.* Orat? ergo ebria, quæ consequentia? Si Anna liberius sermocinaretur cum sui æqualibus, si minus prudenter responderet, si in risum, cachinnosque effunderetur, si pedibus vacillaret, capite jam huc jam illuc nutaret; scite inferri posset consequens: Ergo ebria. Sed quum supplex Deum obtestetur, lachrimisque peroret, quis corollarium deducet: Ex abundantia vini loquitur? Num soli ebrii devoti Oratores? Respondet quæstioni Abulensis: id factum ideo: *Quia nimis morabatur orando. Oratio autem breviter fit.* O quam ego hic iterum non exclamem cum Psal-

1. Reg. 2.

Abul. h. l.

te

te. *Mendaces filii hominum in ſtateris*, iniquiſſime cum Domino dividentes, eundemq; in ſuis fruſtrantes ſervitiis. *Oratio breviter fit.* Longus eſt quadrans inſumptus in oratione, ſeu memeditatione, perbrevis hora una, alterave, imo dies, & nox conſecrata concupiſcentiis. Diutiſſime in felle amaritudinis hæremus, breviſſime in benevolentia, ac charitate ſubſiſtimus.

Temporis iactura quanta.

XVII. Poetarum quiſpiam repræſentaturus hanc noſtram ſocordiam in reddendis Deo debitis ſervitiis, introduxit Apollinem in theatrum cum puellis viginti quatuor, quarum aliæ teneriores, aliæ mediocres, aliæ item adultæ, ac proceræ. Supervenit Mercurius, & percontatus eſt Apollinem, quænam hæ forent Nymphæ? cui ille: Minores ſunt, quæ dantur orationibus, mediocres, quæ curis ſæcularibus dicatæ, proceræ, ac longiſſimæ, quæ ſocordiæ, vanitati, voluptati conſecratæ.

Profectò ſi horæ noſtræ genuinè nobis repræſentarentur, non alia illas forma, aut vultu intueri fas eſſet. Complectitur anni circulus dies trecentos, ſexaginta quinque, horas octies mille, ſeptingentas, ac ſexaginta. Si quiſpiam reciprocantibus Januarii Calendis interrogaretur, quonam abiere tot horæ anni evoluti? quis in iis ſuſceptus labor? quis fructus? quot precibus, pia lectione, aliove ſancto opere tractæ? Eheu quam paucæ calcularentur ejuſmodi, quam multæ nobis nihil agentibus, aut aliud agentibus, elapſæ. Revocate quonam abiêre illa pueritiæ juventutis, adoleſcentiæ tempora? Eheu tranſiêre ſine fructu velut umbra, & tanquam nuntius præcurrens.

Ætas perperam inſumitur

XVIII. Compertum mihi apud non paucos extare Icones ætates hominum adumbrantes. Ibi infans in arundine longa æquitat, puer circa libros diſtinetur, adoleſcens equo gloriatur, vir familiæ proſpicit, ſenex tuſſiendo globulos in corolla volvit. Eadem forma ætatem veſtram tibi proponito, & ſubducito, quantum Deo de pueritia conſecraverit, quantumque luſibus, crepundiis, nugis devoverit? Nonne exuperabit iſtud decuplo omne illud tempus Deo impenſum? Aſcendito hinc ad pueritiam, & adoleſcentiam, & perpendito, an hanc minimum ætatem totam, aut majore ex parte in amore divino, in exercitio virtutum, aliisque piis operibus traduxeritis? Et dedeprehendes, nihil minus te feciſſe ſed potius in lùdis, & nugis, in petulantia, inſolentiaque inſumpſiſſe.

Progreditor ad ætatem virilem in hac ſaltem uti fortiori corpore ita animo fuiſti in ſuſtinendis adverſis, inquo ſuperandis pravis inclinationibus, in extirpandis inolitis conſuetudinibus, in implantandis veris virtutibus. Utinam ita. Verum eheu etiamnum aliis immerſus fuiſti, alligatus uxori cogitaſti quæ illius

essent, quæ familiæ, quæ filiorum; non quæ Domini. Aspirasti ad altiora subsellia, propagare nomen tuum, augere censum, ampliare bona studuisti, in tantum, ut vix aliud quidpiam. Quid ergo? Nunc tandem aliquando, quantumvis fracto corpore spiritu ferventiore anheles ad cælestem patriam, cupiasque dissolvi, & esse cum Christo, piissimisque operibus redimas tempus neglectum. Non possum, reponis, debilis sum, tussis me vexat, colica pungit, debilitas vertiginem causat. Ecce hæc est justitia nostra, hæc mensura, qua remetimur Deo, qua beneficia, vitamque ipsam Deo in acceptis referimus. Eheu quantopere itaque timendum ne minus habentes deprehendamur, ne quanto plus nos accepisse cernimus, gravius inde judicemur, ne eandem cum Balthasare catastrophen subeamus.

Fides sola non solvit debita

XIX. Nec quisquam sibi blandiatur, se redditurum rationes, satisfacturumque pro debitis, si credat in Christum. Fides hic in Dominum quempiam non tollit debita, nec ibi. Credidit utique ille otiosus servus, qui defodit pecuniam Domini sui, quod homo austerus esset, & nihilominus damnatus. Crediderunt fatuæ illæ Virgines, fide accedentes ad sponsum, & nihilominus repulsæ: *nescio vos.* Credidit lacernosus ille conviva in nuptiis, & tamen in tenebras exteriores deturbatus. Solvendum debitum in numero, pondere, mensura; qua mensura nobis admensum, remetiendum.

Sed unde? Tempus transit, vires desunt, alia remorantur? Bono estote animo, non sumus tam exhausti; quin Creditore nostro auxiliante exolvere valeamus. Habemus duo minuta, corpus nempe & animam, hæc immolemus.

Lex obtinuit apud gentes pleraque, ut cum solvendo non sint, debitor creditori in mancipium tradatur, qui pro debitorum ratione plus, minusve juris in eum usurpat subinde. Sequamur legem, ac consuetudinem; cumque multa nomina contracta apud Deum dissolvere nequeamus, ipsi nos totos quantos mancipemus. Constituamus pacto infallibili omnes arteriarum motus in signum debitæ subjectionis, reverentiæ, pœnitentiæ, timoris amorisque. Dicamus cum Psalte: *En Domine, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Agnosco me per omnia tuum, ob innumera mihi præstita beneficia, pro quibus etsi me millies in horas singulas impenderem, nunquam eadem expungerem. Eo ipso enim quod salvo quadrantem, de tuo id facio, novaque nomina contraho. Nihilominus impulsus tibi serviendi desiderio, hæc duo minuta, corpus & animam, vires ac voluntatem libere, & qua polleo efficacia consecro, offero, dedico in plenissimum holocaustum divinæ Majestati tuæ, submittoque me sanctissimis tuis præceptis in perpetuum. Hoc signabunt omnes nictus oculorum meorum, omnes anhelitus pulmorum, omnes pulsus arteriarum. A te duntaxat efflictim exoro ut me ita tuum possideas, ne unquam mihimet restituar, aut mei juris efficiar; sed ut

Psal. 115. v. 16

omne

omne meum velle, dicere, facere, non fit aliud, quam quod tua sanctissima, rectissimaque voluntas vult me velle, dicere, operari. Et itidem meum non velle ac facere, sit tuum non velle, non facere; fiant omnia purè, ac sanctè illo cordis affectu, quo tu nosti fieri flagrantissimo. Tuus in æternum Joannes. Amen.

CONCIO LII.

IN DOMINICA XXIII. POST PENT.

Filia mea modo defuncta est Luc. 7.

ARGUMENTUM

Philosophia Apostolica.

I. AXioma à divinis Vatibus proclamatum, omnium sæculorum testimoniis comprobatum, ipsa ab experientia declaratum est: *Tempus vitæ nostræ breve est.* Aud. Hoc evulgavit Hussæus Princeps cum diceret: *Homo quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra* Hoc Psaltes regius evulgavit: *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Quemadmodum enim hæc jam crescit jam decrescit in momenta singula, non secus vita nostra. Æque illa ac ista suos decipit Narcissos, nec illa, nec ista vel Briarei manibus detineri potest, unicus vermis illam sustulit Jonæ, unicus istam multis aliis. *Sicut umbra.* Hoc S. Jacobus Apostolus per metaphoram vaporis explanavit. *Vita nostra vapor est ad modicū parens.* Ascendit hic de terra, elevaturq; in sublime, sed mox vel per se, vel calore solis attenuatur, vel in fulgura concretus decidit, haud secus vita nostra vapor est, ut paret, ita disparet. Hoc Doctor, Hoc imprimis Doctor Gentium in terminis propugnavit, cum scriberet: *Tempus breve est.* Hoc admittit Academia Platonis, hoc Aristotelis Porticus, hoc Stoa Socratis, hoc mali æque ac probi tuentur; hoc hodiernum Evangelium in filiola Principis Synagogæ extincta demonstrat. *Filia mea modo defuncta est.* Quid inde sequelæ, quid Corollarii sano Philosophiæ sensu deducendum sit, videamus.

Vita hominis brevis

Iob. 14, v. 2.

Psal. 101, v. 12.

Iac. 4, v. 3, 4.

§. I.

Impiorum illatio, ex secta Epicuri.

II. Sapientiæ oraculum, ac miraculum Salomon inducit quorundam scelestorum palpabilem in formanda

Impii per versi sophistæ.

Sap.2.v.12.

sequela dementiam. Quippe cum thesim hanc eventilassent: *Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur*; intulerunt absordissimam hanc consequentiam: *Ergo venite, & fruamur bonis, quæ sunt, & fruamur creatura, tanquam in iuventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Vel ut compendio stringam: Vita nostra brevis est anxia & molesta; Ergo vivamus læti, & concupiscentiis nostris frœnos laxemus.

Verum ô scelerati quis unquam sanæ mentis hanc dialecticam docuit? Quæ belluarum turpius, absurdiusque inferre potuit? Vita est brevis, mors instat, strictissimum æquissimi Judicis scrutinium nos manet, debitumque sceleribus nostris imminet supplicium; Ergo indulgeamus, Judicem ipsum exacerbemus gravius nihil pensi habeamus fasces, lancesque ipsius. Bona hæc fluxa, & lubrica sunt, quæ antequam manibus apprehendantur, teneanturve, elabuntur, & effluunt; antequam homo ea primis labris degustet, vel auribus oculisque hauriat, evanescunt, quin & ipsius contemplantis obtutus sæpissimè deludunt: Ergo illa avidissimè prensemus, illisque delectemur. Omnia hæc terrena sunt floris instar caduca, ac desultoria, umbra veri honoris, & simulachrum deliciarum germanarum: Ergo spreta, ac despecta veritate, fructibusque, floribus, ac umbris pascamur. *Non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis.* Quis quæso sanæ mentis hæc Corollaria deduxerit? Quis ejusmodi consequentias vel modice sapiens formaverit.

III. Si maleficorum quispiam morti adjudicatus, dirissimæque lanienæ deputatus, sic secum ratiocinaretur, spleneque toto in cachinnos effunderetur, cuncta carnificum supellectili explosa, nemo sanè esset, qui eum emotæ mentis hominem non proclamaret. Vel si moribundus alter præficarum loco tibicines, ac symphonascos, funambulones, ac mimos, similisque farinæ homines advocaret, genio suo litaturus, siquidem tempus breve superesset, universi profectò mentem ipsius Antyciras enavigasse decernerent. Et ego, vel alter quicunque sideratos hosce Sophistas eorumdem albo non adscribam? *Exiguum est tempus vitæ nostræ. Venite ergo & fruamus bonis.*

IV. Eundem in modum non minus insulsi morosophi apud Isaiam Prophetam argumentatur; seu rectius hallucinantur, quum ex mortis vicinia sequelam symposii, ac epularum inferunt: *Comedamus, & bibamus cras enim moriemur.* Vel meliore forma: *Cras moriemur: Ergo comedamus, & bibamus.* Omnia decoxisse, ac perpotasse consummatum Testamentũ est. Sublatum discordiæ seminarium, ubi necquicquã superest quod dividatur. Cras moriemur, comedamus, & bibamus. O porci, vẽtrisq; mãcipia, quid aliud ille, vel quodvis aliud jumentũ egurgitaret, si fari posset atq; idipsũ: *Cras moriemur*

Isa.42.v.13.

1 Cor.15.v.32.

temur; cras jugulabimur, comedamus, ventrisque desideria expleamus. Hoc duntaxat nostrum erit, quod inexsaturata cupido depasta fuerit. Revera si mica vel fidei, vel rationis superesset, illam utique cum D. Augustino sequelam efformarent: *Jejunemus & oremus, cras enim moriemur.* Vel cum Ecclesia ingeminarent:

Hym. Ecc. *Flectamus iram vindicem*
Ploremus ante Judicem
Clamemus ore supplici
Dicamus omnes cernui.
Nostris malis offendimus
Tuam Deus clementiam
Effunde nobis desuper
Remissor indulgentiam.

V. Verum quam illi vesaniam, nebula passionum suarum obcœcati in hujus vitæ porticu deserere dedignanturi, eandem sero tandem threnis necquicquam profuturis in Tœnariis deplorabunt gymnasiis: *Ergo erravimus à via veritatis, & Justitiæ lumen non luxit nobis.* O nos miseros, ô nos insensatos! Eheu quam turpiter hallucinati sumus, quando divina oracula cum sibilo excepimus, Deumque in iis loquentem explosimus. Eheu quam turpiter in barbara vel potius stultitia nostra argumentati sumus: *Exiguum est tempus vitæ nostræ*: ergo nullum sit pratum quod non prætereat luxuria nostra. Credebamus beatitatem nostram sitam in vitiis, ac divitiis, in honoribus & pompis, in fœdæ carnis voluptatibus; sed in præsentiarum periclitamur eadem venena extitisse melle circumlita. Credebamus nos legere de spinis rosas, de torcularibus promere massica, de pratis libare mella, sed eheu jam sentimus sub rosis latuisse spinas, in massico absynthium, in melle fel aspidum, & venenum insanabile. Credebamus affuturum subinde tempus mercaturæ, venale prostaturum oleum, locum inventuros pœnitentiæ, & gratiæ; sed prô dolor, non reperitur ultra qui nobis auctionentur oleum, soluta omnis celebritas, sublatus omnis deprecationis locus. *Ergo erravimus, & lumen justitiæ non luxit nobis.* Interni nobis luminis radius non effulsit, rectæque syndereseos fulgor caligine malignæ propensionis ecclipsim subiit.

Sap. 5.

Ita illi nunc exululant. sed nullus est, qui ipsorum miseratione tangatur; vociferantur rugitibus lamentabilibus, sed nullus est qui exaudiat, plorant amarissimè, sed nullus est qui liberet, nullus est qui commoveatur.

Utinam vero etiamnum non reperiantur, qui eosdem æmulentur, qui Lycæa frequentent, ut licentius vivant; qui nihil aliud addiscunt, quam ex optimis principiis consequentiam deducere absurdissimam. Hos ergo quicunque ii sunt, graviter, serioque monitos velim, quatenus ex veteratorio Epicuri Magisterio ad sublimissimam Doctoris Gentium Academiam se recipiant, & ab eo saniorem deducere sequelam assuescant.

§. II.

Illationes S. Pauli Apostoli ex Vitæ brevitate.

VI. Quid ille? Audite philoso-

Temporis brevitas ad contemptū mundi manuducit. 1. Cor. 7. v. 29, 30.

losophantēm: *Tempus*, inquit, *breve est. Reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* q. d. Momentaneum prope est hoc tempus omne, quo vivimus, & secundum istud imminet districtissimi judicii dies, & nunquam interitura æternitas: *Non ergo sæculi voluptatibus* mancipemur, sed ad reddendam Domino de acceptis donis rationem nos componamus, affectum nostrum intensius ad stabilia ac cœlestia, quam in terrena ac transitoria figamus, mundo ipso utamur tanquam peregrini, ne abutamur. *Reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utuntur.* Hæc conclusio prima ex brevitate vitæ, temporisq; deducenda. O quam bellè, quam divinè! si vita ipsa brevis, & caduca, si peregrinatio una ad cœlestem patriam, mens nostra in iis, per quæ necesse est ambulare, neutiquam sedem figat; sed magis ut hospita, quam domina, nec passionibus ullis mancipata terrena hæc despuat, atque pertranseat. Si cuncta personata sunt & figurata, (*Præterit enim figura huius mundi*) ibi figendus est animus; ubi ea, quæ specie, ac varietate blandiuntur, veræ solidæque pulchritudinis objectum retundantur. Si mundus ipse in sola inconstantia constans est, constanter diligendus neutiquam est. Incassum enim cor inibi mordicus figitur; ubi fugit ipsum, quod diligitur. Non ergo tanto studio transitoria quærenda sunt, quæ brevi demittenda, sed in illa bona intentio omnis dirigenda, quæ sine fine sunt possidenda.

VII. Altè sibi id infixerat Theodorus Juvenis, cuius meminit Surius. Hic luce toti Ægypto festa, cum in amplissima parentum domo risus, cachinni, tripudia personarent, genialesq; mensæ ad cupedias sollicitarent, ipse arcano ingemiscens vulnere, hunc in modum secum ratiocinari exorsus est; infœlix Theodore, & quid inde tibi commodum, si mundum lucreris universum? Multa habes, & quamdiu habebis? abundas, epularis, tripudias, & quamdiu hæc omnia? Nonne temporalia hæc flumen quoddam sunt, æternitas autem perinde ac rupes firmissima, sub qua flumen raptim præterlabitur? Cuncta enim transeunt, sola restat, nec transibit æternitas. Ergone hisce terrenis fluctibus vitam meam committam? Utendum, si sapimus, rebus eo modo, quo in se sunt condita, si fluxa, fluxè, & obiter iis utendum, si solida solidè, ac constanter iis animus affigendus. Itaque cum mundus desultorius sit, & omnia temporalia, perinde ac pluvia collecta in abyssum sui nihili revolvantur, despiciendus profectò, vel obiter libandus est; ut viaticum sit itineris, non illecebra mansionis. Cælestia verò, quia æterna sunt, perennibus affectibus stringenda. Ergo si sapis momentaneis hisce gaudiis præfer æterna. Hæc dum volvit, ad penetralia interiora domus se recipit, ibique prostratus supremum Numen precari cœpit: Deus æterne cor meum tibi patet; meus ad te Orator meus est gemitus; hoc unum, & præ omnibus

Vita S. Lysichomi, c. 19.

bus unum deprecor, ne mori sinas morte sempiterna. Jam ex nunc calcatis terrenis omnibus, me tuis servitiis mancipo, & ad viam, quam dilectissimus Filius tuus, Assertor meus, sanguinolentis vestigiis suis signavit, decurrendam me accingo. Tu modo vires suffice, & infractum redde.

Dixerat ista, & parentibus, deliciisque omnibus valedicto in S. Pachomii disciplinam se nudum tradidit. Tantum in eo valuit hæc sapientissima D. Pauli illatio: *Tempus breve est; reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo non utantur. Præterit enim figura hujus mundi*, & nunquam interitura instat æternitas. Nullus dubito, si alter quicunque mundi amator eandem sequelam, semota omni alia curarum turba profundius menti infigeret, ex Cosmophilo in Theopsilum transformandum. Fieri enim nequit, quin præsentia omnia despiciat, dum illuminatæ mentis oculos in considerationem venturæ æternitatis defigit.

VIII. Alterum Corollarium quod idem Apostolicus Doctor ex eodem principio deducit est, ut è tenebris peccati ad lucem virtutis; à somno scelerum, ad vigilias laborum nos recipiamus. Etenim quum Romanis demonstrasset venisse tempus Evangelii, noctemque Paganismi discussam, subdit illico: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis.* In quem locum D. Chrysostomus: *Recordemur fratres, quod tempus breve est. & judicium præ foribus expergiscamur jam à somniis.* A somnio nimirum, ac veterno pravæ consuetudinis; à pravis longa assuetudine peccandi habitibus. Hæc enim verè *tenebrarum* opera sunt, & caligenis. Ut enim ad Orcum clausis oculis; sic in peccatum itur. *Omnis peccans ignorans. Tenebrarum*, quoniam sub tempus caliginis enascitur progenies criminis, & ut bonum semen in meridie, sic malum in tenebris seminatur. *Tenebrarum*, quoniam peccati incentivum persepe solet esse subsidium tenebrarum. Dum enim nullum arbitrum facinoris sui habere autumant, laxius frœna ad omnem licentiam remittunt. *Tenebrarum*, siquidem odium lucis & amorem tenebrarum inducunt. *Omnis*, pronuntiat Magister veritatis, *qui male agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Tenebrarum*, siquidem subvertunt sanæ mentis judicium, ita ut nec Deum revereantur, nec homines curent, nec finem suum circumspiciant. *Tenebrarum*, quoniam ad eum modum, quo recedit lux de aëre, sequiturque carentia debiti luminis; ita in homine delinquente cum datur privatio rectitudinis in actu, consequitur peccatum. *Tenebrarum*, quia agnatum est omni peccato consuere folia ficus, texere excusationum sipparia; circumdare præcinctoria. *Tenebrarum*, quoniam ut tenebræ aëris graves accidunt ægris, peregrinantibus, incanceratis: ita multo graviores futuræ impiis tenebræ exteriores inferni, ad quas demum proscribentur. Ut ex his tenebris peccator sese expediat, adhortatur Apostolus dicens: *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, scientes tempus, quia hora est, jam nos de somno surgere.* Hora inquam

Tenebræ obstetricans peccatis.

Ioan. 12. v. 56.

Temporis brevitas è somno peccati excitat

Rom. 13. v. 12

S. Chrysost. h. 12. ad pop.

Rom. 13. v. 12

brevis, & venit nox, in qua nemo potest operari. Etenim si nemo sceleratorum in civili foro, tam vitæ suæ prodigus, mentisque inops, qui prævideat in proximo à se meditato facinore, ac perpetrato, sistendum judici, ac condemnandum, & non ab eodem sese cohibeat, aut omnia indicia illius, quantum pollet, amoveat; quanta dementia fuerit scelestum in divino tribunali, cum innumeris accedere peccati instrumentis, indiciis, testibus. *Abjiciamus opera tenebrarum.* Si debitorum quivis prospiciens sibi imminere terminum, quo in ergastulum compingatur, nisi æs contractum exolvat, omnes vires, studiaque impendit ad id tollendum, cur nos ad nomina graviora tollenda non assurgimus? *Abjiciamus ergo opera tenebrarum.* Si quilibet nostrum animadvertens ex captivitate sibi patere viam ad pristinam libertatem, & regnum, disrupto, quo constrictus tenetur vinculo, illud evincere omnibus nervis adniteretur, cur nos in captivitate animæ idipsum non æmulamur, quatenus regnum commune cum Deo Patre nostro hæreditemus, veramque filiorum Dei libertatem indipiscamur. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum*, quia hora jam est nos de somno surgere, quia tempus breve est.

Ninivitarii pœnitentia festina

IX. Ninivitæ denuntiato sibi ab homine religione diverso, gente peregrino ac fugitivo, secundum quadraginta dies evolutos interitu; illicò purpura depositâ saccos assumpsêre; veteres, quibus assueverant delicias aspernati cineribus sese aspersêre, conviviis lata lege proscriptis inediam indixêre, luctibus, singultibusque fora implevere veniam, & quodpiam supplicii levamen exorantes. Quidni pariter peccator unusquisque, non uno, sed millenis monitus vatibus de breviore forsitan suæ damnationis tempore commoveatur, vivendi licentiæ convitium faciat, sua errata ejugeat, & dum tempus est cum Judice rigidissimo in gratiam ocius redire contendat.

Zechiæ pœnitentia

X. Ezechias gravi pressus ægritudine, adque disponendum domui suæ à Vate admonitus primas ad Numen sibi reconciliandum flexit intentiones, conversusque ad lectuli caput flevit errata sua amarissime. Cur dico id ipsum non præstet unusquisq; nostrum, prospiciens se in graviore versari discrimine, & cum hac forsitan nocte cum epulone illo infelicissimo ad rationes reddendas evocandum.

Temporis brevitas ad pœnitentiam stimulat Iob 10. v. 20

XI. Job vir mentis integerrimæ, numerisque omnibus absolutus reducta sibi eadem vitæ brevitate in memoriam, extemplo ad nævos suos eluendos conversus est. *Numquid ait, paucitas dierum meorum non finietur brevi*; q. d. Ponamus me supervicturum etiamnum annis decem, & ultra; quid est id omne nonne momentum unum? Nunc cum ducitur diuturnum videtur, at cum absolutum fuerit, tunc primum parebit, quam breve fuerit. *Numquid paucitas dierum meorum non finietur brevi?* Quid inde mi Job? Ergo fruendum

endum bonis, quæ sunt; luctus, & curæ mero diluendæ, indulgendum tantisper genio? Absit hoc à me replicat: *Demitte me ergo ut plangam paululum dolorem meum.* Ergo cum tempus breve sit; Ergo cum paucitas dierum meorum brevi coronabitur, sine me non genio, sed luctibus indulgere; non mero, sed lachrimis diluere crimina mea: *Dimitte me ergo.* Ex præmissa brevis vitæ, Theologicè intulit consequentiam optimam pœnitentiæ. Vah & nos, qui majorum pondere criminum premimur, eadem habita notitia, id ipsum ex humeris decutere, salutarique contritione, ac exemologesi expiare non adnitemur? *Ergo abjiceamus opera tenebrarum*, ut semper nullius nobis gravioris criminis conscii, accinctissimus vocantem Deum sequi, & cum amante amore ipsius emori.

Brevitas vitæ excitat ad bona opera.

XII. Tertium quod ex eodem Antecedente Apostolicus Doctor elicit, est, ut exercitium bonorum operum sedulo tractemus. Quippe cum egisset de æterna remuneratione, & messe, quam ex semente illorum lecturi sumus, illico infert consequens: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, q. d. Nunc tempus messis est, idque brevi evolvendum. Ergo utamur tempore, copiosamque jaciamus segetem, quatenus eo abundantiorem colligamus messem: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.*

S. Hier. h. l. S. Hieronimus docet hoc loco moneri universos, ut tempus piè, fructuoseq; impendant: *Breve inquit, est curriculum vitæ nostræ, ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Etenim in huius mortalitatis emporio utiliter non vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur. *Ergo tempus habemus, dum operemur bonum.*

XIII. Itinerantes si forte Phœbum videant caput inclinare, Hesperumque oriri, & jamjam nubium sipario terram obduci, ne porta civitatis claudatur, commodioreq; fruantur hospitio, maturant iter, & equos festinantius propellunt. Eosdem, inquit, æmulemur, tendentes ad cæleſtem Jerusalem, si occasum vitæ præ oculis habeamus. Porta per quam nobis peccatoribus intrandum, misericordia Domini est, quæ aperitur viventibus per seriam veramq; pœnitentiam, obseratur verò in morte per eiusdem Dei nostri Justitiam. Itaq; ne præoccupati inopina morte, quæramus locum pœnitentiæ, & non inveniamus, ex nunc expiare delicta nostra contendamus, ex nunc merces gratiæ, & gloriæ cumulare studeamus.

Recogitate quid non agat institor sub tempus nundinarum, ut sudat & alget, nec quadrantem otiosum elabi sinit; idque ea de causa, quia breve tempus est. Cur nos eadem sedulitate non nundinamur cæleſtia, quum dictum omnibus sit: *Negotiamini dum venio, & Tempus breve est.* Quid dico Sathanas ipse circumiens quærit, quem devoret, cogit copias ad nos

fallēdos aſſumit ſeptē ſpiritus nequiores ſe adarcem præcordiorū noſtrorū expugnandam, nullumque non lapidem movet, ad nos obruendos, ac demergendos. Unde obſecro tanta illi ſolicitudo, tantus conatus & æſtus? Audite oraculum: *Deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet.* Quia novit noviſſimā eſſe ſæculi horam, imminere noctem æternitatis, in qua clauſa ad exeundum, infeſtandumque erit janua, idcirco totis viribus, dum valet, adnititur nos proſternere, irarumque ſuarum aconita evomere.

Apoc. 12. v. 12.

Ergo ſi curſorum quivis pro commodiore diverſorio obtinendo ad terminum deproperat; an non æquum, ut nos acuratiore conatu ad æternam poſſidendam requiem contendamus? Si inſtitor pro lucello, proq; obulo tam pervigil excubat; an non juſtius, ut nos pro animarum noſtrarum lucro, vitæque ſempiternæ merito deſudemus? Si Orcus ipſemet ad majorem ſuam damnationem, noſtrumque interitum tantopere æſtuat; nos ad illam evitandam, animamque ſalvandam torpebimus?

XIV. Et tamen eheu quam verum eſt, quod ait ſeneca: *Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Magna ait, pars elabitur male agentibus.* Etenim quot horæ elabuntur in cogitationibus otioſis? quot in verbis fabuloſis, obſcœnis, futilibus? quot in operibus infructuoſis, immo & ſcandaloſis? *Maxima nihil agentibus.* Computemus tantum horas, quas in ſomno, luſu, otio traducimus, & & deprehendemus liquido, maximam nobis vitæ partem per ea intercipi. Conqueſtus olim coram amicis ſuis dicitur Titus Imperator; quod diem perdiderit, quod ea nihil ſe boni feciſſe recordatus fuerit. *Amici diem perdidi.* Utinam nos ſero licet non diem unam ſed menſem, ſed annos, ſed luſtra, ſed ætatem perditam indoleamus. *Tota denique aliud,* (quam id, quod agendum erat) *agentibus.* Non enim tam virtutis proſequimur honeſtatem, ab ipſa natura, ratione, legibus commendatam, quam induſtriam vel artium, vel ſcientiarum, vel lucrorum, vel fallaciarum. Nonnulli in rebus minimis, alii in maximis excellere nituntur; hic totus quantus in eo eſt, ut fumum gloriæ ex dictione colligat; ille ut ex actione & bello, alii toti in eo ut multum ſciant, parum ſoliciti, ut bene agant, malunt Docti audiri, quam eſſe boni, neque turpe putant, cum eruditione ſua, & artibus, ſine corde volutari in carne, & ſanguine. *Tota denique aliud agentibus.* Eheu qualis hæc Theologia eſt, quam diverſa ab illationibus Apoſtoli; quam non tam vocibus, quam re ipſa profitemur! Ubi manet illud: *Tempus, tempus breve eſt, reliquum eſt &c.* Reliquum eſt, ut non in otio, ſed fructuoſo negotio, non inter pereuntia gaudia, ſed inter pia exercitiia vitam exigamus; ut non juxta Epicurii aſotii axiomata cum fulminatis Moroſophis eandem dirigamus, ſed Apoſtoli illationibus in omnibus conformemus.

Temporis dispendium quantum Sen. de beneficiis

Ne

Ne itaque ſerò ſtultitiam noſtram cum præfatis inſipientibus apud Sapientem adductis deploremus audiamus, & acquieſcamus Apoſtolo; utamur hoc mundo, tanquam non utamur, abiiciamus opera tenebrarum, induamus arma lucis, & dum tempus eſt operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Quod nobis elargiatur Jeſus Chriſtus Deus, & Dominus noſter. Amen.

CONCIO LIII.

IN DOMINICA XXIV. POST PENT.

Parebit ſignum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli. Matth. 24.

ARGUMENTUM.

Aſpectus judicis impiis gehenna ignis.

O Dulciſſime mi Jeſu, ô unicum, ſummumque animæ meæ ſolatium, ô ultimum, ac ſecuriſſimum in neceſſitatibus meis aſylum. Quid audio? quibus percellor nunciis? *Parebit ſignum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ.* Tunc ubi Arca, & Arcus fœderis exorietur; tunc cum Lignum Vitæ exhibebitur; tunc ubi deſcenderit deſiderium collium æternorum, ferient pectora, ſingultibuſque inenarrabilibus aera complebunt omnes fines terræ. Quid iſtud? Itanè Crux tua ſancta illo articulo contra nos arietabit? Itanè Lignum Vitæ fructum mortiferum protrudet? Itanè Arcus Fœderis hactenus exarmatus in nos torquebit jacula? Itanè Arca ſalutis evadet cymba Acherontica? Itanè ſpes noſtræ ad Petram refugium herinaceis, perinde ac ſcopulum alliſæ in ſpumas abibunt? *Tunc parebit ſignum &c.* Parcite Auditores mei, quod in præcepta Rhetorices tam graviter in exordio ſermonis mei impingam. *Malus magiſter metus eſt,* (quo ego in præſenti concutior,) *malè ordinat caſtra, malè verba*; loquor ore Quintiliani. Ajo iterum reſumpto nonnihilum Spiritu: Itanè piiſſime Jeſu crux tua ſancta futura eſt libra in qua appendentur peccata mea? Itanè framea pertranſiens ad diviſionem corporis, & animæ? Itane anchora, qua demergamur; catapulta, qua in abyſſum gehennalis protrudamur incendii? *Tunc parebit, &c.* O Crux beatiſſima, quò diffluet pretioſiſſimũ illud miſericordiæ oleum, quod diſtil- *Quintil.*

labas?

labas? Quo abibunt unctiones illæ ardentissimi amoris ac dulcedinis in nostrorum vulnerum medelam institutæ? Ubi manebit Assertor meus Crucifixus in te? Ubi brachia expansa ad recipiendos omnes peccatores? Ubi caput ad dandum filio prodigo osculum, summo dilectionis indicio in illa inclinatum? Ubi pectus lancea reseratum, ad condendum asylum sperantibus in eum? Eheu nusquam satis deplorandam impœnitentibus metamorphosim! Eheu terribilium omnium terribilissimam transformationem! Aderit equidem Christus, sed totus mutatus in crudelem, jam non Agnus sed Leo. Aderunt brachia jam non expansa in amplexum, sed extensa ad peccatorum interitum. Aderunt oculi, sed flammei; lingua, sed instar gladii ex utravis parte acuti pectus, sed seris validissimis oppilatum. Non enim jam apparebit benignitas, ac humanitas Salvatoris nostri erudiens nos, sed justitia ipsius vindicans iniquitates nostras. Hæc metamorphosis lachrymas plusquam Niobeas eliciat; hoc spectaculum plusquam Medusæ caput lapidescere faciet. Hic aspectus omni gehenna atrocius excruciabit impios.

§. I.

Prosecutio Argumenti.

II. In argumentum propositionis meæ assumo psalmum quadragesimum nonum de decretorio hoc judicio decantatum. In eo enim palam adventus Judicis terribilis mentionem facit, dicens: *Deus manifestè veniet, Deus noster,* Psal. 49. v. 3 *& non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* q. d. Dominus, qui hactenus invisibiliter ad multos per gratiam deflexit, jam patentius veniet per potestatem, majestatemque suam. Non jam gratiarum suarum fluenta diffundet ad benevolentiam suam conrestandam; sed flammarum evomet incendia ad iniquos perfumdandos. Pergit inibi, & testes advocandos adducit: *Advocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum.* Neque enim adversarius fratrum Sathanas duntaxat, sed & cœlites, & impii ipsi Ninivitæ adversum semet calculos damnationis proferent. Ibidem divisionem ovium ab hædis denuntiat: *Congregate* illi Sanctos ejus, nempe ad dexteram ipsius. Hisce decretum in impios sanciendum subtexuit: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.* Qua fronte te fidelem, Christianum, te Catholicum nominare præsumpsisti? Et tandem decumanum indignationis fluctum in eos devolvit: *Existimasti iniquè quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Arbitratus & procul abesse tempus visitationis meæ, & ecce adesse festinant tempora ultionis. Thesaurizasti tibi iram in die iræ, vanissimoque commento illusus, sperabas te manus meas evasurum. Sed ecce *iam arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Ib. v. 4. Ib. Ib. v. 16. Ib. v. 22.

Sciscitor hic ego, quidnam illud futurum sit quod Dominus in furore suo oppositurus sit impiis? Quonam objecto, seu spectaculo tragico sceleста præfractaque percellet, capita?

An

An sathanæ, cujus sese manciparunt servitiis? Est profecto aspectus ejus tam horribilis, ut exanimandis impiis millies par sit. Sed adinveniet Themis divina omni Erebo terribilius, quod objiciet. An peccati ingeret turpitudinem? Et ipsum sathana ipso multo deformius, utpote quod ipsum ex Angelo lucis in principem tenebrarum deformavit. Et ita legunt LXX. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam peccata tua.* Ut veluti alter Ezechiel ingrediaris templum cordis tui, & videas abominationes pessimas; quas patrasti. Mirabilia, & horrenda sunt ista. Verum horribilius, tetriusque reformidate. Num forte gehennam ignibus sulphureis inflammatam obtrudet? Favet Chaldæus: dum ita legit: *Arguam, & ordinabo contra te iudicium gehennæ.* Videtis ô peccator os abyssi immensi, volumina flammarum emergentium, carnesque tuas lambentium. Videbis juratissimos hostes tuos accinctos uncis ignitis ad te detrahendum. Videbis tormentorum locum ubi omnia sunt, quæ cruciant, nihil omnino quod refrigeret. Eheu spectaculum tragicum, ac formidandum! Verum & id nimis etiamnum blandum est, mallent scelesti inibi ustulari, quam in divino comparere tribunali. Quid igitur? Hidorus clarius legit: *Arguam te, & statuam me ante oculos tuos.* Ego, inquit justus Judex, in indignatione mea tibi me ob oculos statuam; ego tibi monstrabo plagas propter te susceptas; quæ ut olim exorabant veniam, ita tunc provocabunt vindictam. Ego tibi exhibebo Gladium, quo prostratus est diabolus, sed strictum ad dilaniandam animam tuam. Ego tibi aspectabilem dabo faciem meam pro te sputis oblitam, conspurcatam, alapis contusam; sed jam contra te ingratum succensam in furore meo. Egomet tibi in faciem exprobrabo infidelitatem, impietatem, infanda tua; ostendamque quod me graviore criminum cruce, quam illa, in qua quondam pependeram affixisti. Gravior enim mihi peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quam illa in quam tui misertus conscendi, mortem occisurus. *Arguam te & statuam me ante oculos tuos.* Non jam amicum, sed hostem, non mitem sed crudelem; non jam Assertorem, sed Judicem, Testem, & Vindicem severissimum. Quoniam despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, in cruce vitam, in suppliciis medicinam, experiere in in homine Judicem, in infirmo fortem, in cruce ipsa mortem. Hoc, hoc futurum, quod impios omni gehenna tetrius, crudeliusque excruciabit.

Facies Christi impiis gehenna ignis In h. l.

III. Ad idipsum roborandum assumo textum alium ex eodem Psalte in hæc verba decantatum: *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum.* Nisi iterum toxica, & intemperantiæ sulphur evomueritis, nisi priorem statum perosi meliori vitæ vos ocius redonaveritis, nisi à peccati sterilitate ad frugem vos receperitis, gladium suum in vos exeret vindex Deus. Quæro rursum *Psal. 7 v. 13*

quis

quis hic gladius ? Numquid enim semel Dominus dextra armata intonuit ? Numquid unam gentem in furore indignationis suæ demessuit? Numquid gladius ipsius in Moabitas, Amalecitas, Jebusæos, Amorrhæos, Hereos non desævit ? Quis iste Gladius? Audite Augustissimum Præsulem Interpretem. *Potest ipse Christus Iesus Dominicus Gladius intelligitis acutus, id est framea, quam non vibravit primo adventu; sed tanquam in vagina humanitatis abscondit, vibrabit eum in secundo adventu veniens iudicare vivos, & mortuos, quando in manifesto splendore claritatis suæ, iustis lumine suo, & terrore impiis coruscabit.* Nam in aliis exemplaribus pro eo, quod est, Gladium suũ vibrabit, *frameam suam splendificabit, positum est.* Quo verbo convenientissime significatur, ultimus divinæ claritatis adventus, tunc enim se ipso confliget, qui hactenus per creaturas arma intonabat, tantoque vehementius, quanto Creator supereminet creaturæ.

Christus d. Gladius. Aug. h. l.

Tabula de Amore.

IV. Ex Poetarum cerebello est, Cupidinem jaculis omnibus incassum insumptis ad expugnenda cuiuspiam præcordia; semet in sagittam efformasse, atque ita in cor dilecti ejaculatum esse. Amplius præstitit Amor noster, Deus noster, quàm vel tota comminisci potuit antiquitas. Non satis illi erat multifaria beneficiorum tela in nos vibrasse, nisi una sese in arcu crucis, in jaculum stupenda metamorphosi transformasset, ut vel sic adamantina præcordia amoris sui cuspide adigeret.

Verum cum nec hoc amoris artificio quidpiam in plerisque evicisset, ut est amor Zelosus, & eo potentius furore succenditur, quanto intensius primum duellabat affectibus, semet in frameam furoris, indignationisque transformabit *Arcum suum tetendit*, &c. Ut omnem iram suam effundat, totus in Leonem, totus in Gorgonem, totus in Basiliscum transmutatur, ut vel solo ipsiusmet intuitu millies impius, ingratusque examinaretur, millies nisi divina potentia ad graviora reservaretur, in sipulum obrigesceret. Quanto enim diutius in patientia illos sustinuit, tanto truculentius injuriam suam ulciscetur. Vinum optimum Amorem dixeris,, ex quo corrupto acetum fit acerbissimum.

V. Quod ut penitius præcordia vestra penitret, regustate quoties, quamque graviter, vel hominum aspectu severiore, vel umbra quapiam latentis Majestatis perculsi sint mortales.

Esther deliquium unde Esth. 15.

De Esther regina perhibent sacri codices; *Ingressa stetit contra Regem, ubi residebat supra solium regni sui, indutus vestibus regiis auroque fulges.* Tali habitu viso corruit Regina, & *colore in pallorem mutato lapsum supra ancillam reclinavit caput.* Erat Esther Regi Assuero ob eximiam pulchritudinem multo charissima, ita ut supra omnes mulieres eam adamavecrit, & diadema suum posuerit super caput eius. Et ecce aspectu illius dilecti sui in majestatem aliquantulum augustiorem exasperato, prolapsa est semianimis, nec ultra sui potens.

Ita vultum amantis, & amati sustinere Heroina non potuit; qua ergo ratione tu ô scelestе perferes faciem

cm irati, & armati contra te Judicis.

VI. De Zenobia Palmiriorum Regina refert Sabellicus eam non minus forma, quam furore nobilem extitisse. Quam ut in necem civium effusam placaret filius Policrates his inter alia usus est verbis: *De irata matre dicturus fio immotus, vix stare laboro, genua se invicem tangunt, & ad singula corporis membra iratæ matris sævitia diffunditur.* Si filius dilectissimus tanto percellitur terrore corã matre sua peroraturus, quis non si fieri posset cum ficta Niobe in saxum induraretur, Numini irato rationem redditurus.

Zenobiæ furor nobilis

Sabell. l. 7. Enn. c. 7.

VII Meminit Aurelius Victor, quod Cæsar Augustus oculis seu fulgure terreret intuentes. Unde quidam illum alloquens, ac toto tremens corpore, oculos in terram demisit, & Imperatori miranti, ac rationem quærenti, respondit. *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum.* Si terret in tantum visus hominis clementis, quid faciet vultus Dei irascentis, & Judicis fulminantis?

Vict. Aurel. lib. de Vita & moribus Imp.

VIII. Nec præterire queo casum extraordinarium in Rege Davide Calamo Scribæ velociter scribentis signatum, Nempe quod in adulta ætate, quantumvis pellibus vulpinis, zebelinisque duplicatis uteretur non potuerit calefieri. *Cumque operiretur vestibus non calefiebat.* Profecto David vel in illa ætate cadaver emortuum non erat, spiritu, sanguineque abundabat, nec tamen exæstuabat fomentis quibuscunque adhibitis, sed totis quandoque artubus contremiscebat. *Cumque operiretur* &c. Unde quæso tantum frigus membra illius insederat?

3. Reg. 1.

Audite, & stupescite: Ex quo David Angelum trucidantẽ ob arrogantiam, fastumque suum populum conspexerat, tam gelidus rigor eum incessit; ut nunquam posthac incaluerit. Ita Abulensis: *Ex timore, quo vidit Angelum percutientem timuit, & cecidit in terram, & in tantum deinde conturbatus est, quod usque ad mortem mansit in eo iste timor, & infrigidatio.* Jam vero si unus Angelus armatus tantopere perculit David, quem obsecro terrorem sentient impii videntes furore succensum in die novissimo Dominum ipsum, & depugnãtem cum eo contra ipsos orbem terrarum? Si strages unius civitatis tantum ingeneravit timorem, quantum orbis universi ruina? An non mallent pati flammam inferni, quam vultum Dei irati?

Abul in 2. Reg. c. 9. v. 2

IX. Populus Israeliticus videns montem sinai fumantem in quem descenderat Dominus, timore perculsus recessit procul ab eo, dixitque Moysi: *Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Tanta populum incesserat formido ex præsentia Majestatis Dominicæ, non in furore, sed gratia sese demittentis, legemque suam promulgantis. *Non loquatur nobis Dominus.* Eheu, qua ratione impii sustinebunt ferientem, si Judæis arduum erat audire consolantem. Quomodo scelerum ultorem intueri poterunt, si illi nec scelerum conscientiam ferre valuerunt? Qui inquam ferent transgressores ferientem, si legem indicentem illi perferre nequiverunt? Quibus conflictabuntur doloribus, quos

Exod. 20. v. 19.

eadem Dei Majestas non blanditiis, sed minis, non amoris indicio, sed vindice gladio, non ad salutem, sed ad interitum consectabitur?

Imaginis Christi terror.

X. P. Raderus noster ex Antonio Valthrino recenset, quospiam Christianorum in Peruviam ad populum etiamnum Ethnicum venisse, ibidemque alias inter merces suppellectilemque Dei sui Vindicis iconem exhibuisse. Quæ res cum hominum celebrata sermonibus, ad Regem delata fuisset, is institorem illum, suorum asseclarum manu, precibusque adductum efflagitat, quatenus Deum suum, (ita iconem illam vocitabat Barbarus) exhibere non gravetur. Paruit ille, sed ubi primum illam explicuit, illico Regi displicuit, ut non tam venerationis, quam confusionis gratia eructaret: *Hiccine Christianorum Deus*, cuius auxilio terras nostras sibi reddidere vectigales Hispani? Ita omnino regerebat ille. Tum hic. Homo, ut icon refert, ille fuit, morteque turpissima sublatus est, & mox exspuens in terram imaginem reddidit mercatori. Mirum dictu. Ut primum illam recepit, actutum caput movere visa, oculos in regulum defigere, percellere, ut quotquot præsentes eum Rege aderant, una in terram provoluti tribus horis semianimes jacuerint, interim ad se reversus Princeps agnovit virtutem Crucifixi humana altiorem, pœnamque statuit in eos, qui deinceps Numen Christianorum blasphemare præsumerent, quod constructa Basilica subinde palam cultui subditorum venerandum proposuit.

Raderus in vitâ & P. Tanner in mortib. Ill.

Crux impios percellit.

Hic ego vos appello Auditores mei recogitate, ac reflectite vos quæso, quantus illo districti judicii die spretæ Majestatis stupor futurus? quantus terror ossa concussurus, ubi jam non in imagine & umbra, sed in veritate, præsentia humana, ac divina, non jam motu levi capitis adumbrato, sed flammantibus oculis impios percellet? An non acerbius illis eventurum vultus Iudicis irati intueri, quam ipsam gehennam perpeti?

XI. Assertor idem noster in ipso prope Lethi termino constitutus, miserandumque in modum tædio, ac pavore constrictus, cum veluti potentiæ suæ immemor, barbarorum, efferatorumque militum crudelitati sese objiceret, verbulumque unicum detonuisset. *Ego sum*; subito tanquam fulmine quodam perstricti, proni cum perduelli antesignano suo Juda corruerunt in terram. *Ceciderunt retrorsum.* Fugerunt rapacissimi accipitres simplicem, candidamque columbam, & ad balatum Agni efferatissimi Leones exanimati sunt. Quantum hoc prodigium? Explicat illud Dionysius Carthusianus, dicitque Christum iis repræsentatum ut Judicem, non secus atque in extremo judicio: Verba ipsius sunt: *Christus vultum suum ostendit in terrore, & Majestate, egredientibus ex oculis eius igneis radiis, atque divino quodam fulgore in eis mirabiliter irradiante, & apparatu sui vultus exterruit, atque prostravit.* Addo & in verbis illis. *Ego sum* una eos intelligere fecit, *qui judicaturus sum vivos & mortuos.* Quid igitur mirum, si ceciderunt retrorsum de sacrilegio quod patrabant, reddituri strictissimam rationem, ex quo scite S. Augustinus

Ioan. 18. v. 8

Christus quâ voce prostravit hostes.

Dion. Carth. tr. 48. in Ioa.

gustinus: *Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit qui moriturus hoc potuit?* Vel ut loquitur S. Leo: *Quid iampoterit Maiestas eius iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?* Quis ejus iram toleret, cujus & ipsa mansuetudo non potuit tolerari? Tantus profecto tremendi judicii futurus est terror, ut nemo mortalium ingenio quantumvis Angelico præditus assequi ex æquo queat.

S. Aug. tr. 1. in Ioan.
S. Leo ser. 1. de Pass.

XII. Exclamo itaque cum Malachia Vate: *Quis poterit cogitare diem adventus eius, aut quis stabit ad videndum eum?* Quis tanti animi, ac fiduciæ, tam firmatus in basi gratiæ, tam purus in conscientia, tam sublimis in sanctitate, ut urnis supremi Judicis inconcussus assistat? Quis stabit ad videndum eum? ad cujus æstuantis oculi nictum defluunt gentes, terra dehiscit, montes liquantur, cœlum instar libri convolvitur, natura tabescit: *Aspexit*, inquit Habacuc, justo inflammatus furore, & *dissolvit gentes.* Vel ut est apud LXX. *Liquefactæ sunt gentes.* Quis stabit ad videndum eum, qui tribus digitis portat orbem terrarum, cum volet succutiet eum, jactabitque non secus, ac in spheristerio pilam, ut in ludo paganicam, *Quis stabit ad videndum eum?* qui aufert spiritum principum; qui Gigantes Centimanosque Briareos spiritu oris sui exanimat; qui nutu interficit potentes à sæculo, extollentemque se vesanorum insaniam, ut vermiculum delemita proterit. *Quis stabit ad videndum eum*, cujus pulverem pedum lambunt Cherubini strati abjectique ante illam inexplicabilem majestatem; cujus electrinum, ac flammeum essedum ad honoris pompam, justæque venerationis homagium comitantur Seraphini, humeris suis bajulant throni, ad cujus nutum empyreæ contremiscunt columnæ? *Quis stabit ad videndum eum*; si aurum mundum liquescit ante oculos ipsius, fœnum aridum quomodo sustinebit? Si tremunt columnæ, quid facient tabulæ? Si Cedri quatiuntur, quomodo virgulta inconcussa subsistent? *Quis stabit?*

Melach. 3. v. 2.

Iudicii rigor ineffabilis.

Hab. 3. v. 6.

XIII. Audio in persona cujuspiam præsciti votum à Jobo eructatum, ut nimirum eo articulo in profundo inferni, seu in fornacibus Avernalibus densam inter caliginem abscondatur: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus.* Eheu quale hoc votum? ubi mens ubi ratio? Nonne scis infernum incolatum esse omnium calamitosissimum; fornacem in qua flammæ vicacissimæ carnes impiorum depabulantur; Labyrinthum inexplicabilium tormentorum; Locum suppliciorum, in quo præter equuleos, ignes, sartagines, forcipes ignitas nihil videas; nihil gustes præter sulphur, & piceata flammarum volumina, nec quicquam olfacias, præter intolerandam cadaverum, teterrimorumque sordium mephytim; nec audias, præter blasphemias, ejaculatus, tormenta, nec demum attrectes quicquam præter ignem, & ignem; forcipes ac serpentes, cadaverum, ac dæmonum spectra? Quid igitur optas? quo tua collimant vota? *Quis mihi hoc tribuat, ut inferno protegas me?*

Infernus mitior die Iudicii

Iob. 14. v. 13

Itane infernus futur* asylũ? à facie iræ, ac furoris Domini? Itane in comparatione hujus pœnæ omnes inferni flammæ tibi rosæ? vermium, & serpentium morsus tibi oscula, asperrima dœmonum flagella blanditiæ? inconditi infelicium præscitorum ejulatus symphonia? Ita revera est respondet os aureum: *Si quis est mente, aut sensu præditus, is certe gehennæ pœnam tolerare malit, quam coram adverso Deo stare.* Mallet inferni cruciatus, dœmonum teterrimas facies; quam vultum irati Judicis intueri; mille fulminibus impeti, quam audire vocem Leonis rugientis. Nam ut ait Alpha SS. Patrum: *Maius tormentum malis erit furorem vultus Domini tolerare, quam cruciatus infernales perpeti.* Gestirent à facie iræ, & indignationis Domini in clibano ignis ardentis tumulari, quam incoram reprobari.

S. Chrysost. h. 10 in Ep. 2 ad Cor.

Augst.

XIV. *Idcirco*, ait de ipsis Hagiographus; *ibunt hi in supplicium æternum.* Non dicit; rapientur rudentibus inferni, quemadmodum apostatrices angelicæ virtutes; aut absorbebit eos tellus, non secus, ac Core, Dathan, Abyron Drahomiram in arce pragensi alioque; aut ligatis manibus ac pedibus mittent eos in caminum ignis ardentis, quo stilo alibi utitur; sed ibunt, current, volabunt in supplicium æternum, perinde ac si ultra discederent, pronaque voluntate eo migrarent.

Christi facies aversa, horribilior inferno Matth 24.

Damnati aut sponte ituri ad infernum

Quæso quid eos pellicit ad ejusmodi cursum; cujus finis seu exitus tam funestus? Ad consolationes ad delicias sponte provolamus; à supplicis, quantum possumus refugimus. Quomodo itaque dicitur, *ibunt hi in supplicium æternum.* Mirandum sane non est, siquidem tantus erit pavor, terrorque à facie divini Judicis, ut minus eligant tormentum gehennam perpeti, quam irati Judicis sustinere præsentiam. *Minacem puto Iudicis vultum*; scribit Celada, *minitantem iras, fulgurantem ignes, fulminantem incendia ipsis feralibus flammis acriora.* Tanta enim suffundentur ignominia in loco judicii ut ultro rituri sint ad Tartara, qui nec millenis præceptis, nec tunsionibus, aut pressuris propelli poterant ad cœlestia.

Celada in Iud. c. 16.

XV. In testem vobis sisto ex tota fulminatorum gente Apostatam, proditoremque impiissimum Judam, quærite ex eodem, quid ipsum impulerit in laqueum? quid ad abyssum præcipitem egerit flammarum inextinguibilium? Audietis pro eo reponentem S. Patriarcham Laurentium Justinianum; *Avertit faciem suam, ne cœlum, cœlorumque videret Dominum.* Ne experiretur faciem Domini exprobrantem, elegit Sathanam sævientem. Maluit tolerare inferni tormenta, quam stare adversum Dominum, ac Magistrum suum offensum. Maluit ustulari citius, quam à Christo resurgente redargui manifestius. Idem sensus aliorum, leviorem reputant lanienam sathanæ sævientis, quam Christi faciem intueri judicantis. Et idcirco, *ibunt hi in supplicium æternum.*

Iudas cursu suspendit

Laur. Iust. de Triumph Christi

Epilogus.

XVI. Audit hæc forsitan impius quispiam

quiſpiam, ſed collo obſtipo, aure ſurda, fide emortua, & amentia haud vulgari, falſus ſibi augur occinit: *Quod violentum non diuturnum.* Evaneſcet ille aſpectus fulguris inſtar, nosque terrore ſolutos deſtituet. Ita dico ſibi quiſpiam mendacia fingit.

Verum antiſtrophon regii vatis eſt: *Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.* Excruciabitur hac viſione ſibi impreſſa, aliisque in omne ævum ſuppliciis, millenis occumbet mortibus renaſcens in propriis tormentis, atque incendiis ſibi Phœnix. Nam etſi in ictu oculi reſurgemus, unicoque prope immutabimur momento, non uno tamen, (quantumvis poſſet) verſabit Judex æquiſſimus urnas. Et utut brevi intervallo ſcena totius diſtricti judicii abſolveretur, obverſabitur nihilominus impiis æternum ob oculos fulminantis Numinis vultus; reſonabit echo illa Tartareis in ſpeluncis millies & millies replicata: *Diſcedite à me Maledicti in ignem æternũ.* Manebit intimis inaratum fibris: *In æternum abjecit Deus, nec opponet, ut complacitior ſit adhuc.* Numera tot annos, quot calculari queunt arenæ in litore maris, quot folia in arboribus, quot gramina in campis, quot pili in animantibus, quot pennæ in volucribus, quot ſquammæ in piſcibus. *Non apponet, ut complacitior ſit adhuc.* Confice numerum, qui exarari poſſit in univerſo cæli ambitu in pœnis tuis. O quantus, quantus hic numerus! *Non apponet, ut complacitior ſit adhuc.* Defleas in iis tormentis iniquitates tuas, quoad terram omnem ad convexa uſque cælorum inundes. *Non apponet, ut complacitior ſit adhuc. Laborabis in æternũ & vives in finẽ*

Pſal. 48. v. 9

Pſal. 76. v. 8

XVII. Eheu viri cordati audite me, quis veſtrum tam ferrei pectoris, cuius ſenſus tam adamantinus, cuius ad tanta tonitrua cor non deficiat, ſpiritus non expalleat, vires non infringantur, cui ſangvis non alget in venis, membra non latent in corpore, per oſſa gelu frigidum non graſſetur? Terra terrore ſpectaculi concuſſa inſolitis jactabitur motibus, ſidera præ ſtupore eluminabuntur, columnæ cæli contremiſcent, faſtigia montium æquabuntur, tota mundi machina colliſa diſſolvetur; & peccator non amplius ſilice commovebitur? ad tanta fulmina perinde atque ad catadupas obſurdeſcet? vultum exacerbati Numinis impavidus ſuſtinebit? O verè inſenſatos, ô verè ferreos, qui ad foliorum quemvis motum Caini inſtar percelluntur, ad repentinam fiſtulæ æneæ laxationem obrigeſcunt, ad inconditum clamorem conſternantur animis, & ad Leonis rugitum, ad fulmina Omnipotentis, ad colliſionem montium, ad Tartarea incendia non percelluntur!

Matth. 24.

XVIII. Subdit tamen ſacer textus: *Tunc plangent omnes tribus terræ.* Tunc laxabũt pectus ad ſuſpiria, os ad lamẽta, oculos ad lachrimas, cum viderint voluptates ſuas in tormenta, delicias in ſupplicia, honores in opprobria, odorẽ in fœtorẽ, canticũ in gemitum converſum. Tunc volent cinere caput conſpergere, immiti premere membra cilicio, in terga ſævire flagellis, pectus diſſindere clamoribus, quando Agnus manſuetiſſimus tan-

quam Leæna raptis occurrét catulis, quum suum jam vibraturus erit gladidium, quum Alpium instar super eos devolvetur; eosque conteret. Tunc plangent, singultibusque necquicquam profuturis reboabunt, cum publice profiteri cogentur peccata sua coram summo Sacerdote Christo, orbeque universo, quæ modò Sacerdotis ipsius vicarii auribus concredere refragabantur; cum in satisfactionem pro peccatis injungetur jejunium perpetuum, sempiterna scorpionum flagella, afflictiones corporis, & animæ, in clibano Cocyti inexplicabiles; cum jam non expedientur amplius, sed constringentur quasi in manipulos in peccatis suis, ligatisque manibus proiicientur in tenebras exteriores. Tunc plangent, & ad pœnitentiæ asylum sese recipere contendent; quum conclamata, desperataque erunt omnia. *Tunc plangent omnes Tribus terræ.*

Ne id eveniat damno nostro nunquam reparabili mihimet miserrimo peccatori, jam nunc cor, manusque sustollo, jam nunc ô Judex vivorum, ac mortuorum tuam misericordiam exoraturus, prono corpore, animoque advolvor, Jam nunc tibi ut summo Pontifici peccata mea in amaritudine animæ meæ confiteor, eaque tuis conterenda pedibus supplanto; & ab hoc momento illa repudio, ejuro, ac irrevocabili ab iis divortio me sejungo.

Id unum duntaxat à te per pretia meæ redemptionis exacte exoro: *Ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Quis enim novit potestatem iræ tuæ dinumerare, ne dicam sustinere? Quis intrepido, ac irretorto oculo vel aversum tuum intueri vultum? Quis tonitruum illud vocis tuæ inaudire: *Discedite à me.* Itaque priusquam furor iræ tuæ comprehendat me, priusquam fulmina iudiciorum tuorum in me detonent, priusquam justissima loricatus indignatione in me insurgas, clamoribus meis aures commoda, & supplicis suspiria à pavidis effusa præcordiis benignus admitte. *Psal. 6. v. 2.*

Respice Domine JEsu lachrymas meas, exaudi gemitus, ac suspiria, & præsta ut obtenta hic peccatorum meorum venia, ad dexteram tuam constitutus inveniri merear, exoptatissimaque illa provocari invitatione: *Venite benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi.*

Fiat id Christe mi redemptor
auxilio, ac gratiâ tuâ,
Amen.

FINIS TOMI PRIMI.


Th
3325